



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

Godwyn

4°

122.

P.M.

D I A R I U M LITURGICO-THEOLOGICO-MORALE

S I V E

S A C R I R I T U S,
INSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ MORUMQUE
DISCIPLINA.

NOTANDA SINGULIS TEMPORIBUS
ATQUE DIBBUS ANNI
CIVILIS ET ECCLESIASTICI:
AUCTORE
FERDINANDO TETAMO
PANORMITANO.
TOMUS PRIMUS.



VENETIIS, MDCCCLXXIX.

Ex TYPOGRAPHIA PETRI SAVIONI.

In Via Mercatoria sub Signo NAVIS.

CUM PUBLICA ADPROBATIONE AC PRIVILEGIO.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D.

ALOYSIO MARIAE GABRIEL
EPISCOPO VICENTINO
DUCI MARCHIONI COMITI &c. &c. &c.

PETRUS SAVIONI TYPOGRAPHUS AC BIBLIOPOLA VENETUS.



UM multa jam pridem ab edendo
Typis meis *Diario Liturgico-Theologico-*
Morali, abstinuerint; plura postremo accessere, quæ
ad id negotii capessendum, non me inclinarent mo-
do, sed impellerent. Abstinebat, quod, cum Opus

per

persentirem multiplici materia distractum ; confusio-
 ni fortasse Lectorum tædio , doctrinæque involucro
 obnoxium suspicabar . Abstinebat , quod multa jam
 a doctis Viris , per *Encyclopedias* , *Dictionaria* , *Biblio-*
thecas , hujusmodi parata sunt Doctrinæ compendia ;
 quibus abunde suffulta Studiosorum sedulitas , ne no-
 vam hanc curam meam , veluti recockam cramben
 fastidiret , subverebar . Et quamvis multa ex ad-
 verso ingereret Vir mihi & amicitia , & Eruditio-
 ne spectandus ; illud adhuc vehementius abstinebat ,
 quod jamdiu hauseram , meæque Typographiæ , ne
 ad inania deflueret , veluti Legem constitueram , Ro-
 manæ Eloquentiæ Principis effatum : *Quidquid Litteris mandatur , id commendari omnium Eruditorum lectio- ni decere* (Cic. tusc. qq. 2.) Verum cum aliquid
 temporis maturiori examini , Eruditorumque Viro-
 rum judicio exquirendo impenderim ; nescio utrum
 dicam magis , Auctoris nihil importune obtrudentis
 modestia ; an Aliorum , qui statim illi legendo O-
 peri oculos admovebant , statim illius studio incen-
 debantur , Aviditas vicit aliquando tandem ancipi-
 tem animum meum . Reputare ergo mecum ipse
 cœpi , quemadmodum in Ædificiis , in Exercitibus ,
 in Spectaculis non rerum paucitate confusionem vi-
 tari , sed earum , quæ etiam plurimæ adhibeantur ,
 & variæ , legitimo nexu , rectaque compositione :
 ita in Oratione , rerum dicendarum non inopia ,
 sed methodo perspicuitatem esse procurandam . Quod
 si & Alii iisdem de rebus scripsere , de quibus Au-

Etor hic Noster tractandum sibi sumpfit ; dummodo
 diversa , & satis laudabili ratione id fecerit , quis
 male factum causetur ? Egregie quidem Ipse sibi ea
 de re Apologiam præfixit , dum ex Augustino sa-
 pientissimum protulit judicium : *Utile esse , plures
 a pluribus fieri (libros) diverso stylo , non diversa fi-
 de , etiam de quæstionibus iisdem , ut ad plurimos res ipsa
 perveniat ad alios sic , ad alios autem sic . S. Aug. l. 1.
 de Trinit. cap. 3.* Et vero ab Auctore Nostro su-
 fcepta scribendi ratio ea est , ut , quæ aut arida sunt
 apud alios , aut usu vacua , aut certe dispersa ; quo-
 tidiano jam usui accommodata , fatigatione nulla , vo-
 luptate summa in unum collecta perlegantur . Ex
 quo illa potissimum existit hujuscce Operis utilitas ,
 ut etiam illi , quorum animus aut severioris studii
 impatiens est , aut non nisi ex instanti rerum cir-
 cumstantia addiscendi curiositate movetur , quoti-
 diana lectione , quotidie doctiores efficiantur & ipsi .
 Quod si illud etiam me movebat M. Tullii : *Litteris mandandum Opus commendari omnium Eruditorum
 lectioni decere ; ob id ipsum mihi jam esse læ-
 tandum rebar , quod in Opus inciderim , nulli Ecclesiastico Viro non probandum ; Ecclesiasticum au-
 tem cum dixi ; quis nesciat , Eum me dixisse , a
 quo oportet interrogare Legem (Agg. 2. 12.) Cujus
 labia custodiunt scientiam (Malach. 2. 7.) Quem-
 que a rudi populo , Laicorum nomine inducto ,
 quasi proprio doctrinæ merito distinguendum cen-
 suit Antiquitas ? Ad Horum vero Judicia cum de-*

venerim ; Cæterorum , quotquot exquisivi , quam plurima reticenda sunt mihi , ne de Tuō sileam , Præsul Illustrissime . Quam illud mihi certe jucundum accidit , cum vix ad Te hujuscē edendi Operis perlato nuntio , simul quid eo ageretur , inaudisti , simul probasti , simul expetisti quam maxime : atque adeo expetisti , ut quid faustum illi jam edendo auspicarer , haud ultra exquirendum mihi esset ; cum Te libentissimum haberem Mœcenatem , nec tam rogatu meo , quam studio tuo novi Operis Susceptorem ? Cum itaque Amplissimo Nomini Tuō Diarium hoc inscribi haud fueris dignatus , immo & libenter annueris ; patere , Illustrissime Præsul , ut , quanta adoptato Operi præsidia contuleris , publice edicam . Neque enī fas est , ut , quæ Tibi , quasi inscio , ipsa tui Animi demissio obduxit , illa quasi ingrati & cœcūtientis animi mei vitio delitescant . Sed etsi de eo tacendum mihi proposuerim ; quis est Venetarum rerum tam hospes , qui nesciat , Vetustissimam Familiaz Tuæ Nobilitatem a Serenissima Venetorum Republ. non cœptam fuisse , sed auctam ? Quis tanti Mœcenatis Nomine non satis honestatum Opus intelligat , cum resciat , Illud esse , quo Sacra passim , & Civilia Fasta nedum Veneta , sed exterarum etiam Provinciarum , multis terra marique præclare gestis , pro aris , & mœnibus gloriantur ? Ecquis immo non testis , quot novis Serenissimæ Reip. Venetæ testimoniis Avitam Gabrielicæ

Familiæ dignitatem , Excellentissimus Frater Tuus , Tuque ipse , Præsul Illustrissime , cumulaveritis ? Il- lum alii narrent , repetitis Patriæ testimoniis , collatisque munericibus decoratum : Te certe omni ævo Conspicuum nedum ejusdem Patriæ judicia prædi- cabunt , sed & Sapientissimorum Romanorum Pon- tificum Clementis XII I: , Piique VI. Auctoritas comprobabit . Ille , quod duplii subinde Episcopatu , Famagostensi , & Concordiensi , quasi Lucernam loco in dies eminentiori collocandam , decoraverit . Is vero , quod uberioribus adhuc meritis Auctum , ad Celebriorem , Latioremque Ecclesiam Vicentinam duxerit promovendum . Quo tam honorifico argu- mento , triplici Insignem Episcopatu , quis Te jam non habeat plane ad Apostoli Pauli normam con- formatum Episcopum Irreprehensibilem , Te ipsum præben- tem Exemplum bonorum operum in Doctrina , in integri- tate , in gravitate , verbum sanum , irreprehensibile , ut is qui ex adverso est , vereatur , nihil habens malum dicere . (i. Tim. 3. & ad Tit. 2.) Quamobrem , cum hujusce Novi Operis scopus ille sit præcipuus , ut qui sunt in Ecclesia Presbyteri , Christianæ Reli- gionis Officia , tanquam ex quodam salutari Do-ctrinæ Promptuario , ad sui aliorumque utilitatem in dies depromere valeant ; quid mihi honestius , quid Christiano populo jucundius esse poterat , quam ut de tanti , tamque probati Pastoris ore salutis pascua recipere sibi viderentur , quotquot Opus le- gerent Ipsius nomine consignatum , & Auctoritate

Patrocinioque suffultum ? Tu interim Præsul Amplissime , quod aliis censuisti comparandum Opus , Tuis jam Auspiciis editum , Tibique dicatum completere . Me , quod mea interest , Amplitudini Tuæ multiplici nomine devinetum , de eo lætam- tem habebis , quod Quisquis noverit , Te Hortatore , Te Auspice , Opus istud communi Christi- fidelium bono in lucem prodiisse , illo Te encomio prosequatur , quo S. Episcopum Eustathium Joannes Chrysostomus efferebat : *Edictum Te Spiritus Sancti gratia fuisse ; Ecclesiæ Præsulem non de illa tan- tum solicitor esse debere , quæ a Spiritu Sancto Illi com- missa est , sed etiam de quavis in Orbe terrarum .* (S. Joa. Chrysost. hom. in S. Eustath. M. ultra Med.)

P R A E F A T I O A U C T O R I S A D L E C T O R E M .

ASCIENDI plures libros nullus est finis : ait Ecclesiastes c. 12. v. 12. Quod et si non desint, qui reprehendant (1) : nihilominus plerique laudabile merito reputant , inter quos S. Augustinus lib. 1. de Trin. c. 3. inquit : Utile est , plures a pluribus fieri (libros) diverso stilo , non diversa fide , etiam de questionibus eisdem , ut ad plurimos res ipsa perveniat , ad alios sic , ad alios autem sic . Ratio utique non spernenda utpote tanti Doctoris , eique saltem aliam subiectere liceat : nimurum quia veritas sapientia exagitata magis splendet in luce , & pernicies revocata in judicium , gravius , & sine paenitentia condemnatur ; ut ex Innocentio P. dicitur C. Gravie non 7. 35. qu. 9. Accedit , quod ad scribendum semper de rebus maxime ad Theologiam Moralem , Institutiones Ecclesiasticas , sacrosque Ritus pertinentibus , circa quas profecto materias nostrum versatur hoc Opus ; e re nata veluti cogit disciplinæ Ecclesiasticae variatio pro varietate temporum , & circumstantiarum , utpote accommodatae usibus humanis (2).

Rationes autem hujusmodi , similesque pro sui editione communes habet hoc Opus cum aliis aliorum

TOM. I.

A

Scri-

(1) Vid. August. Calmet in cit. locum Eccl.

(2) Vid. S. August. ad Marcellin. post initium ep. 5. juxta recens. Lovaniens. Edmundi Martene egregium opus de antiquis Ecclesiæ Ritibus , & nobis scripta hoc op. tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 1. n. 49.

Scriptorum Op̄eribus . At vero pro ejusdem Editione
specialiter militare videtur hæc ducta ex methodo ,
qua Morales Quæstiones agitamus , Institutiones Ec-
clesiasticas tradimus , Sacroisque Ritus exponimus , quæ
proculdubio facillimam cuique reddet scientiam , &
observantiam Ecclesiasticae Disciplinæ . Cum enim de
iis agamus , ut in quævis incident annī tempora , die-
busque singulis usuveniunt ; inde fit , quod ea , quo-
rum apud alios aut incerta , aut vaga est pertractatio ,
apud Nos ipso dierum cursu indigitantur ; eademque
investigandi , temporum opportunitate ipsa , laudabile
studium exacuitur , ipsoque usu investigatorum memo-
ria firmatur .

Quoniam vero duplicit computatur Annus Eccle-
siastico usu : alter nimirum dictus Civilis , eo quod in
actionibus , rebusque Civilibus etiam adhibetur ; Ec-
clesiasticus alter propriæ talis , quia in functionibus , &
rebus Ecclesiasticis tantummodo locum habet ; prior
incipiens a prima die Mensis Januarii , definitus De-
cembris ultima die ; posterior initium habens in Do-
minica prima Adventus , finem in Sabbato , quod im-
mediate præcedit novam aliam Dominicam primam
Adventus : ideo Diarium hoc sumus complexi tractatu
duplici : in quorum primo agimus de Quæstionibus
Moralibus , Institutionibus Ecclesiasticis , Sacrisque Ri-
tibus notandis in Anno Civili ; in altero autem de
iisdem notandis in Anno Ecclesiastico (3) .

Cum autem ex his Quæstionibus sint nonnullæ , in-
fra Annum quidem occurrentes ; non tamen determini-
nate

(3) Embleatiorem divisionem dabimus in Proæmio intrinque tractatus
respective .

nate Ecclesiasticum , vel Civilem ; neque certam , & eamdem sedem habentes ubique : seu non eodem ubique locorum occurrentes tempore : eas faciliori methodo ad Operis , calcem rejiciendas putavimus in una seorsim Appendix.

Aniādvertendum deinde est in hoc Diario , tractatu i. lib. 3. par. 2. ubi agemus de notandis singulis sigillatim diebus Anni Civilis : quædam haberi ; quæ subjaceant mutationi in Sanctorum Officiis . Quod enim nunc est Semiduplex , deinde forre elevabitur ad Ritum duplēm : quod nunc est particulare , aliquando evaderet universale ; nec deerunt Festa , quæ hactenus sibi assignatam murabunt Sedem ; nova insuper accedent Sanctorum Officia celebranda . Quod quidem incommōdū commune est omnibus tractatibus de Officiis , & Ecclesiastica Disciplina , ob rationem superius indicatam . Cui tamen incommōdo facile potest occurri in novis ejusdem Operis editionibus ab aliquo diligenti Editore , qui mutanda corrigat , & alia , quæ de novo accesserint , superaddat : quemadmodum passim videmus in similibus Scriptorum Operibus a viris doctis , & eruditis fuisse peractum (4).

Quod si in hoc , qualicumque opere meo , alicubi vel Auctores rejicio , vel aliquem detego eorumdem errorem : obsecro Lectores meos , qui illis Auctoribus forte ratione aliqua inveniantur addicti ; ne ideo irascantur mihi : non eo etenim animo , quo Cham nudatam Patris sui turpitudinem fratribus indicavit . Gen . 9.

(+) Ut in Opere Gavanti , cui tit. Thesaur. Sacr. Rit. amplissime præstitit Cajetanus Meratus : qui tamen & ipse correctione simili indigere cœpit in pluribus .

4 PRÆFATIO AUCTORIS AD LECTOREM.

22. sed quo Jethro Moysen reprehendit , & docuit :
Exod. 18. vel Paulus restitit in faciem Cephæ, quia reprehensibilis erat . *ad Galat.* 2. 11. Eodem ego animo , & mente sententiam meam profero , & longe me doctiores , & eruditiores aliquando corrigendos ostendo : cum hallucinentur vel perspicacissimi Scriptores non minus , quam alii : ut significat S. Hieronymus priori Præfatione in Job () . Quapropter & ego , a quibuslibet corrigi paratus sum ; multo magis autem quæcumque affero in hoc Opusculo , omnia Ecclesiæ Romanæ , ut par est , submitto judicio.

Faxit Deus , ut , quod hoc meo labore unice intendo , id assequar , majorem videlicet Dei Gloriam , ac Proximorum utilitatem , & commodum præcipue Ecclesiasticorum , quibus perquamfacilem me reddidisse crediderim , scientiam Ecclesiasticarum Institutionum , Sacrorum Rituum , ac Moralium Quæstionum , respiciencium disciplinam , & praxim quotidianam .

T R A-

() Confer dicenda tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 2. n. 277.

TRACTATUS PRIMUS
D I A R I I
LITURGICO - THEOLOGICO - MORALIS
S A C R I R I T U S
INSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ MORUMQUE
DISCIPLINA.

N O T A N D A
SINGULIS TEMPORIBUS, ATQUE DIEBUS ANNI CIVILIS.

P R O E M I U M .

ANNUS Civilis, qui a Mense Januario sumit exordium, Menses habet duodecim, Hebdomas quinquaginta duas, & Diem unum: Habet vero dies trecentos sexaginta quinque communiter, seu quando Annus est communis; Cum autem est intercalaris, & bissextilis, habet dies trecentos sexaginta sex. Sciendum enim est, Annum Solarium habere dies trecentos sexaginta quinque, & quasi sex horas, eo quod tanto temporis intervallo Sol Zodiacum perlustrat. Habet ergo annus Solaris quasi sex horas supra Annum Civilem communem. Ut autem Anni Civilis cursus cum Solis cursu conveniat, dispositum est; ut sex horæ prædictæ, quas Annus mathematice talis habet supra præfatos dies trecentos sexaginta quin-

que, usq[ue] fuerint quater multiplicatae, & constituerint diem unum, tribuantur quarto cuiuslibet anno, cum exceptione quadam in centesimalis mox explicanda; qui Annus dicitur Intercalaris, eo quod dies superadditus non numeretur, seu non ponatur in Anni fine, sed Anno interseratur. Similiter Mensis, cui inseritur, qui est Februarius, dicitur Mensis Intercalaris, quia prædictus dies non ponitur in illius fine, sed Mensi interjicitur. (Erat autem huic intercalationi constitutus dies certus, qui est post 23. Februarii diem, inter Terminalia jam peracta, & Regifugium.) ait Ambrosius Calepinus in *V. Bissexturn*. Atque adeo dies superadditus est dies 24. Februarii; & quia hic Dies 24., & proxime sequens dies 25. computantur, (ut computari oportet ad finem intentum) pro uni-

co

eo die, in utroque dicitur: Sexto Calendas Martii: hoc est: Sexto die ante Calendas Martii; et si in Vulgari computatione dies proxime sequens diem 24. Februarii non dicitur iterum dies 24., sed dicitur 25., ut mox notabimus.

Ex hoc autem quod in Anno Intercalari bis mense Februario, dicitur: VI. Calendas Martii; factum est, ut Februarius tunc vocetur Mensis Bissextilis, & Annus item Bissexturnus, vel Bissextilis. Porro praedictus dies Intercalaris datus est Februario, ut ejus paucitati dierum succurreretur: habet enim pauciores dies præ ceteris Mensibus. Dicunt tamen alii; praedictum diem fuisse Februario interiectum, eo quod inter Menses haberit olim ultimum locum: nam, cum antea decem essent tantummodo Menses, (Vide dicenda in Septembri par. I. num. 45.) quorum primus erat Martius, duoque postea fuerint adjecti Januarius, & Februarius; eos fuisse, dicunt, in anni fine repositos. In Anno igitur Bissextili in Februario dicitur bis: Sexto Calendas Martii: juxta modum loquendi Romanum, computationemque latinam. At vero juxta vulgarem habet dies 29. Porro in vulgari computatione in Anno etiam Bissextili dies proxime sequens diem 24. Februarii non dicitur iterum dies 24., sed dies 25., atque adeo sic procedendo ad ultimum diem, ille est 29. Et vero, et si dies 24., & 25. Februarii in anno Bissextili pro unico censeantur in hominum institutione; revera tamen sunt dies naturales inter se distingui, ac 24. horis æque ac reliqui constant.

2 Prædicta intercalandi ratione,

quam invenisse dicitur Cæsar Dictator, utitur Ecclesia Romana, (Vide dicenda 23. Februarii, & duobus proxime sequentibus diebus:) quæ tamen circa illam adhibuit aliquam correctionem. Enimvero, cum illæ sex horæ, ex quibus quater multiplicatis componitur dies prædictus Intercalaris, integræ non sint: deficiunt enim singulis senariis horarum minuta undecim: ex horum minutorum neglectu factum est, ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, sic tractu temporis excreverint, ut simul juncta constituisse dies decent invenirentur anno 1582., quorum dierum excessu æquinoctium vernum, quod ad XII. Calendas Aprilis a Concilio Nicæno fuerat constitutum, decem circiter diebus a sua Sede præcedendo recesserat anno prædicto 1582. Huic malo occurrens Gregorius XIII. præcepit, ut prædicti decem dies a Mense Octobris delerentur pro eo anno 1582. ita ut post quartam diem Octobris dicatam festo celebrando S. Francisci Assisiensis, proxime sequens dies non haberetur quinta, sed decima quinta Octobris. Spoliatus autem fuit October diebus prædictis, eoque minus afferebatur incommodi Sandorum festivitatibus, quibus tunc temporis dies illi non abundabant.

Quoniam itaque memorata undecim minuta, quæ singulis annis deficiunt ad complementum dictarum sex horarum, spatio annorum 131. faciunt summam integri diei, & unius minuti, & decursu annorum 400., efformant tres dies, unam horam, & minuta 20., ideo, ut præfatus error in posterum vitaretur, statuit idem Gregorius, us

bis-

bissexus quarto quoque anno continuari deberet, præterquam in centesimis annis, qui licet bissexiles antea semper habiti fuerint, (qualem etiam esse voluit annum 1600. correctioni proximum); non omnes deinceps bissexiles essent, sed tribus centesimis sine bissexto elapsis, tum quartus quisque centesimus esset Bissextilis. Quapropter cum anno 1600. occurrerit intercalatio bissexti, hinc annus 1700. bissextilis non fuit, neque erunt anni 1800.; & 1900.; erit autem bissextilis annus 2000.; & sic deinceps in perpetuum. Cum enim annus bissexus contineat unum diem supra annum regularem, dum tres centesimi, qui bissexti esse deberent, sine bissexto transiguntur, hoc ipso demuntur tres illi dies, qui a prædictis undecim minutis spacio annorum quadringentorum efformantur.

Patet autem, quod haec Gregoriana correctio ad lanceam omnino non fit, quia adhuc ultra debitam quantitatem, singulis quadringentis annis, attribuit horam unam, & minuta viginti, quæ ultra diem unum, spatio quatuor sæculorum, ut supra, efformantur; hinc dubium non est, quod cursu plurium sæculorum supradictum Äquinoctium posset suam sedem iterum præcedendo mutare, & quidem tractu sæculorum 72. præcederet uno die. At quoniam non creditur Mundus adeo duraturus, ut malum hoc ex notabilis variatione secuturum videatur; idcirco prædictus intercalandi modus in perpetuum fuit servari statutus. Quod si secus evenerit, ingruenti iterum sensim præfato malo, media alia correctione, rursus tunc temporis occurri poterit.

Laudata tamen Gregoriana correctione Calendarii in quibusdam locis recepta non fuit, ut patebit ex variis Questionibus, in hoc Diario, ubi occasio sese obtulerit, agitandis. Nihilominus in locis, in quibus servatur *vetus Calendarium*, permittit Ecclesia, ut Fideles se illi accommodent, quemadmodum constat ex usu piorum, & doctorum hominum. Ubi tamen receptum est novum reformatum *Calendarium Gregorianum*, secundum illud est procedendum; & hic valet illud *Glossæ in C. Illa 11. dist. 12. Si fueris Roma, Romano vivito more; si fueris alibi, vivito, sicut ibi.* Ut animadverrit La-Croix Lib. 1. de Legib. qu. 83. §. 4. n. 585. Videri etiam possunt dicenda Tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 1. art. 6. a n. 59. Si autem alicubi novum *Calendarium* fuerit aliquando receptum, sed lapsu temporis ab hereticis fuerit reprobatum; an liceat Catholici sequi *vetus*? Negat Lessius; sed affirmat Verj. Cui consentire videtur La-Croix lib. 2. qu. 27. n. 113. qui videri potest.

Præfatam *Calendarii correctionem Pontificia factam auctoritate, miraculis a Deo confirmatam, habes ex dicendis 6. Januar. n. 18.*

Ad annum bissextilem facilius, & expeditius dignoscendum, aliqui tradunt hanc regulam: ut si numerus annum designans, per medietatem divisus, quotum reddit parem annus sit bissexus; secus vero si imparem; hinc annus e. g. 80., quia per medietatem divisus reddit parem, numerum, scilicet 40.; erit intercalaris; contra annus 82. ut supra sectus, imparem reddit numerum; scilicet 41., non erit itaque bissexus. Procedit haec regula etiam in centesimis, si nu-

me-

merus dividens petatur a numero saeculorum, quæ continet centesimus; hinc annus 1800., continens saecula 18., non est bissexturn, cum numerus ea dividens sit dispar.

5 Utrum extra Annum bissextilem sufficiant dies 365., nec necessario debeat expectari aliæ sex horæ, (quas supra diximus, annum civilem communem habere supra dies prædictos); ad habendum annum integrum Novitiatus requisitum ante Professionem Religiosam ? (Hujusmodi etenim Annus est computandus de momento ad momentum, ut docet communis Doctorum, quemadmodum videbimus hic lib. 1. c. 1. art. 9. sect. 3. n. 33.) Negat De-Lugo de Just. disp. 22. sect. 12. n. 312., sed ad affirmandum inclinat La-Croix lib. 4. qu. 3. §. 1. n. 13., quia, inquit, absque sex hisce horis adhuc est annus completus, non quidem Mathematice, attamen Ecclesiastice ; idest secundum usum Ecclesiæ, quæ adhuc utitur anno civili. Idque confirmat ex eo, quod refert Pellizarius : hoc est : cum anno 1582. in correptione Gregoriana Calendarii dubitatum esset : an pro eo anno complendo adjiciendi essent illi decem dies, qui haec tenus defuerant ? negatum fuisse : eo quod Annus sine eis esset civiliter, & politice completus.

6 Cum anni ad Ordines requisiti censeantur esse anni ordinarii, seu communes, constantes diebus 365. è contra anni bissextiles recurrentes singulis quadriennis habeant dies 366. hinc putant nonnulli apud Gob. teste La-Croix l. 6. par. 2. q. 332. §. 6. n. 2311. quod quando numeratur ætas pro Ordinatione, non sit opus connumerare illos dies bissexti-

les : ideoque cum ille, qui ante annos 25. esset natus 1. Januarii, sexies vixerit Annum bissextilem ; dicunt ; illum prima Januarii completere annos 24. & sex dies : adeoque posse ordinari etiam quinque diebus ante 1. Januarii. Hanc sententiam, putat Gobat, esse prædictæ probabilem, ut refert laudatus La-Croix, qui tamen contradicit, docens, non videri, posse sustineri ; primo quia est contra præmix, & communem sensum omnium : quando enim multi anni computantur, hi numerandi sunt indiscriminatim, & civiliter, prout occurunt, & numerantur a populo, quamvis aliqui sint breviores, aliqui longiores isto uno die : duo enim illi dies habentur pro uno. Secundo, & præcipue, quia dies intercalaris qui adjicitur Februarii quarti cujusque anni, est necessarius ad complendum unumquodque quadriennium ; deerant enim sex horæ unicuique e tribus præcedentibus annis adnotandæ. Ergo dies ille Intercalaris non est aliquid supra totum quadricennium, sed aliquid absolute necessarium ad illud habendum. Ergo illa prima Januarii re ipsa plures non habebuntur, quam 24. anni ; ita La-Croix. In anno bissextili an dies 24., & 25. Februarii computandæ sint pro unica die, quando præfigitur certa ætas, vel certum tempus ? Examinabimus 24. Februarii art. 6. a n. 14. & alia in bissextili mense notanda notabimus citata die 24. Februarii, & die 23. & 25. Mensis ejusdem.

Dicebamus initio : Annum Civilem exordium sumere a Januario, seu prima die Mensis illius. Olim vero plerique exordium anni novi sumebant a die Feste Dominice Nativi-

tivitatis : unde usus vocandi **Æram** vulgarem a Nativitate Domini : ut tradit Ludovicus Antonius Muratori to. I. par. I. Annal. Ital. edit. Roman. 1752. ad an. Chr. I. Attamen quemadmodum significat Laurentius Berti histor. Eccl. to. I. disfert. 4. de vero Christi Natale, & de æra Dionys. n. 28. ut Juliani simul & Christiani haberetur ratio anni, est constitutum, postremis septem diebus Decembris prætermis-
sis, annum a Januarii auspicii Calendis, annosque vocari a Circumcisione, vel adhuc a Nativitate Domini : ut communior retinet usus ; vel ab Incarnatione Dominica, ut non raro adhibetur in Pontificiis Bullis, quemadmodum significabimus infra.

Placuit autem annorum tempora prænotare ab Incarnatione, Nativitate, Circumcisione Christi Domini Salvatoris, quatenus exordium spacio nostræ notius nobis existeret, & causa reparationis humanae, idest Passio Redemptoris nostri evidenter eluceret. Ita Dionysius Exiguus epist. 2. ad Petronium, & approbat, laudatque Beda c. 45. de ratione temporum.

A quo etiam laudato Dionysio Exiguo, Monacho doctissimo, qui floruit in Ecclesia Romana circa Annum 540. dicitur instituta ratio prænotandi Annorum tempora ab Incarnatione Domini. Verum Ludovicus Antonius Muratori l. cit. negat, eam fuisse penitus ignotam prioribus Ecclesiæ saeculis, licet laudato Dionysio debeatur quidem, quod in estimatione aliqua esse cœperit in Occidente ; quemadmodum deinde Venerabilis Beda saeculo octavo usus eadem, exemplo suo fre-

TOM. I.

quentiorens usum apud Latinos illi conciliavit.

Annorum vero a Christo nato computandorum modum, scribit Joannes Doujat in prænotionibus Canonicis l. 3. c. 15. n. 8. in usu Civili receptum fuisse tempore Caroli Martelli, existimare Scaligerum in animadversionibus Eusebii. In Ecclesiasticis autem rebus longe tardius invalusisse ; Eugenio IV. Pontifice sub Annum scilicet 1431. testari Blondum Foroliviensem, qui Collegio Pontificio fuit a secratis ; Vid. Berti. l. cit. n. 26.

Animadvertendum attamen est, in hujusmodi Æra Christiana vulgari, qua nunc communiter usum, errorem adesse communem, licet venia dignum, ut rite Muratorius ait. Porro non plane constat de Anno, quo Christus Dominus natus fuerit. Docet autem, lateque probat supra laudatus Berti disfert. cit. inter veram Nativitatem Christi, & initium Æra Vulgaris, annorum tempora prænotantis a Nativitate Domini, annos quatuor, diesque septem intercessisse.

Si cui vero difficultatem moveat usus Ecclesiæ, quæ nimirum utitur hujusmodi Æra ; respondet Jacobus Tirinus Comment. in Sacr. Script. to. I. in Chronic. c. 47. dicendo : quod Ecclesia non aliter utitur Calculo Dionysiano quo ad tempora Christi, quam Calculo utatur Eusebiano quoad tempora ante Christum : (in quibus tamen peritiores quique Chronologi plus mille annis dissentient ab Eusebio) : & usa est Calendario, Breviario, imo & Bibliis non adeo correctis usque ad tempora Sixti V. Nempe solum usum voluit ; forte quia tunc meliora ad manus non erant.

B

Cæ-

Ceterum vitia non approbat, sed corrigit, cum commodum fuerit. Quod haud dubie circa Diomarianum quoque calculum (qui maxime invaluit 532. anno a nato Christo) jam pridem præstisisset, nisi usas illius iam nimis invalueret, & sine ingenti totius Orbis incommodo mutatio illa fieri non posset: cum publica Instrumenta omnia jam a mille annis secundum eum calculum confecta sint. Hoc laudatus Scriptor.

- 8 Non importunum denique videatur, hic notare, quod animadvertisit La-Croix l. 4. de Benefic. Eccl. qu. 159. §. 5. n. 1071. ubi docet: Resignationes factas in Curia de Beneficiis intra montes, publicari debere intra sex menses; factas autem extra montes intra novem; factas vero apud Ordinarium, si Ordinarius provideat, in duas tres; quod si provideat Papa, intra novem. Numerari autem hos menses in Re-

signationibus apud Ordinarios; a die factæ provisionis; in Resignationibus apud Papam, a die Datae, in qua prima supplica a Papa signata est, & a Datario recognita; & videndum; ait, an Data habeat: Anno ab Incarnatione: an: . Nativitate Domini.

His p̄tlibatis, atque præmissis de partibus, & computatione Anni Civilis, accedimus nunc, ad expoundendum Quæstiones Morales, Institutiones Ecclesiasticas, Sacrosque Ritus notandos singulis temporibus, atque diebus Anni prædicti. Exponemus autem tribus libris, & in primo dabimus, notanda quotidie in genere: in secundo autem notanda in hebdomada in genere; & singulis sigillatim diebus ejusdem: in tertio denique notanda singulis mensibus in genere, & scorsim in particuli, nec non singulis eorumdem sigillatum diebus. Sit itaque



LIBER PRIMUS.
SACRI RITUS
INSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ,
MORUMQUE DISCIPLINA
NOT. QUOTIDIE IN GENERE.
EXPLICANTUR CAPITIBUS VIII.

- Caput I. *De Ratione computandi horas Dies.*
 Cap. II. *De Celebratione Missæ quotidiana.*
 Cap. III. *De Communione quotidiana.*
 Cap. IV. *De Indulgentiis pluribus quotidianis.*
 Cap. V. *De Salutatione Angelica, qua quotidie recitatur ad pulsus Campanæ.*
 Cap. VI. *De Oratione pro Defunctis nocturne ad pulsus Campanæ.*
 Cap. VII. *De Benedictione Mensæ, gratiarum actione, & lectione ad Mensam.*
 Cap. VIII. *De Lampade, qua nocturno tempore collucere debet in Andreibus, seu dormitorii Regularium.*

CAPUT PRIMUM.

De Ratione computandi Horas Dies.

AGITUR ARTICULIS X.

ARTICULUS PRIMUS.

I Quæst. I. **Q**uid sit dies, & unde denam principiorum summat, habeatque finem?

R. Dies duplícem habet acceptiōnem, vulgarem usam, naturalem alteram. Dies vulgaris, sive usualis, sive, ut a nōmūllis dicitur, artificialis est tempus illud, quo Sol nobis apparet, & lucet ab ejus ortu usque ad occasum. In hac acceptiōne Genet. c. 1. v. 5. dicitur, quod Deus dixit lucem a tenebris, appellavitque lucem, diem; &

tenebras, noctem. Et c. 7. v. 12 dicitur, quod facta est pluvia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Similiter Matth. 4. 2. legitur, quod Dominus Iesus cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriuit. Ubi nomine dies venit tempus a Solis ortu usque ad occum; & contra nomine noctis, tempus, quo Sol non apparet; atque adeo a Solis occasu ad ortum eiusdem. Cui vulgaris loquendi, & utendi modo se accommodavit etiam Christus Dominus, cum dixit Joann. 11. 9. Nonne duodecima sunt horæ diei? In quem locum Joannes Maldonatus inquit: de dia loquitur, quem usalem vocant. Porro is dies vulgo semper horarum, sed partium duodecim erat, quo

tamen cum ipsa luce vel augebantur, vel minuebantur; ut mox infra explicabimus, & iterum sectione sequenti. Subs. 3. de hujusmodi horis acturi. In predicta acceptione si fumatur dies, ejus initium computatur ab ortu Solis, & finis ponitur in occasu. In vulgari enim loquendii modo per initium diei intelligimus tempus illud, quo Sol nobis oritur; & per finem intelligere solemus tempus, quo Sol occidit, & occidens noctem inducit. In hoc sensu forte, Lucæ 22. 66. dicitur: *ut factus est dies, converserunt Seniores Æc.* Hoc est: *mano facto: uti: habent alii Evangelistæ.* Rursus Lucæ 24. 29. duo ex discipulis Christi post Resurrectionem ejus appropinquantes Castello Emmaus, quo ibant, dicebant Christum manu nobiscum, quoniam adspersit, & inclinata est jam dies.

Hinc colliges, quid intelligatur Diei, quid Noctis nomine, ubi aliquid permittatur e. g. de die; interdicatur vero de nocte; vel contra. Nimirum diei nomine intelligitur tempus ab ortu Solis usque ad occasum. Nomine autem Noctis venit tempus ab occasu Solis usque ad ortum ejusdem.

Nihilominus, quia ex Reg. 15. Juris in 6. Odia restringi, & favores convenient ampliari: existimo in favorabilibus in isto, & simili casu, ac modo loquendi, nomine diei, intelligi posse totum tempus, quo clara saltem lux a matutino crepusculo luminoso incipit ante ipsum ortum Solis adesse, & post occasum manet ejusdem, durante vespertino crepusculo luminoso, de quo infra n. 12, & iterum n. 20. Contra vero in odiosis, nomine noctis intelligi pos-

se illud tantummodo tempus, quo tenebræ incipiunt fieri super terram ab absoluto saltem vespertino crepusculo luminoso usque ad initium saltem matutini crepusculi similis luminosi. Unde cum sit e. g. interdictum inferre in Ecclesiæ Monialium Processiones, quæ fiant de nocte: (Vid. dicenda in Feria VI. Parasceves n. 289. fine) juxta hanc sententiam possent Processiones inferri in Ecclesiæ Monialium tempore adhuc, quo clara lux Solis manet post occasum ejusdem, durante vespertino crepusculo luminoso. Similiter cum sit interdictum deferre cadavera ad Ecclesiæ de nocte sine licentia Ordinarii: (vid. dicenda in Append. ad Calcem Diariorum c. 8.) juxta eamdem sententiam possent cadavera ad Ecclesiæ deferrî tempore, quo clara lux Solis, seu crepusculum luminosum incipit ante ipsum Solis ortum adesse, ac post occasum manet ejusdem. Ad extendendum in favorabilibus diem usualem etiam post Solis occasum, donec clara lux maneat, seu durante vespertino crepusculo luminoso: favet ipsa quoque consuetudo præsens nonnullarum Regionum, quæ, ut Sec. sequenti subs. 1. n. 12. videbimus, consueverunt, horas nocturnas computare ab absoluto vespertino crepusculo luminoso, quod supponunt semper extendi ad horæ dimidium, atque adeo illam medianam horam post occasum Solis consueverunt reputare partem diei usualis.

Huic item nostræ sententie extendi in favorabilibus diem usualem ab initio matutini usque ad finem vespertini crepusculi luminosi facient Hispanas; cum enim J. 4. ff. ad legem Aquilam

tiām, permittatur cuivis, furem nocturnam occidere: (dummodo id ipsum cum clamore testificet; & ex l. 9. ff. ad legem Corneliam de Sicariis: Si parcere nequeat illi sine periculo suo;) docent Juristæ: furtum diurnum esse, quod fit in ea luce, qua fur possit agnoscī. Nocturnum vero, quod fit in iis tenebris, ut fur agnoscī non possit. Quam Sententiam laudat La-Croix lib. 3. par. 1. qu. 207. n. 944. Consonat Azorius Institut. Moral. p. 1. l. 5. c. 26. q. 4. ubi docet: quod si certa pœna constituatur in eos, qui de nocte crimen aliquod admitterint: crimen illud de nocte admissum censabitur, quod patratum est eo tempore, quo lux matutina, vel vespertina nondum apparet. Denique huic nostræ sententiæ sicut etiam alii infra laudandi n. 4. Interim profertimus auctoritatem D. Thomæ 3: par. qu. 83. a. 2. ad 4. ubi amplius usualē diem extendit, docens, diem usualē sumi posse non solum ab ortu Solis, nec solum a matutino crepusculo lumiūso, verum etiam ab initio totius crepusculi matutini, hoc est ab initio Aurora: hæc enim habet: Ad quartum dicendum: quod regulariter Missa debet celebrari in die, & non in nocte ita rite quod principium diei accipiatur non a medianoche, nec etiam ab ortu Solis; idest, quando substantia Solis apparet super terram; sed quando incipit apparere Aurora: tunc enim quodammodo dicitur Sol ortus, in quantum claritas radiorum ejus apparet &c. Quasi præteriens noto hic, quod nec est a re præsenti oratione alienum: statim laudata sententia Doctoris Angelici, Cavalerium teraq. Comitem: in Decr. S. C. R. b. 4. Com-

ment. in Decr. 5. n. 5. dixisse: ubi particulares Synodi exposcant orationem Solem pro Confessionibus Mullierum excipiendis, aut post occasum veteht audiri; se non refragari admodum, si dicatur, audiri adhuc posse ante ortum Solis, vel post occasum, quando lux ejus ita diffusa est, ut objecta facile discerni valeant.

Altera diei acceptio est naturalis. 2
Dies autem naturalis verus, & integer integræ Solis circulatione perficitur; atque adeo complectitur lucem, & tenebras: hoc est, noctem eum explicatio diei usuali. In hac altera acceptione furnitur etiam Dies in Genesi c. 1. ubi dicitur: factumque est vespere, & mane dies unus; dies secundus; dies tertius; dies quartus &c. Consonat Ecclesia in hymno: Læcis Creator in Vespatis Dominicæ canens: qui mane junctum Vesperi, diem vacari præcipis. Hinc habes, quare Genesim c. 7. v. 17. dicatur: factumque est diluvium quadraginta diebus super terram. Versu autem 12. dictum fuerit: Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Nimirum idem traditur in patroque textu. Versu enim 17. est sermo de die naturali, qui complectitur lucem, & tenebras; & ideo simpliciter dicitur: quadraginta diebus. Versu autem 12. sermo est de die usuali, & volgari, qui complectitur solam lucem; & ideo ly quadraginta diebus additum in quadraginta noctibus. Hoc modo significatur diei usuali.

Ametquam ad alia progrediamur; animadverto hic: a nonnullis diem usualē, seu artificialē, hoc est tempus ab ortu Solis usque ad occasum vocari diem naturalē: con-

tra vero diem naturalem prædictum nuncupari diem artificialem ; ita a Bardi in Regul. Juris in 6. reg. 50. n. 23. Sed communior , & omnino usitator est loquendi modus a nobis adhibitus .

Prædictus autem dies naturalis vingtiquatuor integris horis constat ; unde definiri posset : Determinans temporis progressus continuus comprehensus spatio viginti quatuor horarum . Hora vero in quatuor Quadrantes dividitur . Quadrans autem quindecim momenta , seu minuta complectitur . Porro ubi loquimur de die naturali , intelligitur nomine Horæ vigesima quarta pars Diei naturalis . Quadrans autem est quarta pars horæ . Momentum , seu Minutum vero est decima quinta pars quadrantis , atque adeo sexagesima pars horæ .

3 Ubi tamen loquimur de Die usuali , qui duodecim absolvitur horis ; & de nocte usuali , quæ hujusmodi diem subsequitur , ac totidem complectitur horas ; hora est duodecima pars prædicti Diei , vel Noctis præfatae .

Horæ autem Diei usuali , & Noctis subsequentis licet inter se sint æquales , in quantum uniuscuiusque diei usuali duodecim horæ eadem singulæ temporis quantitate commensurantur ; & similiter duodecim horæ uniuscuiusque noctis , quæ subsequitur post prædictum diem , eamdem singulæ temporis habeant quantitatem ; at in se sunt inæquales , in quantitate nec horæ diei usuali absolvuntur intra eamdem distanciam temporis , ac horæ noctis subsequentis ; nec item annos , & singuli dies usuales , & noctes subsequentes in diversis temporibus anni habent suas horas æquales commensu-

ratas temporis quantitate . Sunt itaque in se inæquales , pro inæqualitate nimis dierum usualium , & noctium ; præter Æquinoctium , in quo dies usualis æqualis est nocti . Unde Horæ diei usualis , & noctis subsequentis appellari communiter solent Horæ inæquales ; dici etiam possunt Horæ usuales , vel artificiales ; vel ut a nonnullis nuncupantur Planetarie .

Horæ vero diei naturalis semper 4 sunt æquales , cum inter se , cum in se : eadem videlicet semper temporis quantitate donatae ; unde e converso appellari possunt horæ æquinoctiales , quia earum quælibet tanta est , quanta esse solet hora , quæ est pars duodecima tam noctis , quam diei artificialis in Æquinoctio ; possent etiam dici horæ naturales , per respectum ad diem naturalem , quem componunt .

Dies naturalis prædictus duplicum habet computationem quoad ejus initium , & finem . Prima dicitur Mathematica ; sumit enim initium diei ab ortu Solis , & finem ponit immediate ante novum ortum ejusdem . Altera vero est civilis , & a jure prescripta , ex quo dies computari debet a media nocte ad medianam noctem ; ita ut initium diei sumatur a media nocte , quam sequitur ortus Solis ; & finis ponatur in termino alterius medie noctis , quæ sequitur post occasum Solis , ex L. More Romano . de Feris . ubi sic statuitur More Romano dies a media nocte incipit , & sequentis noctis media parte finit . Et confirmatur C. Consulens . de Officio Judic. deleg. Quem quidem computandi diei modum in Civilibus , præcipue in favorabilibus observari debere , docent Jurisperiti com-

communiter , teste Quintanadvenas in Singular. to. 1. in append. tr. 1. dub. 3. n. 3. fine . Quamvis in odiōsis aliquando observari posse designationem diēi usualem , & vulgarem superius expositam , nimurum de luce ad tenebras , doceant Federicus , Julius Clarus , & Tuschius teste codera Quintanadv. l. cit.

5 Hactenus tradidimus modos tres computandi diēm . Primum vulgarem ab ortu Solis usque ad occasum . Alterum naturalem Mathematicum ab ortu Solis usque ad novum ortum eiusdem . Tertium naturalem Civilem a media nocte ad medium noctem .

Hujusmodi tertium modum computandi principium & finem diei adhibet Ecclesia , ut observat Divus Thomas 3. par. qu. 80. art. 8. ad 5. atque testantur , statuontque Durandus in Ration. Offic. lib. 7. c. 1. n. 16. Suarez to. 3. in 3. par. disp. 68. sect. 4. §. Dico tertio . Garzias de Benefic. par. 5. cap. 1. n. 523. Castropalaus de virtutibus par. 2. tr. 13. de Benefic. disp. 2. pu. 22. §. 2. n. 1. Navar. de Orat. c. 3. n. 34. La-Croix l. 4. qu. 63. §. 1. n. 485. & communissime Doctores , teste Franciso de Lugo de Sacr. l. 4. de Euch. c. 7. qu. 5. n. 43. qui etiam observant , Ecclesiasticam consuetudinem hanc in natura fundari , nam a media nocte incipit Sol ad nos redire .

Diēm itaque Ecclesia computat a media nocte ad medium noctem ; & consequenter principium diei a principio medie noctis sumit , quam sequitur dies vulgaris , seu ortus Solis ; & finem ponit in fine alterius medie noctis sequentis post Solis occasum . Et haec computatio attenditur nunc ab Ecclesia in Factorum

observatione , jejuniorum praeceptis , in abstinentia a carnibus , & lactici- niis pro diebus prohibitis , & in si- milibus , quæ observari debent , ut in votorum adimpletione , in jura- mentorum obligatione , in debitorum solutione , & aliis ad certum diem sancitis ; ut animadverat Suarez to. 1. de Relig. tr. 2. l. 2. c. 10. n. 2. & c. 11. n. 11. Cardinalis de- Lugo de Euchar. disp. 15. sect. 2. n. 39. & Quintanadvenas loco supra- cit. Videri etiam potest Benedictus XIV. to. 1. Notific. 12. n. 8. fine . nde recte monet laudatus de Lugo l. cit. quod eti⁹ alicubi dies alite⁹ computetur , ut in Italia ab occatu Solis , id autem intelligitur in ordi- ne ad alia negotia ; non vero ad hujusmodi Ecclesiastica praecepta . Et licet C. I. de Feriis . dicatur : Dies Dominicos observandos esse a Vespera in Vesperam : notat vero ibi Glossa , id dici quantum ad ce- lebrationem Officiorum ; ut colligi- tur ex C. Quoniam . statim allegan- do . De quo quidem alio Ecclesi- astico modo computandi diēm mox agemus ; fuit enim in usu ejusdem Ecclesiaz nonnulli quidam alii modi diēm computandi in quibusdam ma- teriis ; ut mox videbimus . Quapro- pter modus predictus computandi diēm a media nocte ad medium no- ctem , intelligendus est adhiberi ab Ecclesia communiter quidem , non tamen in omnibus materiis . Unde in C. Quoniam de Feriis . dicitur : Licet scriptum sit de Vespera in Ves- peram celebrabitis Sabbatho vestra : Fe- borum tamē principium , & finis ju- xta eorum qualitatem , & diversarum Regionum consuetudinem debet attendi . Consentit Sotus in 4. dist. 12. qu. 1. art. 8. ad. 5. ubi dicit : in ordi- ne

ne ad computandum diem, standum esse consuetudini loci, quæ tamen Ecclesia decreti recepta fuerit. Quod approbat Suarez to. 3. in 3. par. disp. 68. sect. 4. q. dict. tertio. Et licet addat: se nescire, nullibi fuisse receptum ab Ecclesia modum alium computandi diem quoad Ecclesiasticas functiones; quamvis quoad alios usus, vel actiones diverse sint consuetudines Regionina; hoc tamen intelligendum est ita, ut salventur, & admittantur etiam quidam alii modi computandi Diem iuxta ipsum Ecclesiasticum usum, ut jam intuimus, & mox explicabimus. Itaque, ut docent Cardinalis Aversa, & Diana apud Franciscum de Lugo de Sacram. L. 4. de Euch. c. 7. quest. 6. n. 58. Ecclesia usi computet diema media nocte, potest tamen eadem aliquando computare idem ab alia hora justis de causis; cum hoc pendeat ab hominum placito, ut notabiliter infra. Et quamvis Franc. de Lugo loco cit. n. 60. dicat: Ecclesiasticum institutum inchoandi diem a media nocte, ita esse ubique fixum, & universaliter receptum, ut nunquam, & nusquam noverimus immutari, vel dispensari: Nihilominus Cardinalis de Lugo de Euch. disp. 15. sect. 2. n. 56. Aversa, Magri, Diana estimant, anticipari ab Ecclesia Diem in ordine ad illam Missam, quæ ante mediam noctem Nativitatis Dominice in Sacello Pontificis celebratur. Sed quidquid in praesenti sit de hoc, de quo erit sermo suo loco 25. Decembr. art. 1. sect. 4. subf. 6. qu. 3. n. 87. & ps. 6. n. 92. certo testimonium Francisci de Lugo intelligendum est ita, ut intelligendum esse, diximus supra, Suarezii simile testimonium; hoc est, ita ut salventur

ea, quæ modo docebimus, notantes alias quoque rationes computandi diem ab Ecclesia in nonnullis materiis adhibitas, & usitatas.

Notandum itaque hic est; consuevit esse eamdem Ecclesiam in nonnullis materiis duplicem quoque aliam servare computationem diei in ordine ad ejus principium, & finem designandum. Secundo enim computat adhuc diem, ut ejus initium incipiat ab occasu Solis, & in sequentem finiat occasum ejusdem: C. Pronunciandum. I. dist. 3. de confér. C. 1. de Feriis. Quam Diei computationem adhibere aliquando nunc solet, ubi præfigit tempus, intra quod ponni debent, & exequi opera injuncta ad lucrardam Indulgentiam aliquam.

Quoniam mentio facta est de Indulgentiis concessis ab occasu ad occasum Solis; nota hic quod habet Lucius Ferraris in sua prompta Bibliotheca to. 8. edit. 3. Bononiens. in primo supplem. V. Indulgentia n. 18. in editione autem Romana anni 1767. V. Indulgentia art. 6. n. 56. ubi sic: *Hic ad complementum de Indulgentiis juvat adducere sequentem Tabulam traditam in Cœrimoniali Seraphico impresso Mediolani anno 1744. typis Donati Grisolfi. part. 3. cap. 49. ibi. Favola de Crepuscoli della sera, duranti i quali (come nota il Calendario Romano) durano le Indulgenze conduceute infino al tramontare del Sole.* 1. Gennajo, ora una e un quarto all' Orologio della Campana. 25. Febrajo, ora una. 1. Aprile, ora una ed un quarto. 1. Maggio ora una, e mezza. 1. Giugno ora una, e tre quarti. 13. Luglio ora una, e mezza: 26. Agosto, ora una, ed un quarto. 17. Settembre, ora una. 1. Novembre ora una, ed un quarto. Hæc ibi.

Ter-

8 Tertius modus computandi initium, & finem diei ab Ecclesia usitatus est a Vespera usque ad Vesperam. Hunc modum servat Ecclesia in Divinis Officiis celebrandis, variisque ritibus suis, ac solemnitatibus, quæ incipiunt a 1. Vesperis Festi ad 2. Vespertas, ut observat Durandus in Ration. Offic. I. 6. c. 24. n. 18. & I. 7. c. 1. n. 16. *Glossa in cap. 1. & 2. de Feriis*, & ex D. Thoma, Cajetano, aliisque Doctoribus notat Thomas Sanchez allegatus a Dicastillo apud Diannam to. 2. edit. coordin. tr. 3. resol. II. §. 2. Qui modus computandi diem vel est desumptus, ut putat Rupertus Abb. de divin. Offic. I. 5. c. 24. a solemnitate Paschali, quæ incipit a Vespere Sabbati, ut suo loco videbimus; vel, quod mihi est verius; desumptus est a veteri lege, juxta quam dies cærimonialis sic utique computabatur, ut constat ex Levit. c. 23. v. 32. *A vespera usque ad Vesperam celebrabitis Sabbathum vestrum*. Hæbræi vero dicuntur numerasse duas Vespertas diei naturalis. Una erat pomeridiana, maxime a tertia, vel quarta hora post meridiem usque ad Occasum Solis; & hæc erat proprie posterior Vespera, & finis diei Cærimonialis. Alia Vespera dici potest nocturna ab occasu Solis usque ad perfectas tenebras, in crepusculo scilicet noctis; & hæc erat proprie initium sequentis feriæ, sua Festivitatis, & proprie non pertinebat ad præcedentem, nisi ratione cursus naturalis ejusdem Diei. Vid. Suarez to. 2. in 3. par. disp. 40. sect. 2. a. §. Sed abduc supereft, & to. 3. in 3. par. disp. 41. sect. 1. §. Secundo principiter.

TOM. I.

Igitur tertius modus computandi Ecclesiastice diem, est a Vespera usque ad Vesperam. Vesperæ autem hic non sumuntur in sensu stricto, & proprio, quo venit initium noctis post occasum Solis, quando incipit illud apparere sidus, quod Vesper, vel Vesperus nuncupatur. *S. Idor. bispal. Episcop. de Eccles. Offic. lib. I. c. 20.* Sed sumuntur in eo sensu, quod denotent tempus illud, quo recitari solet in Choro, juxta communiorem, & jam receptam consuetudinem, pars illa Officii, & Horarum Canonicarum, quæ nuncupatur *Vesperæ*. Licet enim hujusmodi pars Officii divini hoc nomen acceperit, eo quod olim ipso quidem Vespere recitaretur; seu vel noctis initio, & tenebris factis, vel circa Solis occasum: & hinc *Lucernarium Officium*; & *Lucernarum*, seu *Lucernalis hora* dicebatur; Nunc autem consuetudo habet, ut in Choro recitetur duabus in hyeme, vel tribus in estate horis post meridiem. Vide Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. de horis Canon. c. 15. a n. 6. Hugonem Viator. lib. 2. de Offic. Eccles. c. 5. Quintanadven. in Singular. to. 1. Append. tr. 3. dub. 3. Cavaler. to. 2. par. 2. c. 39. n. 1. & to. 4. cap. 21. Comment. in Decr. 3. n. 4. Merat. to. 2. sect. 4. c. 4. n. 2. & 3.

Juxta prædictum itaque tertium modum computandi diem more Ecclesiastico, ejus initium sumitur ab initio Vesperarum, seu ab hora secunda, vel tertia post meridiem; imo quia in Quadragesima, a Sabato ante Dominicam primam, in diebus jejunii Vespertas in choro recitantur ante meridiem, ut suo loco notabimus; prædicto tempore i-

C ni-

nitum diei Ecclesiastici hujusmodi sumi quoque posse ab illa hora ante meridiem , putat Quintanadvenas l. cit. n. 4. Sed in hoc alii contradicunt quoad lucrandas Indulgentias concessas a primis Vesperis ; docentes , non videri attendendum peculiarem Quadragesimæ ritum , precise inductum , ut Jejunium Quadragesimale , per fidionem Juris , adhuc in recenti disciplina post Vespertas solvi videatur . Finis autem ponitur in 2. Vespertas usque ad finem , quo terminari possunt Vesperæ juxta veterem etiam consuetudinem , ex qua recitabantur ad Solis occasum , ut modo significavimus : finis itaque erit in Solis occasu . Ita docet Quintanad. l. cit. dub. 4. ubi hec habet : *Si Jubilæi formula exprimat : A primis Vespertas Festi ec. usque ad secundas ejusdem Festi Vespertas : eodem modo intelligentum est , ac si diceret : usque ad Solis occasum : juxta illud Isidori l. Etymolog. Vespertinum Officium est in noctis initio , vocatum ab Stella Vespero , quæ surgit Oriente nocte . Et Augustinus in Psalm. 29. Quid est . Vespere demorabitur fletus ? Vespera sit , quando Sol occidit . Consule Amalarium . l. 4. de Eccl. Offic. c. 7. Ratio vero hujus intelligentie est , quia dictio Ad includit tempus omne , quo durant Vesperæ , juxta doctrinam Barbosæ ec. Hec Quintanadvenas , & videri etiam potest Benedictus XIV. Epist. Encycl. ad Confess. & Pœnitent. pro Anno Sancto in Urbe deput. incip. Inter præteritos . §. 12. par. 2. Constitut. selectar. ejusd. Pontif. n. 73.*

9 Addo & quartum Ecclesiæ modum computandi diem in ordine ad ejus principium , & finem , quem induxit , & retinet consuetudo legi-

tima . Hic autem est , ut dies computetur ab ea hora , qua liceat recitare privatim Matutinum cum Laudibus dici sequentis , puta ab hora secunda post meridiem ; vel ab hora , qua Sol est propinquior ad occasum , quam ad meridiem ; vel ab alia , quæ designetur pro varietate opinionum : de qua re agemus art. 9. a n. 62. ut , inquam , computetur dies ab hujusmodi hora usque ad finem mediæ noctis , quæ sequitur post occasum Solis diei civilis sequentis . Vide dicenda n. 65. Qui modus est plane singularis , & diversus a predictis , quem notarunt Toletus in sum. l. 2. c. 13. n. 7. Bardi in Bull. Cruc. par. 1. tr. 2. c. 6. sect. 2. §. 1. n. 11. Thomas Sanchez , Armilla , Dicastillus , & alii laudandi cit. art. 9. n. 73.

Hic etiam attingere juvat modum illum computandi diem sive in Civilibus , sive in Ecclesiasticis rebus , ab aliquo punto diei naturalis , quodcumque illud accidat esse , usque ad redditum similis puncti : seu ab aliqua hora hujus diei naturalis usque ad redditum similis horæ , quæ erit proxime sequenti die naturali ; puta ab hora decima sexta usque ad horam decimam sextam , seu ab hora decima sexta hujus diei , usque ad horam decimam sextam sequentis diei . Porro dies hujusmodi constat horis viginti quatuor , quot constat dies naturalis ; atque adeo nomine diei in dicto casu non intelligitur , nisi spatium continuum horarum viginti quatuor . Sic e. g. in materia denunciationis faciendæ apud Inquisidores fidei : cui denunciationi præfigi solet tempus aliquot dierum , puta sex , vel duodecim &c. volunt

Au-

Anctores, uti videbimus in Dom. 1. Quadrages. n. 69. obligationem denunciandi incipere urgere die sequenti, eodem punto diei recurrente, in quo habita est scientia, seu notitia talis delicti denuncianandi; ita ut, si quis habuerit hujusmodi scientiam, seu notitiam hora decima sexta diei presentis, obligatio denunciandi incipiat urgere cras hora decima sexta, & ex tunc computandus sit primus dies ex permissionis pro differenda denunciatione predicta; atque adeo primus dies absolvetur hora item decima sexta recurrente proxime deinde sequenti die naturali; similiter secundus dies, tertius, quartus, ec. Hic igitur computatur dies ab uno punto diei naturalis, quocunque illud accidat esse, usque ad redditum similis puncti, seu usque ad recursum similis horae diei naturalis.

Ex hac tenus dictis facile est intelligere: principium, & finem assignare diei, pendere ab hominum placito, quorum varii varium assignant: ut notant etiam Cardinalis de Lugo de Eucharis. disp. 15. sed. 2. n. 56. Aversa, & Diana apud Franciscum de Lugo de Sacram. l. 4. de Euchar. c. 7. qu. 6. n. 58. & ostendit quoque Durandus in Ration. Offic. l. 7. c. 1. n. 16.

SECTIO UNICA.

De variis modis computandi, & denominandi Horas diei naturalis.

11 **E**XPLICARE autem hic valde utile est, quomodo etiam varia sit, atque diversa locorum consuetudo in ordine ad computandas, & de-

nominandas diei naturalis horas. Alii enim incipiunt computare horas diei naturalis ab hora dimidia post occasum Solis, usque ad horam dimidiariam post alterum ejusdem occasum: seu postquam substantia Solis non apparet amplius super Terram. Alii vero a media nocte ad meridiem; & a meridie ad medianam noctem. Notare insuper juvat, imo necesse est, Veterum consuetudinem computandi horas diei naturalis ab ortu Solis usque ad occasum; & ab occasu usque ad ortum illius.

S U B S E C T. I.

De Ratione computandi Horas Diei naturalis ab Hora dimidia post Solis occasum usque ad Horam dimidiariam post alterum ejusdem occasum.

GAM vero illi, qui incipiunt computare horas diei naturalis ab hora dimidia post occasum Solis, usque ad horam dimidiariam post alterum occasum ejusdem, computant viginti quatuor horas sine ulla interruptione, numerando videlicet ab hora prima usque ad vigesimam quartam. In quodam decreto S. C. Episc. quod dabimus c. 2. n. 22. juxta rationem hanc computantur horae; dicitur enim ibi: Missam Conventualem in Festis celebrandam esse tempore astivo hora decima quarta, tempore autem hyemali hora decima septima. Quæ horæ diei sic computatae dicuntur Civiles: & per Horologia rotalia dividi solent in quatuor scenarios, ita ut post quolibet sex pulsus, denuo incipiatur dare unicum. An vero unicus pulsus e. g. ab ho-

C z ro-

rologio datus indicet horam primam, vel septimam, vel decimam tertiam, aut decimam nonam? ex circumstantiis temporis ipsius diei naturalis arguunt, qui ratione praedita utuntur in computandis horis diei naturalis; puta, si unicus pulsus detur, primo post meridiem, aut non longe ante meridiem, (ut accidit in Decembri): arguunt esse horam decimam nonam. Si vero detur primo post occasum Solis, arguunt esse horam primam.

Ratio autem ex qua, secundum hos, finis diei naturalis, sive horarum illius, simul & usualis ponatur non in ipso Solis occasu, sed media hora post Solis occasum: est, quia Sol posteaquam infra nostrum hemisphaerium sese abscondit, prosequitur adhuc durante Vespertino Crepusculo luminoso, (de quo infra n. 20.) sufficientem lucem prestatre ita, ut homo egressus ad opus suum, & ad operationem suam, pertinere possit in ea usque ad Vesperum: juxta illud Ps. 103. v. 22. & 23. *Ortus est Sol . . . exhibet homo ad opus suum: & ad operationem suam usque ad Vesperum.* seu usque ad tenebras, & noctem, quando nemo potest operari. Joan. 9. 4. Cum igitur tempore praefato negotia sua in luce sine tenebris agant, ideo non immerito consueverunt illud inter horas computare diurnas; confer dicta superius n. 1. Cumque supponant (licet falso, ut videbimus infra cit. n. 20.) praedictum crepusculum luminosum durare quovis anni tempore per horas dimidium: hinc finem dici naturalis simul & usualis statuant media hora post Solis occasum.

Quoniamque tamē extendantur cre-

puscula serotina, & inspiciantur in ordine ad Lucandas Indulgentias concessas usque ad occasum Solis? notavimus supra n. 7.

S U B S. II.

De ratione computandi Horas diei naturalis, a media nocte ad Meridiem, & a Meridie ad medium noctem.

TLLI autem, qui exactiori, & comodiori ratione horas diei naturalis computant a media nocte ad meridiem, & a meridie ad medium noctem, dividunt viginti quatuor diei naturalis horas in duplex duodenarium horarum æquinoctialium, se æqualium. Computant itaque a media nocte ad meridiem duodecim horas; & rursus duodecima horas a meridie ad medium noctem. Unde prima sexaginta minuta post medium noctem elapsa vocant *primam horam*: deinde *secundam*, *tertiam*, &c. usque ad *duodecimam*, quæ semper accidit in meridie. 13

Post meridiem incipiunt computare alterum duodenarium, & rursus numerant horas primam, secundam, tertiam, &c. usque ad duodecimam, quæ semper coïcidit cum media nocte.

Qui juxta hanc rationem computant, & denominant horas diei naturalis, an loquuntur de primo, vel secundo duodenario? ex materia, de qua agunt, seu ex circumstantiis dignoscendum est, vel ex aliquo addito. Qui dicunt e. g. jejuniū solvi posse, seu in die jejuniū plenam refectionem sumi posse hora duodecima: plane intelliges, eos loqui de hora duodecima primi duodenarii, adeoque docere: sumi posse

se in meridie, in quem, juxta prædictam rationem numerandi horas diei naturalis, semper coincidit hora duodecima primi duodenarii. Contra vero qui dicunt: antequam audita fuerit hora duodecima, non posse frangi jejunium, aut carnes comedи in die Sabbati: jam vides, hos loqui juxta secundum duodenarium computatum a meridie ad mediam noctem, & nihil aliud velle, nisi quod in die jejunii, & abstinencie a carnibus, non possint carnes comedи, nec jejunium frangi, antequam fuerit auditum signum mediae noctis. Itaque in hac ratione numerandi, & computandi horas diei naturalis, ex materia, de qua agitur, seu ex circumstantiis dignoscendum est, an sermo sit de primo, an de secundo duodenario? Vel etiam, ut dixi, ex aliquo addito, puta noctis, & diei: ut si dicatur: hora duodecima diei, idest Meridies; & hora duodecima noctis, idest media nox.

S U B S. III.

De ratione computandi Horas Diei naturalis ab ortu ad occasum, & ab occasu ad ortum Solis.

14 **V**AM veniamus ad illos, qui horas diei naturalis computant, seu computabant ab ortu Solis usque ad occasum ejusdem: & ab occasu usque ad novum ortum Solis. Hi viginti quatuor horas diei naturalis in duplex duodenarium partiebantur; & primum quidem duodenarium horarum assignabant diei Artificiali, alterum nocti subsequenti. Diem itaque Artificialem, seu usualem, hoc est tempus fluens ab

ortu ad occasum Solis partiebantur in duodecim horas, seu partes inter se quidem æquales, at inæquales in se, idest majores, vel minores, juxta dierum usualium longitudinem, vel brevitatem; pro inæqualitate temporum, præter æquum: ut n. 3. dictum, & explicatum est; ac similiter partiebantur horas noctis, quæ sequitur post diem usualem: ut etiam loco cit. explicavimus. Primam deinde horam diei usualis incipiebant computare ab ortu Solis, & progrediebantur usque ad duodecimam, quam absolvebant in ipso Solis occasu; inde vero incipiebant alterum computare duodenarium horarum usualium nocturnarum, horam duodecimam usualem noctis absolventes in novo ipso Solis ortu. De hujusmodi horis diei usualis sermo est, & juxta hanc computationem dicitur Joan. 11. 9. *Nonne duodecim sunt horæ diei?* ut n. 1. notavimus. Porro Veteres præsertim Judæi, Romani, & Itali præfata utebantur ratione computandi horas diei naturalis ab ortu Solis ad occasum, & ab occasu ad novum ortum ejusdem; quem usum in Ecclesia perseveratè duodecim seculis, testatur Paulus Le Fort Monachus Cisterciensis in suo opusc. de antiquis & modernis horis c. 2. §. 3. & Julianus Parisius de prima vivendi ratione Cisterciensium par. 3. c. 1. §. 1. tradit: horis præfatis inæqualibus usos Cistercienses usque ad annum 1429.

Cum similis autem fuerit hujusmodi computatio, & denominatio horarum tempore lucis, & tenebrarum, an sermo fuerit de horis diurnis, vel nocturnis? ex circumstantiis dignoscendum erat; cæterum

so-

solebat etiam aliquando numero horarum adnecti distinctio diei , & noctis , ut , hora diei *tertia* , hora diei *nona* . Exempla proferamus nonnulla ex Evangelistis , & Actibus Apostolorum , quæ cum legi , & audiri soleant *sæpius* , notantur utilius . Sic Matth. 20. dicitur : quod *Paterfamilias* exiit primo mane conduce re operarios in vineam suam Et egressus circa horam tertiam . . . Iterum autem exiit circa sextam , Et nonam horam . . . Circa undecimam vero exist , Et invenit alios stantes , Et dicit illis : quid hic statis tota die otiosi ? Cum sero autem factum esset Eccl. Hic patet ex circumstantiis , seu ex contextu , omnes prædictas horas esse diurnas . Similiter Joan. 1. 39. dicitur : quod discipuli duo Joannis Baptiste quodam die secuti Dominum ambulanten , & ingressi locum habitationis ejus , apud eum manserunt die illo : hora autem erat quasi decima . Iterum Joan. 4. 6. dicitur : quod Dominus Jesus fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem . Hora erit quasi sexta . Venit mulier de Samaria baurice aquam . Eodem cap. v. 52. narratur : cuidam Regulo de Filio suo infirmo nunciatum fuisse , quia *beri* hora *septima* reliquit eum Febris . Ex præcedentibus autem ibi manifeste colligitur fuisse hora septima diei . At vero distinctio diei , & noctis apponitur in aliis sequentibus locis . Act. 2. v. 15. cum sit hora diei *tertia* & cap. 10. v. 3. quasi hora diei *nona* & c. 23. v. 23. a *tertia* hora noctis .

15 Sed notare hic etiam juvat : olim prædictas duodecim horas usuales nocturnas , seu totum tempus fluens ab occasu ad ortum Solis fuisse di-

visum in quatuor vigilias militares , ut ajunt , vel excubias , sive Custodias ; quarum singulæ constabant tribus horis prædictis inæqualibus pro inæqualitate temporum : atque adeo omnes quatuor prædictæ vigiliæ simul duodecim horas inæquales præfatas continebant . Primæ itaque tres horæ prædictæ fluentes ab occasu Solis vocabantur prima Vigilia , vel prima Vigilia noctis . Alterum ternarium vocabatur secunda Vigilia . Tertium *tertia* . Quartum quarta Vigilia noctis . De his vigiliis loquitur Lucas 2. 8. dicens : Pastores erant in regione eadem vigilantes , Et custodientes vigilias noctis super gregem suum . Et de prima quidem Vigilia videtur sermo esse Thren. c. 2. v. 19. consurge lauda in nocte , in principio Vigiliarum . Secunda vero vigilia exprimitur Lucæ 12. 38. Si venerit in secunda Vigilia . Et ibidem *tertia* . Si in *tertia* Vigilia venerit . De quarta autem Vigiliæ mentio fit Matth. 14. 25. quarta autem Vigilia noctis , & Marc. 6. 48. circa quartam Vigiliam noctis . Quæ quidem quarta Vigilia dicitur Vigilia Matutina Exodi 14. 24. Jamque advenerat Vigilia Matutina . Similiter 1. Reg. 11. 11. Ingressus est media castra in Vigilia Matutina . Similiter 1. Reg. 11. 11. Ingressus est media castra in Vigilia Matutina . Hæc porro noctis divisio sumpta creditur ex disciplina , & ordine militari : unde , ut innuimus , prædictas Vigiliæ dicebantur Vigiliæ militares . Etiam Judicum 7. 19. habetur : Ingressusque est Gedeon , Et trecenti vires , qui erant cum eo , in partem Castrorum incipientibus Vigiliis noctis me die .

Nec solum noctis tempus , quod se-

sequitur diem usualem, in quatuor partes dividi consuevit, sed & ipsum usum diem, credunt multi, teste Suarez loco infra cit. in alias partes quatuor similiter fuisse divisum; quarum similiter singulæ ternis horis prædictis usualibus conflarentur; quæque *Stationes* quatuor dicerentur; Ipsæ quoque ex ordine militari. desumptæ. Confer dicenda tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 2. n. 101. ubi de Indulgent. Station. Quamvis id nonnulli negent, eo quod de hujusmodi partitione diei usualis mentio non sit in antiquis Scriptoribus, nec in die fuerit illa necessitas, quæ in noctibus aderat. Sed certe etiam in die solent militares Custodiæ per certa tempora distingui, & commutari; & ideo non est improbabile, eamdem fuisse partitionem diei, & noctis, licet non eisdem nominibus nuncupatam; ut observat Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. de horis Canon. c. 3. n. 4.

Item apud Judæos similis partitio diei usualis in quatuor æquales partes inter se, at in se inæquales pro inæqualitate temporum, ut explicatum est, quarum singulæ tribus horis artificialibus, seu usualibus inæqualibus prædictis constarent, tertium est, in usu fuisse, saltem in ordine ad Orationem, vel occasione. quatuor Temporum diei, quæ ad peculiarem orationem erant designata: ut item observat Suarez l. cit. n. 6. Primam vero hujusmodi partem diei usualis appellabant *mane*, vel *primo mane*; alteram partem appellabant *horam tertiam*; deinde tertiam partem dicebant *horam sextam*; ac denique quartam partem diei usualis appellabant *horam nonam*. Hujusmodi autem horas, seu

quatuor partes diei usualis non habuisse, tradunt plerique, initium in principio illius horæ diei, a qua nomina sumebant; sed in fine; & sic hora tertia non incipiebat currere initio horæ tertiae diei usualis, sed ea finita; & hora sexta, finita sexta; & similiter nona, finita nona hora ab ortu Solis. Vid. Suarez cit. n. 6. Atque adeo dicebatur *hora tertia* totum tempus fluens a fine tertiae horæ usualis post ortum Solis, usque ad finem horæ sexta usualis post ortum Solis, deinde dicebatur *hora sexta* totum tempus fluens a fine horæ sextæ usualis post ortum Solis usque ad finem horæ nonæ usualis post ortum Solis; tandem dicebatur *hora nona* totum tempus fluens a fine horæ nonæ usualis usque ad finem horæ duodecimæ usualis post ortum Solis. Quod autem tempus fluens ab ortu Solis usque ad completam horam tertiam usualem non inveniatur appellari *hora prima*, sed *mane*, vel *primo mane*; nec nuncupata *prima*, quæ in dicto primo horarum ternario fiebat oratio, putat Suarez cit. n. 6. id fortasse ortum esse, ex eo, quia oratio prima diurna fieri poterat, vel debebat statim in ortu Solis, ante transactam, seu auditam primam diei horam: quod enim factum esse oportet, quando signum primæ horæ auditur, non dicitur proprie fieri in hora prima, sed ante illam; ita Suarez.

Ex notitia prædictæ divisionis diei usualis, juxta laudatam sententiam, facile erit conciliare Evangelistas loquentes de hora Crucifixionis Domini; licet enim Marcus c. 15. v. 25. dicat: Christum fuisse crucifixum hora tertia; ex Joanne vero

c. 19.

c. 19. v. 14. & Luca c. 23. v. 44. habeamus, fuisse hora quasi sexta: nihilominus omnes idem tempus, eamdemque indicant horam: nimirum horam quasi sextam ab ortu Solis, & Meridiem. Porro Marcus dicens: Christum fuisse Crucifixum hora tertia; loquitur de hora tertia sacra; videlicet de secundo ternario horarum fluentium ab ortu Solis, quod quidem ternarium, ut supra notavimus, totum denominabatur hora tertia; usque dum absoluta fuisset hora sexta ab ortu Solis, qua absoluta, incipiebat hora profana septima ab ortu Solis, & tertium ternarium sacram horarum, quod vocabatur hora sexta. Joannes vero, & Lucas dicentes, Christum fuisse Crucifixum hora sexta, seu quasi sexta: loquuntur de fine horæ sextæ profanæ, quæ erat sexta ab ortu Solis: atque adeo de fine horæ tertiae sacræ, & initio horæ sextæ sacræ; unde Marcus non contradicit Joanni, & Lucae, nec hi Marco, sed Marcum explicant, intelligendum videlicet illum esse de fine horæ tertiae sacræ: Itaque omnes laudati Evangelistæ idem designant tempus, eamdemque horam Crucifixionis Domini, nempe sextam, seu quasi sextam ab ortu Solis, atque adeo prope Meridiem. At juxta rationem computandi horas 24. diei naturalis ab occasu ad occasum Solis subsectione prima explicatam, designant horam sere decimam septimam cum dimidia, hac enim hora est Meridies, proxime post æquinoctium. Profecto proxime post Æquinoctium vernum passus est Dominus. Vid. Suar. cit. c. 3. n. 5. & to. 2. in 3. par. disp. 40. sect. 6. & dicenda tr. 2. in Dom. Re-

surr. n. 8. Juxta rationem vero a liam computandi horas diei naturalis a media nocte ad ~~meridiem~~, & a meridie ad medium noctem, subs. 2. explicatam, designant horam dici sere duodecimam.

Ex hac autem notitia diversarum rationum computandi horas diei, facile est conciliare Auctores in re morali, & intelligere, quo modo convenienter in designanda certa aliqua hora pro initio, vel termino adimplectionis alicujus operis præcepti. Sunt enim e. g. qui ad sumendum plenam refectionem in die jejunii designant horam sextam, alii horam duodecimam; alii autem dicunt, sumere plenam refectionem hora duodecima esse valde mane. Hi quidem Auctores inter se non pugnant; etenim primi, & secundi dividentes viginti quatuor horas diei naturalis in duplex duodenarium, designant idem tempus Meridiei; priores per horam sextam usualem, seu inæqualem ab ortu Solis; posteriores per horam duodecimam æquinoctialem, seu æqualem a media nocte. Tertii vero numerantes viginti quatuor horas diei naturalis a prima ad vigesimam quartam sine ulla interruptione, & computantes eas ab occasu ad occasum Solis; indicant per horam duodecimam tempus communiter proximum ortui Solis, & longe distans a meridie. Sit alterum simile exemplum. Dicit Azorius Instit. Moral. par. 1. lib. 7. c. 11. qu. 1. fine: consuetudine universalis esse introductum, ut jejunium solvatur ad horam sextam, vel paulo ante illam. Dicit autem Joannes Sanchez in Select. disp. 53. n. 2. Indulgendo enim jejunantibus, quod hora undecima queant se reficere,

la-

*latus terminus assignatur, infra quem
¶c. Jam vero si quis prædictas ra-
tiones numerandi, computandi, &
denominandi horas diei ignoraverit,
mirabitur Joannis Sanchez indulgen-
tiā; seu consuetudinis particula-
ris, de qua ipse loquitur, & sermo
erit art. 9. sect. 8. quæ enim indu-
gentia est, concedere, plenaria refe-
tionem in die jejunii posse sumere
hora undecima, cum dicat Azorius,
consuetudinem universalem permit-
tere illam hora sexta? Porro A-
zorius per horam sextam indicat
meridiem: Joannes Sanchez vero
per horam undecimam indicat ho-
ram unam ante meridiem; hic com-
putat horam undecimam æquinoctia-
lem a media nocte; ille horam sex-
tam usualem ab ortu Solis.*

*Ex circumstantiis autem, puta
materiæ, sive rei, de qua agitur,
dignosci facile potest, juxta quam
ex prædictis rationibus computentur
horæ diei naturalis; ut in adductis
patet exemplis. Ex quibus etiam
apparet utilitas explicatæ hastenus
doctrine de ratione varia computan-
di horas diei naturalis. Unde quo-
que dignoscitur, immerito Cardina-
lem de-Lugo de Euchar. disp. 20.
sect. 1. num. 42. fin. reprehendisse
Dianam, quolibet anni tempore sta-
mentem, horam nonam esse usque
ad tres horas post meridiem. Quid
enim si hora nona computetur jux-
ta rationem hanc præsenti subsecçio-
ne explicatam computandi horas
diei? Ex qua nimirum horæ com-
putantur ab ortu ad occulum So-
lis, & ab occasu ad ortum; ita ut
dies usualis dividatur in duodecim
horas, seu partes inter se quidem
æquales, at inæquales in se; id est
majores, vel minores, juxta dierum*

TOM. I.

usualium longitudinem, vel brevita-
tem, pro inæqualitate temporum!
Utique juxta rationem hujusmodi
computandi, & denominandi horas
diei, recte quolibet tempore anni
statuit hora noaa esse usque ad
tres horas post meridiem. In præ-
dicto igitur sensu Diana locutus re-
cte statuit, quolibet anni tempore
horam nonam esse usque ad tres
horas post meridiem.

S. U N I C U S.

*Quomodo in saeculis obseruentur
aliquæ horæ diei.*

*SED adhuc nota hic: Ecclesiastis
in persolvendis divinis Officiis 18
observare horam Primam, Tertiam,
Sextam, & Nonam. Has autem
horas computat secundum tertiam
rationem hic explicatam; scilicet ab
ortu Solis: sunt enim horæ Usua-
les; & quando designat, ad persol-
venda Officia Ecclesiastica, aliquam
ex prædictis horis usualibus, finem
illarum significat; ita ut e. g. illa
pars precum canoniarum, quæ vo-
catur *Tertia*, sic nuncupatur, quis
post ortum Solis hora tertia usuali
ex primaria sui institutione recitan-
da est, non autem initio horæ ter-
tiae usualis, sed fine; seu ita ut si-
mul cum fine horæ diei usualis ter-
tiae absolvatur recitatio precum ca-
noniarum eidem tertias horæ præ-
fixa: & sic de aliis. Vid. Suares
de Relig. to. 2. lib. 4. de horis
Canon. c. 15. n. 5. Merat. to. 2.
sect. 4. c. 4. n. 1. fine. Etsi dein-
de consuetudo mutaverit tempus de-
signatum ad persolvenda Officia Ec-
clesiastica; præfertim extra chorūm,
seu in recitatione privata; unde*

D nunc

nunc fere denominatio sola remansisse videatur precibus canonicis , ut patebit ex dicendis n. 56. ubi videbimus jam *Nonam* e. g. non ab ortu Solis hora nona usuali , sed multo ante recitari solere ; & sic de aliis . Licer ex dicendis item eodem citato n. 56. & 57. serventur adhuc , & servanda sint in recitatione etiam privata certa quædam tempora , seu horæ diei ad illas recitandas .

Vesperas item observat Ecclesia , præsertim in precibus Canonicis , quarum aliquæ nuncupatae sunt *Vesperæ* , quia Vespertino tempore per solvendas erant , sive noctis initio , sive paulo ante Solis occasum ut n. 8. notavimus . Ecclesia vero nunc computat tempus Vesperarum vel ab hora (naturali , seu æquinoctiali : recole dicta n. 4.) secunda post meridiem , ut in hyeme ; vel tertia post meridiem , ut in Aestate ; porro tunc in choro recitari solent predictæ preces Canonicæ , quas *Vesperas* nuncupamus : uti etiam observavimus cit. n. 8. Hora autem Usuali undecima ab ortu Solis ; hoc est una hora ante Solis occasum , recitari solet in Choro illa pars precium Canonicarum , quæ *Completorium* vocatur , quia est complementum , & finis totius Divini Officii , & simul proximus est finis diei usualis ; et si olim recitaretur post finem diei usualis ; vide dicenda n. 56.

Illas adhac quatuor Vigilias noctis , in quæs dividebatur olim nox , juxta tertiam rationem computandi horas diei naturalis subseptione hæ explicatam , observat aliquo modo Ecclesia ; nam pro tribus primis Vigiliis noctis sepiissime habet tres Vi-

giliæ nocturnæ , seu tres *Nocturnos* Officii Divini ; confer dicenda n. 73. & Mer. t. to. 2. sect. 4. c. 1. n. 3. fine . Quos nocturnos vocamus *Matutinum* , quia nunc Matutino tempore communiter recitantur in Choro , appropinquante Sole ad ortum ; vide dicenda n. 56. Pro quarta autem Vigilia matutina habet *Laudes* istidem matutinas ; ut obtervar Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. c. 4. n. 3. & c. 5. n. 3. fine . Quamvis aliter Vigiliæ predictas accommodet Amalarius de Ecclesiast. Offic. l. 4. c. 7. ubi hæc haber : *Aos* , qui militamus Deo , quater in nocte Vigiliæ renovamus , cum bi , qui seculo militabant , per quatuor vigiliæ findebant noctem in Castris , ne irrumperentur Castra ab inimicis infidianis . Nostras quatuor Vigiliæ in nocte solemus recitare ; *Vespertinum* , *Completorium* , *Nocturnum* , & *Matutinum* . Seu *Matutinum* , & *Laudes* : confer dicenda n. 56.

Ex his autem habes notionem denominationis singularum partium Officii Divini . Cur nimis pars una dicatur *Matutinum* , vel *Nocturnus* , seu *Nocturnum* utroque enim modo dici potest : vide Burium in brevi notit. Roman. Pontif. in Onomastico etymologico , V. *Nocturnus* . Sed & in genere scemlinno usurpat Amalarius in Antiphonar. c. 15. & alibi , atque Micrologus de Ecl. observat. c. 40. & alibi) vel *Nocturnum Vigilæ* , aut *Vigilæ nocturnæ* ? prout diversimode loquuntur Scriptores . Cur etiam ut plurimum *matutinum* dividatur in tres partes , seu in tres nocturnos ? Cur *Laudes* sub *Matutini* nomine complectantur ? Quare pars altera nuncupatur *Prima* , & alia *Tertia* , hæc *Sexta* , & il-

& illa *Nona* dicatur? Cur *Vesperæ*, & *Completorium*? Et quoad hæc præter *Auctores laudatos*, videri respective potest *Azorius instit. Moral.* p. 1. l. 10. de hor. *Canon.* cap. 2. *Tancredi de Relig.* tr. 3. l. 4. de hor. *Canon.* disp. 2. qu. 2. *Jo. Maldonat.* in *Matth.* c. 27. v. 45. *Joan. Beleth de Divin. Offic.* c. 20. & conferantur dicenda n. 56.

ARTICULUS II.

19 Qu. II. VN Regionibus Septemtrionalibus prope Polum, in quibus per sex Menses habetur perpetuus dies, seu lux; & per alios sex perpetua Nox; nempe ab uno sequinoctio ad alterum: quomodo computandus, seu accommodandus sit dies naturalis, & distinguenda diversa ejus tempora, in ordine ad præcepta Ecclesiastica? E. G. pro initio jejunii naturalis ad sacram Communionem requisiti; pro hora celebrandi Missam? &c.

R. In hujusmodi Regionibus, & Orbis terræ Plagis Ecclesiasticorum dierum initia a moribus, & consuetudine communiter ibi recepta petenda sunt; nimirum ab eo tempore, quo Regionum illarum Incollæ aut laboribus sese communiter exercere incipiunt, aut quieti indulgent; ita *Benedictus XIV.* de *Synodo Diœces.* l. 6. c. 8. n. 16. *Merat.* to. 1. par. 3. tit. 9. n. 1. Porro in hujusmodi Regionibus jam erunt termini designati post aliquam operationum periodum, ad sumendum alimentum, quibus Ecclesia præceptum jejunii naturalis ad communionem requisiti, & horam etiam sacrificandi accommodet; ita *Francis. de Lugo de Sacram.* l. 4

de *Euchar.* c. 7. qu. 5. n. 43. *Suzarez* to. 3. in 3. par. disp. 68. sect. 4. 9. dico tertio fine. Idem significat *Uasquez* 3. par. disp. 211. c. 3. n. 32. Et quidem pro Aurora, in qua est initium celebrandi Missas, habetur Decretum expressum S. C. R. 18. Sept. & 2. Novembris 1634. in una Missalis Romani, hujus tornoris: *Ubi non est Aurora physice, pro licita Missarum celebratione attendatur ea moraliter, & politice, quando scilicet ibi terminari solet, hominum quies, & incœari labor, juxta probatam Regionum consuetudinem: apud Meratum indic. Decr. Miss. n. 276. & apud Caval. to. 3. c. 12. d. 8. & Gavant. in Rubr. Miss. par. 1. tit. 15. n. 1.* Qui post prædictum decretum subdit: *Qua re opportunam movente questionem Theodosio Rubeo in Mathematicis peritissimo, iussu SS. D. N. Urbani VIII. in pleniore Congreg. coram Eminentiss. Card. Oregio, ea bene discussa, ivimus omnes in banc eamdem sententiam die 18. Septemb. 1634.* Hæc Gavantus, & videri rursus potest laudatus *Benedictus XIV.* loc. cit. ubi etiam prædictæ meminit Sacras Congregationis definitionis, & an madvertit: *fas esse Romano Pontifici Ecclesiasticarum dierum limites statuere, absque eo quod media noctis, vel Aurora physica momenta inspiciat accuratius.* Confer dicta art. præced. n. 10. fine; sed & vide dicenda art. 6. n. 25. fine.

ARTICULUS III.

Qu. III. VN ordine ad servanda præcepta Ecclesiastica temporis affixa diei, quandonam putandum sit, adesse tale determinatum

D 2 tem-

tempus diei, puta medium noctem, meridiem, horam nonam? &c.

& Quando designant Calendaria approbata, & horologia communiter bene regulata. Hęc est consuetudo in Ecclesia recepta, cui omnino standum est, ut optime ostendit Cardenas in Crisi par. 2. tract. 3. de Legib. disp. 26. c. 4. qui videri potest, ira etiam La-Croix l. 1. de Legib. qu. 83. §. 3. Sic e.g. in Locus, quę sunt sub elevato Polo per gradus triginta novem, ut est nostra Sicilia, die vigesima prima Martii punctum medię noctis signatur hora quinta cum dimidia: (juxta rationem computandi horas diei naturalis ab hora dimidia post Solis occasum, subl. 1. explicatam, qua nos Siculi utimur): a Calendariis approbatis (ut in Tabella J. Merati to. 1. par. 5. pag. mihi 346.) Igitur punctum Ecclesiasticum medię noctis in locis prefatis die 21. prædicta erit, quando horologia communiter bene regulata derident signum horę quintę noctis cum dimidia. Dixi: horologia *communiter bene regulata*: quia horologia negligenter directa non habent vim opinionis probabilis, sed sunt veluti homines, quos scimus solere mentiri, quorum dictis nullam fidem adhibemus; ut cum aliis animadvertisit La-Croix lib. 4. qu. 63. §. 3. In casu autem, quo nullum adsit horologium bene ordinatum: undenam dignosci debeat, quęnam hora sit, quodque diei tempus? Dicemus art. 5.

Non solum horologia sonantia, sed etiam solaria admissa sunt ex consuetudine Ecclesie. Hęc autem in paucis præceptis locum habere solent; enimvero plures, & præcipue

difficultates funt quoad punctum medię noctis, & in præceptis incipientibus, & desinentibus in media nocte: quia hęc finis antecedentis, & initium subsequentis diei naturalis, civilis, & Ecclesiastici est, secundum dicta n. 4. & 5. Sed neque excludit consuetudo Ecclesiastica horologia nocturna; si constat illa non exorbitare nimis. Quę notat, & docet Cardenas in Crisi cit. disp. 26. c. 5. n. 71. Docet etiam Diana, quod cum media nox tunc sit, & completas antecedens dies, quando Sol incipit ascendere ad nostrum Emisphærium; si quis noctu ex aspectu stellarum, vel aliquide sciret agnoscere eamdem medium noctem, & tempus parvum illud, in quo Sol nostro Emisphærio ascendere incipit: licet ante illud tempus sonuerint omnia horologia loci, posset absque fratione jejunii naturalis sequentis diei, comedere, & bibere usque ad illud tempus, in quo novit Solis ascensum incepisse; nam, inquit, Ecclesia obligat nos, ut nos conformemus horologiis, solum in supplementum, scilicet quia ordinarie, & communiter, aliter medię noctis cognitio non potest haberi; ita Diana. Sed Franciscus de-Lugo de Sacram. l. 4. de Euchar. c. 7. qu. 5. n. 53. affirmit, quod inter media dignoscendi punctum medię noctis, tanta sit auctoritas unius horologii compositi mediocriter cum cursu Solis, ut regulariter non relinquat, aliis indicis alterius generis prudentem probabilitatem, nec moraliter suspectat conjectura prudens, ad probabiliter opinandum oppositum; ita de-Lugo. Qui tamen fortasse non excludit hujusmodi prædictum indicium.

cium, de quo loquitur est Diana; sed alias vulgares conjecturas; alias que excludit indicia, quae communiter occurtere possent.

Cum dictum sit: non solum horologia sonantia, sed etiam Solaria attendi posse in ordine ad servanda præcepta affixa temporis: animadvertisendum est, horologia Solaria corrignenda esse, seu potius accommodanda ad horologia rotalia; videlicet horas solares accommodandas sunt ad horas civiles, quarum signum dant horologia civilia, seu rotalia. Sciendum enim est, horologium solare dare signum per styli umbram, aliquo tempore antequam det horologium civile, seu rotale italum, campanæ sonitu. Hujusmodi autem tempus communiter ponitur (licet falso, ut statim videbimus;) esse semper hora dimidium. In eo punto e.g. quo Sol infra nostrum Emisphærium se se abscondit, horologium rotale, loquendo juxta primam rationem supra explicatam, n. 12. computandi horas diei naturalis, dat, (in æstate) signum horas vigesimæ tertiaræ cum dimidia; ubi solare tunc ostendit horam vigesimam quartam. Cujus differentię ratio, ex Tamburino in Decal. lib. 2. c. 5. §. 5. n. 4 ea est, quia horologium rotale indicat horas civiles; Cives autem uti notavimus cit. n. 12. usque ad medium illam horam appetentis noctis, durante post Solis occasum crepusculo luminoso, negotia sua, sufficienti luce, sine tenebris prosequuntur; atque adeo inter horas diurnas computant tempus præfatum. At horologium solare, cum adamissim notet cursum Solis, recte signat horam vigesimam quartam in ipso punto oc-

casus, quando vere corpus ipsum solare se se subducit a nobis, nontemque parere incipit. Et inde etiam est, ut idem Tamburinus observat; quod civiliter minime computemus primam illam dimidiæ horam, quam Sol oriens signat styli umbra in solaribus horologis; cum enim dies naturalis, ut dictum est n. 2. constet horis vigintiquatuor, si illam primam dimidiæ horam, ab oriente Sole signatam, in horis civilibus computaremus, eo ipso hora vigesima quarta civilis dari oportet dimidia hora antequam tenebrae fierent; quod attamen videatur minus rectum, & foret incommode pro negotiatione civili; Cives enim, ut diximus, usque ad medium illam horam, appetentis noctis coepit negotia, indigentia lucis, sine tenebris prosequuntur, propter Solis crepusculum luminosum: atque adeo intra diem usualem computant semihoram illam. In hujus itaque gratiam rei, dispositum civiliter est, ut horologia civilia, & rotalia dent signum per pulsum campanæ, communiter media hora postquam det, sive signet per styli umbra horologium solare.

Dixi: communiter: hoc est quasi pingui minerva, ut Tamburinus ait; enimvero vespertinum crepusculum luminosum falso, communiter ponitur, esse semper idem, semperque horas dimidium perdurare. Perfecto vespertinum Crepusculum luminosum (quod incipit a Solis occasu estque tertia pars totius Crepusculi Vespertini): non est semper idem per anni decursum: sed modo augetur, modo minuitur pro temporum varietate; ita ut in hyeme non nisi per quadrantem duret;

in

in Autumno autem , & Vere per quadranteum cum dimidio; in Aestate quidem per medium horam : sed & perducitur ad tres quadrantes & ultra in Solstitio aestivo , praesertim circa Tropicum Cancri ; prout recentiores , & peritiores Mathematici in suis observationibus agnoverunt , teste Merato to. I. in Gavant. par. 5. in novis observationibus , & ad dit. ad tabul. Theodos. Rub. pag. mihi 345. col. 1.

Licet autem id ita se habeat , nihilominus cum praedictum Vesperinum Crepusculum luminosum jam plerique crediderint , esse semper idem per totum anni circulum , semperque durare spatio horae dimidiae communis ideo Italorum usus , eodem teste Merato l. cit. haec tenus habet procedendi semper cum differentia medietatis horae , seu minutorum triginta inter horologium solare , & Campanæ , sive Rota : ita ut istud moderentur , cum subtractione medietatis horae a solari . Sed & quamplures Mathematici , qui Tabulas supputarunt ad construenda horologia solaria Italica ad tramites Horologii campanæ , seu rotalis , juxta talem prefatam regulam processerunt ; & ita etiam procedit Meratus ipse in reducendis Tabulis Theodosianis ad normam horologii Italici .

Itaque ut superius dicebamus , in ordine ad servanda præcepta affixa temporis , attendi possunt horologia etiam solaria , accommodando atamen eadem ad horologia Rotalia , & campanæ , modo haec tenus explicato .

Animadvertisendum insuper est , inveniri horologia nonnulla solaria *ad sonum campanæ* , ut vocant : ni-

mirum ita sunt delineata , ut non habeant praeditum excellum pre horologiis Campanæ , sive Rotalibus : sed per styli umbram ostendant , atque designent horam eamdem , quam horologia civilia , atque sonantia , quemadmodum innuimus supra . Atque adeo qui vult se dirigere per horologium solare , cognoscere debet , & scire , utrum *ad sonum Campanæ* sit delineatum , vel non ? Debet enim computari hora civiliter ; seu prout datur ab horologiis rotalibus in ordine ad servanda præcepta affixa temporis .

Denique , cum ex una parte superius statuerimus , tale determinatum tempus , puta Meridiem , medium noctis &c. adesse , quando designant *Calendaria approbata* : & ex alia parte in Calendariis non soleant omnes dies mensium adnotari , in quibus pro varietate perpetua cursus Solis variat punctum meridiei , medie noctis &c. ideo si quis voluerit pro diebus non expressis tam horam , quam minuta exacte cognoscere , in quibus incidat punctum Ecclesiasticum meridiei , medie noctis &c. videre potest , atque adhibere regulam brevem traditam a Merato , atque expositam to. I. par. 5. post initium . §. *Saperest hic adverendum.*

ARTICULUS IV.

Qu. IV. *Quomodo dignoscendum* 21
fit adesse Auroram ,
sive ejus initium , *cum in illius ascensu ponat Ecclesia tempus pro initio celebrandi Missas* ; *sicut in meride finis est celebrandi* .

R. Initium quoque ascendentis Aurore fumendum esse ex Calendariis

Nis approbatis, & horologiis bene directis eodem modo, quo ex iisdem sumitur initium mediae noctis, unde incipit dies naturalis civilis, & Ecclesiasticus. Sicut itaque postquam ex Calendariis approbatis cognovimus tempus, seu horam praecisam, in quam cadit initium mediae noctis, unde incipit dies praedictus, ubi horae illius audiverimus signum dari ab horologio communiter bene ordinato, tenendum est, jam noctem in suo cursu medium iter habere: ita similiter postquam ex iisdem Calendariis approbatis cognovimus tempus, seu horam praecisam, in quam cadit initium Aurora; ubi horae illius audiverimus ab horologio bene ordinato signum dari, tenendum est, quod tunc ascendat Aurora, & ejusdem adsit initium. Vide dicenda n. 25. & 47. Ubi autem non est Aurora physice, eam attendendam esse moraliter, & politice; docuimus, & explicavimus art. 2. sed & videantur dicenda eit. n. 25. fine.

ARTICULUS V.

22 Qu. V. *U*nus nullum adsit horologium, quomodo dignosci debeat, adesse tale determinatum tempus diei; puta medianam noctem, meridiem, horam Nonam etc.?

B. In hujusmodi casu conjecturas probabiles habebunt vim horologii; ita Garcias de Benefic. par. 5. c. 1. n. 526. Castropal. de virtutib. par. 2. tr. 12. de Benefic. disp. 2. pu. 22. §. 2. n. 1. La-Croix l. 1. de Legib. qu. 83. §. 5. n. 586. Cardens tract. 3. de Legib. disp. 27. c. 10. n. 114. Quas conjecturas duci

poterunt ex cursu siderum in nocte, & ex cursu Solis in die, vel ex judicio simili prudentum. La-Croix l. 4. qu. 63. §. 3. n. 487. Francis. de-Lugo de Sacram. l. 4. de Euch. c. 7. qu. 5. n. 53. Garcias, Castropal. l. 1. cit. Ex Gallitanis vix aliquid certi colligi potest, cum tempora mutet; nisi per experientiam aliud sciretur. Garcias, Castropal. La-Croix l. 1. cit. Haec dicta pro casu, quo nullum esset horologium, intelligenda sunt etiam de casu, quo adesse quidem unum aliquod, sed ordinarie aberrans; hujusmodi profecto horologis nulla esset ratio habenda: horologia enim; quae negligenter diriguntur, non habent vim opinionis probabilis, sed sunt veluti homines non digni fide, quia sciuntur sepe mentiri; ut cum La-Croix, & aliis animadvertisimus n. 20.

Hic tamen animadvertendum est: 23 quod ex prudentibus indicis judicans quis probabiliter, adesse vel nondum adesse talen horam, puta medianam noctem; cum simplex, & mera probabilitas non tollat dubium de opposito; & in dubiis melior sit conditio possidentis. Hinc in eo casu, quo quis mere probabiliter judicaverit, adesse, vel non adesse talen horam; stare quidem potest pro sua libertate, si libertas possideat; si tamen possideat obligatio precepti alicujus, illi stare debet, & libertas manet ligata. Videantur omnino dicenda art. 10. n. 84. & 85.

Sed quid? si post adhibitam etiam diligentiam & inquisitionem, conjecturas quoque probabiles desint, nec ultum formari possit judicium prudens, quod adsit, vel non talis ho-

hora. In hoc casu res decidenda est ex generalibus regulis dubii negatiyi, suspicionis, & ignorantiae; in quibus, quamvis tutius sit, & per se melius, favere praecepto; nihilominus potest resolvi, & adhuc statari pro libertate, quam prudens adhuc ratio non exclusit, si hec possideat; secus omnino standum erit pro alio possidente, puta pro praecepto. Sic si nullum adsit horologium, & post adhibitas alias diligentias, & inquisitiones ad dignoscendum, an adsit media nox? adhuc nullas possis habere conjecturas ad judicandum, illam adesse, vel non; aut licet aliquas habeas, sint tamen admodum leves; (videri potest La-Croix l. 1. de conscient. qu. 11. §. 4. & 5.) in hoc casu, si Officium divinum e. g. non explevisti, teneris explere. Si hodie sit dies abstinentiae a carnibus, non potes illas comedere; & si adhuc sit jejunitum perfectum, non potes illud solvere; & si sit festus dies, opus servile excludens, non potes hoc exercere; quia possessio stat pro lege. Contra vero si cras sit feria sexta, potes nunc comedere carnes. Si cras sit jejunium, potes nunc plenam refectionem sumare. Si cras sit dies festus, potes nunc laborare; quia possessio stat pro libertate.

Dixi: post adhibitam diligentem inquisitionem: quia, si quis negligat inquirere, & interim operetur contra praeceptum, aut alienum jus, peccat; eo quod tenetur inquirere: utrum possessio stet pro libertate, vel pro lege, seu jure alieno? Quod si negligat, malae fidei possessori assimilatur; ita in simili Tambur. in Decalog. l. 1. c. 3. §. 7. lit. C. Verb. Censura n. 3. & Lit. E. verb.

Euchar. n. 3. Vide etiam La-Croix l. 1. de Conscient. qu. 12. §. 1.

ARTICULUS VI.

Qu. VI. Si Lex praecipiat aliquid pro certo tempore, aut connotet determinatum tempus; utrum hoc intelligi debeat preter propter, seu circiter, plus, minus 24 ve?

R. Ita quidem Caramuel est opinatus, opinionemque suam acriter tuetur in Theol. Regular. disp. 103. n. 1328. quam opinionem sequuntur sunt Tancredi, & Chiavetta; pro eadem quoque citantur Pasqualigus, & Verricelli. Et quidem Caramuel, & Pasqualigus, hoc plus, minusve volunt esse unum quadrantem. At vero Chiavetta Consult. 24. a n. 5. & Tancredi de Relig. tr. 3. l. 4. disp. 14. n. 2. & 4. solum concedunt medium quadrantem similiter ad semiquadrantem limitat Verricelli apud Autores infra laudandos, in locis ubi unicum est horologium; in eis vero ubi plura sunt, arctat ad moram, in qua Salutatio Angelica valeat recitari. Sed hi contra communem Theologorum opiniones, audiendi omnino non sunt; unde tenendum est tanquam certum, quod tempus per praecepta Ecclesiae (idem est de secularibus): statutum, vel connotatum computari debeat non preter propter, seu plus minusve: sed de momento ad momentum: non quidem mathematice; quia momenta mathematica non sunt a nobis cognoscibilia: cum nesciamus, quænam puncta temporis imaginarii Sol, aut Cœli nunc attigerint; sed attendi debet de momento ad momentum practice, &

Ec-

Ecclesiastice : id est sicut ex voluntate, vel consuetudine Ecclesie designatur per Calendaria approbata, & horologia communiter bene regulata : ut dictum est art. 3. Videatur Cardenas in Crisi par. 2. tr. 3. de Legib. disp. 27. c. 2. & sequentib. La-Croix l. 1. de legib. quæst. 83. §. 2. & 3. Diana edit. coord. 10. 2. tr. 1. a R. 111. ad 114. & R. 250. §. 3. Andreas Mendon in Statera opin. benign. dissert. 8. qu. 1. n. 7. Sanchez de Matrim. to. 1. l. 2. disp. 24. n. 16.

Tunc igitur adeat hæc, vel illa hora diei, statim ac illam connotant horologia communiter bene directa ; ita ut si cras debeas communicare, potes hodierna die paulo ante medium noctem comedere, aut bibere ; at paulo post non potes quidquam manducare, aut bibere ; sed statim ac datur signum horæ illius, in qua ponunt Calendaria medium noctem, adesse putanda est media nox, unde incipit dies Civilis, & Ecclesiasticus ; ita ut si paulo post comedas, aut bibas, non poteris communicare. Vide dicenda n. 45. Similiter in præcepto abstinenti ab operibus servilibus ; si hodie sit Festum, non potes paulo ante medium noctem laborare ; poteris autem statim post signum mediae noctis : & contra, si cras sit Festum, potes paulo ante medium noctem laborare ; non poteris autem statim post signum mediae noctis. Sic in præcepto jejunii, abstinenti a carnis &c. Ita Auditores laudati, & Theologi communiter.

25 Num autem tempus etiam Aurora sumendum sit practice, & Ecclesiastice ? Negat La-Croix lib. 6. par. 2. qu. 29. §. 3. & 5. ubi do-

TOM. I.

cet ex Quarto, tempus Aurora sumendum esse non mathematice, sed moraliter ; quia, inquit, tempus Aurora resciri non potest, nequidem secundum punctum temporis Ecclesiastice sumpti ; ita La-Croix. Est qui id confirmet, afferatque, constare plane ex Decreto S. C. R. 18. Septembr. & 2. Novembr. 1634. hujus tenoris : *Ubi non est Aurora physice, pro licita Missarum celebrazione, attendatur ea moraliter, & politice ; quando scilicet ibi terminari solet hominum quies, & incubari labor ; juxta probatam Regionum consuetudinem.* Sed contra est, cum potius ex allegato Decreto plane constet oppositum. Profecto prædictum Decretum, per se patet, non loqui universaliter, & absolute ; sed limitate, & exceptive pro locis illis, ubi non est Aurora physice : pro quibus equidem allegavi illud art. 2. Cum autem exceptio firmet regulam in non exceptis : ut Juristæ passim dicunt, & desumunt ex variis textibus Juris Civilis, & Canonicis : plane ex laudato Decreto constat, quod ubi sit Aurora physice, non possit attendi ea moraliter ; adeoque tempus etiam Aurora, sive ejus initium sumendum est practice, & Ecclesiastice ; & solum excipiuntur Regiones illæ, in quibus non est Aurora physice ; eadem ratione, qua licet tempus mediae noctis sumendum sit practice, & Ecclesiastice ; excipiuntur tamen Regiones illæ, ubi non est media nox physice : secundum dicta cit. art. 2.

Dico itaque : in tempore item Aurora, seu ad computandum ejus initium, attendendum esse momentum practicum, & Ecclesiasticum ; videlicet ut in illa hora censeatur

E

adef.

adesse Aurora , seu ipsius initium ; quam pro temporum varietate designant Calendaria ; ut art. 4. docuimus : Hæc profecto tempus etiam , seu initium ascendentis Auroræ noctare solent . Tunc autem est illa hora , quam designant Calendaria , quando illam dant horologia communiter bene directa . Recole dicta art. 3.

Ubi vero non est Aurora physice , attendatur ea moraliter : juxta laudatam declarationem S. C. R. similiterque attendantur ibidem alia tempora diæi in ordine ad præcepta Ecclesiastica affixa tempori , secundum dicta art. 2. Cæterum , si in hujusmodi Regionibus per sonum horologii , aliove modo daretur signum , quod statutum foret , haberet pro puncto medie noctis , seu pro fine præsentis , & initio sequentis diei Civilis , & Ecclesiastici : pro initio Auroræ : pro puncto Meridiei : dicerem : in ipsis quoque punctum medie noctis , & Auroræ , seu initium diei , & Auroræ , punctumque meridiei non attendendum esse moraliter , sed ad momentum prædice , & Ecclesiastice ; quando scilicet daretur prædictum signum .

A R T I C U L U S VII.

26 Qu. VII. Si horologium designet horam per plures pulsus , quandam putandum sit , adesse horam , in primo pulsu ; an in ultimo ?

R. Communius Doctores fastinent horam adesse in primo pulsu , ita ut reliqui sint post horam , & ponantur , ac dentur , quia diversitas horarum non potest significari per unicum , & similem pulsum : ideo variis

juxta varias horas dantur , & multiplicantur ; statim ac autem datur primus pulsus , per se jam adest hora . Cæterum probabile est , adesse in ultimo pulsu . Pro hac quæstione videatur Garcias de Benefic. par. 5. c. 1. n. 524. Castropal. de virtutib. par. 2. tr. 13. de Benefic. disp. 2. pu. 22. §. 2. n. 1. La-Croix I. 4. qu. 63. §. 2. n. 486. Diana to. 2. edit. coord. tr. 1. R. 112. §. 3. & R. 114. & 250. Franciscus de-Lugo de Sacram. I. 4. de Euchar. c. 7. qu. 5. a n. 49. Cardinalis de-Lugo de Euchar. disp. 15. sect. 2. n. 37.

Ait autem La-Croix I. cit. fine , quod si in horologio sit litus Campanatum , hic est ante horam . Profecto sic alicubi datur signum meridiei , & medie noctis : nimirum Campanæ horologii per aliquod modicum tempus , puta per aliquot minuta , sonant nonnullis iteratis , & modice intervallatis pulsibus , quos Siculi vulgo dicimus Tocobi . Tunc igitur vult La-Croix esse medianam noctem , & meridiem , quando datur ultimus pulsus litus Campanarum . At vero Chiavetta Consult. 24. n. 8. significat , prædictos pulsus indicantes medianam noctem , & meridiem dari post punctum medie noctis , & meridiei . Ego autem puto , hoc pendere ex arbitrio diligentis , seu constructoris horologium : ac proinde in praxi standum præcommuniter usurpatetur .

AR.

ARTICULUS VIII.

27 Qu. VIII. **U**TTRUM , ubi nullum adsit horologium , admitti possit latitudo moralis in assignatione puncti fixi medie noctis , meridiei ? &c.

R. Affirmative : nam in hoc casu est præcisa necessitas admittendi prædictam latitudinem moralē . Quia triplex datur modus dignoscendi punctum mediæ noctis , meridiei &c. Primo mathematice ; Secundo præfice juxta usum Ecclesiæ ; tertio moraliter : per quod intelligi volo , ut quantum moraliter fieri potest , judicio prudenti attingatur punctum , & momentum ipsum practicum , & Ecclesiasticum mediæ noctis , meridiei &c. Jam vero non potest ? nobis punctum mediæ noctis , meridiei &c. dignosci mathematice , ut dictum est art. 6. n. 24. Nec in prædicto casu casentia horologii potest dignosci præfice : cum punctum , & momentum practicum desumendum sit ex horologio . Restat ergo , ut recurvatur ad tertium modum , quo moraliter dignoscetur ; hic autem est , uti jam dixi , quod quantum moraliter fieri potest , judicio prudenti attingatur punctum , & momentum ipsum practicum mediæ noctis , meridiei , ec. Quid si forte parum quid abduc deſit , vel præterierit ex hora prædicta , nihil obest , cum excusat necessitas , & inculpabilis ignorantia . Et hanc latitudinem moralē in presenti casu admittit Franciscus de Lugo de Sacram. lib. 4. de Euchar. c. 7. qu. 5. n. 53. ubi loquens de jejunio naturali ad Communioaem requisito , quod servari debet a media nocte ;

hec habet . Ubi nullum est horologium , vel illud non indicat punctum modie noctis ; dico , dari latitudinem moralē in illius assignatione ; nam cum id punctum nequeat mathematica dignosci , facile quisque poterit ex indiciis judicare , se nihil post medium noctem trajecisse ; quamvis aliquid revera parum post medium noctem trahucerit .

Sed est animadvertisendum hic , quod , si quis deinde comperiat certitudine morali , se revera ante , vel post illam horam , fecisse aliquid , ante vel post quam non poterat illud facere : in hoc casu non obstante illo priori judicio , quantumvis sibi prudens visum fuerit , & ratione fundatum ; manet ligatus vel lege , si adhuc ipsam convenienti tempore non explevit ; vel impedimento , si quod tale ex facta utcumque actione consequitur . Rem clariorem faciamus exemplis . Velit quis recitare Matutinum crastinum , designemus ei horam , post quam ex legitima consuetudine possit , sed non antea , recitare illud ; puta horam secundam , vel tertiam &c. post meridiem ; si prædictam horam ex horologio cognoscere non possit , potest ex aliis indiciis prudentibus , ex quibus ductus incipiat recitare Matutinum . Hoc autem postquam absolverit , comperiat certo moraliter , se incepisse recitare Matutinum crastinum uno quadrante e. g. ante horam licitam ; in hoc casu tenetur illam saltem primam partem Matutini illo priori quadrante recitatam iterum recitare , quia recitavit , quando non poterat satisfacere præcepto : atque adeo est , tanquam si non recitasset . Similiter cum pro reliquis horis Canonis dies compus-

tetur a media nocte ad medium noctem; putans quis adesse medium noctem, recitet Primam: sed deinde comperiat certitudine morali, se talem horam recitasse ante medium noctem, atque adeo extra diem illi præfixum: tenetur Primam iterum recitare. Vide dicenda art. sequent. 11. sub. 5. 78. Rursus, si quis probabiliter judicans, nondum esse medium noctem, comedat, aut bibat; sed deinde comperiat certitudine morali, se comedisse, aut potum accepisse post medium noctem; illud prius judicium, quantumvis prudens visum fuerit, & ratione fundatum, nihil tamen jam prodest ad annullandum impedimentum Communionis, sed est revera impeditus, & Communio ipsi manet illicita. Favet Cardenas in Crisi par. 2. tr. 3. de Legib. disp. 27. c. 10. n. 185. ubi hæc habet: Si dubius de media nocte biberis, & dia accidente, certitudine morali comperebis, te accepisse potum post medium noctem, nihil prodest illud prius dubium, immo neque probabilitas conjectura præcedentis, ut annulletur impedimentum communionis. Et ita non poteris licite suscipere sacram Synaxis. Hæc ille.

Contra vero si quis sibi proposuerit, communicare mane sequenti; at vero nocte præcedenti ardenter sitim e. g. ferre non valens, bibat, judicans præterisse medium noctem, adeoque deponat propositum communicandi; deinde tamen comperiat certo moraliter, se bibisse ante medium noctem, & non postea; in hoc casu poterit mane communicare: quia utetur jure suo, cum nullo modo manferit ligatus & sic ei prodesse non poterat judi-

cium suum quantumvis prudens, si per illud putasset, se bibisse ante medium noctem, prodesse, inquam, non poterat, postquam comperisset, se revera bibisse post medium noctem; sic neque ei potest obesse, quod putaverit, se bibisse post medium noctem, postquam compererit, se revera bibisse ante medium noctem. Favet cum Bernal Diana to. 2. edit. coord. tr. 2. R. 57. §. 9. ubi ponit exemplum alicujus, qui communicaverit ante medium noctem, putans illam præterisse; & cum Bernal docet: posse post medium noctem, id deprehendens, iterum communicare, etiamsi, inquit, post primam Communionem cibum sumpserit, dummodo sumpserit ante medium noctem, quia suo jure utetur.

ARTICULUS IX.

Qu. IX. **T**RUM in omnibus præceptis Ecclesiæ tempus connotantibus attendendum sit explicato modo punctum, & momentum prædicum, & Ecclesiasticum ita ut graviter in omnibus, & quibuslibet delinquatur, si quid etiam parum prorogetur, aut diminuat tempus præscriptum a lege?

R. In omnibus preceptis Ecclesiæ tempus connotantibus, & temporis affixis attendendum quidem est explicato modo punctum, & momentum prædicum, & Ecclesiasticum; verum non ita; ut in omnibus, & quibuscumque graviter semper delinquatur, si quid etiam parum prorogetur, aut diminuat tempus præscriptum a Lege: sed datur aliquando parvitas quantitatis in hujusmodi tempore: scilicet quoties ex fine, vel

vel ex circumstantia quantitas parva non crescit in magnam : ut docet Cardenas in Crisi par. 2. tr. 3. de Legib. disp. 27. c. 10. n. 110. unde prorogari potest , aut minui absque gravi culpa tempus præcepti aliquantulo tempore.

29 Sed nota hic tria . Primo : hanc parvitatem quantitatis temporis , ubicumque admittatur , computandam etiam esse de momento pratico ad momentum practicum , modo in præcedentibus explicato : & non plus , minusve . Nam si assignes pro parvitate quantitatis unum diem e. g. plus , minusve : assignabis diem , & aliquid aliud . Quod si istud aliquid aliud , computetur plus , minusve , etiam aliquid aliud designandum esset , & sic in infinitum , in manifestum præjudicium legis ; ut scite observat Cardenas lib. cit. num.

III.

Nota 2. in præceptis , in quibus admittatur parvitas quantitatis in tempore ; adhuc in ita parva temporis prorogatione vel diminutione , peccari venialiter : quia cum illa non permittatur a lege , sed sit præter legis prescriptum , & prohibetur sub levi , hinc legem violat , et si non nisi leviter : ut rite etiam animadvertis Cardenas cit. disp. 27. c. 6. n. 64. & c. 10. n. 112. ac Tamburinus in alia particulari materia de præceptis Ecclesiæ tr. 4. c. 5. n. 31.

Nota 3. quod cum ex una parte parvitas quantitatis in tempore detur , quoties ex fine , & circumstantia quantitas parva non crescit in magnam : ut dictum est ; & ex alia parte , in hoc , vel illo præcepto tempus connotante , affixoque tempori , spectato fine , & circumstan-

tia , quantitatem parvam non crescere in magnam , pendeat ex hominum prudentium , & in rebus moralibus peritorum judicio , ut cum Caramuelle docet idem Cardenas c. 7. n. 77. & ex tertia parte , horum etiam judicium non sit idem in omnibus , unde vulgatum illud : *Quot capita , tot sententiae* : hinc est , quod dentur plura præcepta tempus connotantia , in quibus alii parvitatem quantitatis admittant in temporis prorogatione , vel diminutione ; alii autem illam negent in iisdem . Et item ex iis ipsis , qui admittunt , alii assignant istud spatiū temporis , alii aliud pro parvitate quantitatis ; uti patebit ex nonnullis jam producendis exemplis ; quedam enim hic proferre juvat exempla præceptorum affixorum temporis , de quibus examinemus : utrum , & quamnam in illo quantitatem parvam admittant ?

S E C T I O . I.

An admittat parvam quantitatem dies , vel hora , qua completur etas requisita ad Ordines ?

PRIMUM exemplum sit de etate 30 requisita ad Ordines . Non datur hic parvitas quantitatis : hinc qui hodie compleat annum vigesimum quartum hora diei duodecima , (computata juxta secundam rationem computandi horas diei naturalis , explicatam art. 1. n. 13. idest in meridie ,) non potest primo mane ordinari Sacerdos ; quia necdum attigit annum vigesimum quintum ; poterit autem etiam medio quadrante tantum post duodecimam : cum jam inciperit annum vigesimum quia-

quintum : non posset tamen medio quadrante ante duodecimam : quia, inquit La-Croix l. 6. par. 2. qu. 332. §. 4. quando ab illo , quod parum est , pendet impletio totius præcepti , ut hic est ; illud parum non debet reputari pro nihilo . Et licet aliqui apud eundem putent , posse ordinari hodie mane , etiam post meridiem incipiat annus vigesimalis quintus , eo quod Vesper diei trahatur ad mane , & cum eo faciat unum diem , quo inchoetur annus vigesimalis quintus , & hanc sententiam plures dicant esse probabilem ; nihilominus ipse La-Croix cum aliis contradicit ob rationem jam datam . Videri etiam possunt dicta in proemio n. 6.

31. Nota hic 1. pro præsenti , & proximilibus casibus , in quibus attendenda sit certa ætas : ætatem tum in odiosis , tum in favorabilibus non a die Conceptionis computari , sed a die , & punto Nativitatis ; & ita esse ubique generali usu receptum , testatur Thom. Sanchez in Sum. to. 1. lib. 4. c. 35. n. 4. ubi etiam laudat Mandosium docentem , atque probantem , filium ex sexto matris utero editum censeri ex tunc natum , & ideo ex tunc computandam ejus ætatem . Videri etiam potest La-Croix lib. 4. qu. 312. §. 13.

Nota 2. quoniam liber Baptismus facit fidem in quovis Tribunali : hinc Parochum circa annotationem in eo libro debere præter alia esse accuratum , & observare , ut diem notet , & horam nativitatis , si resciat ; nam hoc serviet ad sciendam ætatem necessariam pro Ordinibus , jejunio , liberatione a tutela , & curatela , pro professione religiosa

&c. ut animadvertisit La-Croix lib. 6. par. 1. qu. 66. §. 2. n. 345. ubi etiam alia monet , quæ a Parochio in libro prædicto notanda sunt .

S E C T I O II.

An admittat parvam quantitatem dies , vel hora , qua completur ætas requi- sita ad Matrimonium ?

SECUNDUM exemplum sit de æta- 32
te requi- sita ad Matrimonium ; ad cuius valorem jure Ecclesiastico requiritur annus decimus quartus vi- ri , & duodecimus feminæ comple- tus ; nisi tamen malitia ætatem sup- pleat : hoc est , adsit & doli capa- citas , & potentia ad copulam : de quibus judicare , prudentum est . Bu- semb. lib. 6. par. 3. de Matrimoni- c. 3. de impedimen. Matrim. dub. 2. §. Dicitur XI. Jam vero in æta- te prædicta ad Matrimonium requi- sita admittunt aliqui parvitatem quan- titatis : teste Cardenas tr. 3. de Le- gib. disp. 27. c. 10. n. 110. Non admittit La-Croix lib. 6. par. 3. qu. 96. §. 1. n. 689. cum Abbi Pontio , & Pignat. quibus adde Gaspar. Hurtad. de Matrim. disp. 22. difficul. 12. n. 45. Volunt hi tempus prædictum completum esse debere ad momentum ita , ut nec hora desit : secundum dicta in præ- cedentibus .

Illi autem , qui parvitatem quan- titatis admittunt in prædicto tem- pore , non convenient in ea desi- gnanda . Thomas Sanchez affirmit , sufficere ultimam diem incepitam , licet nondum completam ; Hostien- sis assignat pro paritate quantitatis tres dies ; Martinus de Ledesma decem dies ; Rebellus unum , vel al-

alterum Mensem : ut resert Cardenes l. cit. Rebellum tamen tamquam nimis large loquentem reprehendit post Naldum Diana to. 2. edit. coord. tr. 6. resol. 57. §. 3.

plandi, & panum pro nihilo repudatur.

Ex iisdem rationibus, proculdubio, admittunt etiam, de anno decimo sexto ætatis ad Professionem adhuc requisito, posse deficere saltem paucas horas.

Verum negat communis Doctorum, dari parvitatem quantitatis in tempore Novitiatus, & ætate requisita ad validam emittendam Professionem Religiosam, docetque: Novitiatus annum unum, & ætatis decimum sextum ad Professionem requisitum sumendum esse de momento ad momentum. Et sane cum in utroque casu agatur de novo onere subeundo; videtur potius habere locum axioma contrarium; quod scilicet *Odia sunt restringenda*. Adde & illud quod *Quæ a jure communi exorbitant, non sunt extendendi*. Reg. 28. Jur. in 6. Vide Sanchez de Matrim. to. 1. lib. 2. disp. 24. Diana. edit. coord. to. 7. tr. 1. R. 157. aliisque locis modo citatis; Videri etiam possunt dicta in Proemio n. 5. & dicenda lib. 3. 24. Februar. art. 6. qu. 2. n. 15.

S E C T I O IV.

An admittat parvam quantitatem hora diei, qua incipit, & definit obligatio abstinendi a carnibus, ovis & lacticiniis?

QUARTUM exemplum sit de hora diei, qua incipit, & definit obligatio abstinendi a carnibus, ovis, & lacticiniis in diebus, quibus hæc Ecclesiastico præcepto vetantur. Hujusmodi abstinentiae præceptum incipit a media nocte, & durat ad medium noctem: atque adeo obligat per

- 33 **Q**VERTIUM exemplum sit de tempore Novitiatus, & ætate requisita ad Professionem Religiosam. Ad validam emittendam Professionem, Tridentinum sess. 25. c. 15. de Regulari. requirit, ut premitatur annus integer Novitiatus: exceptis nonnullis Privilegiatis, de quibus videri potest La-Croix lib. 4. qu. 3. Ac rursus exigit laudatum Concilium, quod Professurus exploraverit annum decimum sextum ætatis. In hujusmodi tempore Novitiatus requisito ad Professionem emitendam, dari parvitatem quantitatis, sustinet Caramuel apud Diana to. 2. edit. coord. tr. 1. R. 111. §. 4. motus ex illo suo falso tamen, principio; ut vidimus art. 6. quod tempus per præcepta Ecclesiæ connotatum debeat intelligi moraliter, circumcirca, plus, & minus. Eamdem parvitatem quantitatis in hac re admittunt alii relata ab eodem Diana to. 7. edit. coord. tr. 1. R. 158. §. 2. qui putant, necessum non esse, quod ultima dies anni sit completa, sed posse Novitium emittere Professionem mane diei, in qua post meridiem implet probationis annum: quia, dicunt, favores sunt am-

per integrum diem naturalem, civilem, & Ecclesiasticum. Est certa, & communis Doctorum, tenetque praxis universalis Fidelium. Præceptum hoc nequaquam admittere in prædicto tempore parvitatem quantitatis, est item communis Doctorum omnium. In contrarium referatur Pasqualigus, cui addo Chiavetum consult. 24. n. 9. Contra Pasqualigum vero acriter invehitur Theophilus Raynaudus to. 10. tr. de Rosa c. 7. Eundem reprehendit Diana to. 4. edit. coord. tr. 6. R. 38. §. 3. & illum fuse confutat post Leandrum Cardenas in Crisi par. 2. tr. 3. de Legib. disp. 27. c. 8. 9. & 11. Dicendum itaque omnino est, quod si post medium noctem sit dies abstinentiæ a carne; postquam auditus fuerit primus, aut ad summum ultimus pulsus horæ, in quam incidit media nox, non licet amplius comedere carnes; & similiter in die abstinentiæ, antequam detur primus pulsus horæ, in quam incidit media nox, & finis abstinentiæ, non licet carnes comedere. Idem dic de ovis, & lacticiis, quando ab his quoque abstinendum est.

35 Interrogas hic: si quis post punc-
tum mediæ noctis, sive illud ponamus post primum, sive post ultimum pulsus, habeat in ore reliquias; an possit eas deglutire; vel potius debeat expuere; & ex ore projicere?

R. Sanctius apud Dianam to. 2. edit. coord. tr. 1. R. 112. §. 3. docet, non teneri illas ejicere, nequidem sub veniali; & licet ex veriori sententia secus statuatur quoad jejunium naturale ad Communionem Sacram requisitum; ut videbimus sed. 9. n. 46. attamen præceptum

abstinentiæ a carne non obligat; inquit, cum tanto rigore, semotu contemptu, cum quanto obligat præceptum jejunii naturalis ad communionem requisiti.

S E C T . I O . V .

An admittat parvam quantitatem hora Diei, qua incipit; & desinit obligatio jejunandi?

QUINTUM exemplum sit de hora 36 diei, qua incipit, & desinit obligatio jejunandi in diebus jejunii Ecclesiastici, per quod præcipitur ne plus, quam una sumatur refectio plena, præter abstinentiam a carne, quam simul in iidem diebus jejunii Ecclesia præcipit. In die autem jejunii hujusmodi initium, & finem obligationis sumendum esse de momento ad momentum, negat Pasqualigus, saltem pro Feria IV. Cinerum, quam præcedit ultimus dies Bacchanalium; et si trepidanter hujusmodi opinionem suam profesarat, & merito; est enim singularis, & contra communem: & adversus illam invehuntur, eamque refutant. Autores iidem scđt. præced. relati, viderique possunt dicenda tr. 2. in fer. 3. post Dom. Quinquagesimæ scđt. 2. n. 17.

Ditendum itaque omnino est: horam, a qua in die jejunii incipit, & desinit obligatio jejunandi, esse medium noctem: & hoc tempus non admittere in se parvitatem quantitatis, sed esse mensurandum de momento pratico ad momentum praticum, secundum ea, quæ in præcedentibus sunt explicata; ut monet La-Croix lib. 3. par. 2. qu. 253. §. 3. n. 1316. Ita ut, si sit dies

dies jejunii , non liceat ante punctum mediæ noctis , quo incipit sequens dies Civilis , & Ecclesiasticus , solitus simili jejunio , non liceat , inquam , carnes comedere ; ut secl. præced. statuimus , nec liceat secundam refæctionem plenam sumere . Similiter si sequatur dies jejunii , non liceat post punctum mediæ noctis carnes comedere ; ut secl. præced. statuimus . Item si mox post punctum præfatum sumeretur refæctio plena , ea sumeretur in die jejunii : atque adeo non liceret eodem die sumere secundam plenam refæctionem . Illa vero statim a media nocte sumpta , tanto tempore anticipata ab hora consueta sumendi plenam refæctionem in die jejunii , an sit ideo de mortali damnanda ? examinabimus infra sectione 8.

S E C T I O VI.

An admittat parvam quantitatem dies , vel hora , qua completur ætas sufficiens ad oblligationem jejunii ?

37 **S**EXTUM exemplum sit de die , vel hora , qua completur ætas sufficiens ad obligationem jejunii Ecclesiastici . Hoc præceptum , probabilius est , inc pere primum obligare post completum annum vigesimum primum ætatis , secundum dicenda tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 1. art. 8. qu. 1. n. 78. An teneatur autem jejunare illo ipso die , quo quis complet ætatem , si sit dies jejunii ? Portell. in addit. ad dubia Regul. Verbo *Jejun.* n. 1. Sanchez de Matrim. to. 1. lib. 2. disp. 24. n. 23. Lez. in Sum. V. *Annus.* n. 9. ac V. *Ætas.* n. 8. Reiffenstuel theol. Moral. to. 2. tr. 10. dist. 2. qu. 3. TOM. I.

concl. 3. num. 42. docent , quod quamvis illo ipse die , quo quis compleat ætatis suæ annum 21. antequam adveniat hora prædictæ completionis , qua scilicet 21. ab hinc annos natus est , possit comedere ; quia ante id punctum non tenetur ad jejunium ; tamen post punctum prædictæ completionis teneatur illo ipso die ad jejunium , si ante horam completionis non fregerit ; quia transacto eo punto , jam præcepto , & lege jejunii coepit obligari , & potest illo ipso die in dicto casu . Ergo tenetur . Secus esset , si ante punctum completæ ætatis illo ipso die fregerit jejunium ; in hoc alio casu non tenebitur illo ipso die ad jejunium post punctum completæ ætatis : quia non potest amplius jejunare , cum id semel fractum sit ; ita Thomas Sanchez loc. cit.

Sed etiamsi jejunium fractum minime fuerit ante horam completionis ætatis sufficientis , negant post illam , eodem ipso die ad jejunium obligari , Joan. Sanchez in select. disp. 54. n. 4. Tambur. in 4. præcept. Eccl. c. 2. n. 17. & approbat Cardenas tr. 3. de Legib. disp. 27. c. 2. n. 11. & videtur etiam Diana to. 4. edit. coord. tr. 6. de jejun. Ref. 1. §. 2. quia , dicunt , præceptum jejunii respicit totum diem , ut integrum , & individuum objectum : non enim præcipitur per mandatum jejunii dimidium diei , vel quartam partem jejunare , sed totum diem . Ergo qui exemptus fuerit a jejunio per aliquam diei partem , totaliter liberatur illo die ; cum præceptum hujusmodi vel totum diem comprehendere debeat , vel nullam partem illius .

Utramque opinionem esse satis
F pro-

probabilem dicit La-Croix lib. 3. par. 2. qu. 253. §. 3. Idem sentio & ego. Verum si ætas compleatur adeo brevi temporis spatio post coeptum diem jejunii, ut hoc frangere non posset intra spatum illud: existimo, esse obligationem jejunandi. Quod arguo ex eadem ratione, qua utuntur ipsimet laudati Auctores ad excusandum a jejunio etiam nondum violato, eum, qui ætatem sufficientem ad obligationem jejunandi compleat mox post initium mediæ noctis, seu post initium diei, in quo jejunium celebratur; nimirum quia, dicunt, illa hora, hoc est, illo temporis spatio post coeptum diem prædictum, cum nondum completo anno 21. nondum sit obligatus ad jejunium Ecclesiasticum; atque adeo possit plene comedere, & deinde non sit fraudandus communis refæctione, quæ in jejunio conceditur; certe legitime bis comedet plene: atque adeo ad jejunium non est aptus amplius: siquidem præceptum jejunii respicit integrum totum diem, ut unum individuum objectum; ita illi. Ergo si illud temporis spatum erit adeo breve, ut minime posset plene comedere; dicendum est: obligari ad jejunium in prædicto casu. Profecto hic in existimatione morali habetur dies integer, aptus per se ad excludendam multiplicem plenam refæctionem in die jejunii veritam. Nec quidem puto aliud voluisse laudatos Auctores, quamvis ita se non explicaverint.

Hoc autem certum sit: tempus ætatis ad obligationem jejunii sufficientis computandum esse a Nativitate puncto de momento ad momentum practicum, modo in præce-

dentibus explicato. Thom. Sanchez, Portell. Diana l. l. cit. & communis Doctorum. Unde qui completeret vigesimum primum annum ætatis in puncto mediæ noctis, certissime teneretur illo die jejunare, si esset dies jejunii, ab eodem punto, quo incipit dies Civilis, & Ecclesiasticus. Quod non negant Joa. Sanchez, & alii supra citati, ubi dicunt, tempus 21. anni requisitum ad obligationem jejunii non esse computandum de momento ad momentum; nam ut bene notat Cardenas l. cit. licet id Joannes Sanchez affirmet; cum autem id declaraverit modo explicato; constat, eum non negare, quod in sua etiam ipsius sententia debeat computare tempus jejunii de momento ad momentum, qui impletat 21. annum ætatis hora noctis 12. præcisa, seu in punto mediæ noctis; ita Cardenas l. cit. Solum itaque Joannes Sanchez, & alii exculcat a jejunio eum, qui per aliquam partem ipsius diei jejunio destinati, & quo completætætatem sufficientem ad obligationem jejunii, excusatus fererat ob defectum ætatis: & in hoc sensu, & in hoc tantummodo casu dicunt: ætatem ad jejunium requiritam non esse computandam de momento ad momentum; idque ob rationem superius explicatam. Quod ut per se patet, non est negare, tempus ætatis ad jejunium sufficientis esse computandum de momento practico ad momentum practicum.

Nota hic: quod si quis dubitet: an expleverit annum 21. ætatis? Si non possit deponere dubium, hoc manente non tenetur ad jejunia Ecclesiastica, quia libertas, qua per ipsum tempus antecedens certo gaudet,

det, non potest tolli ab obligatione præcepti dubia, de qua scilicet nondum constat, quod urgere cœperit; ita Tamburinus in Decal. lib. I. c. 3. §. 7. lit. A. n. 3. Diana to. 4. edit. coord. tr. 6. R. I. §. 3. & R. 2. §. 1. & 2. aliique plures aliquique plures apud ipsum. Idem dic de septennio pro obligatione abstinenti a carnibus, & lacticiniis.

Dixi: *si non possit deponere du-
biūm*; quia rationabiliter dubitan-
de ætate requisita, seu sufficienti:
si negligat veritatem inquirere, &
interim frangat jejunium, peccat;
tenetur enim inquirere: utrum pos-
sessio slet adhuc pro sua libertate;
an cœperit stare pro Lege? Quod
si negligat, malæ fidei Possessori af-
similatur; ita in simili Tamburinus
I. cit. Lit. C. Verbo *Censura*. n. 3.
sufficit tamen hic, & in similibus,
ad inquirendum, diligentia mora-
lis, & ordinaria; ad extraordina-
rias enim inquisitiones, & diligen-
tias nemo ex vi Legis ordinariæ
tenetur; ut docet Tamburinus I.
cit. Lit. R. Verbo *Restitutio*. n. 5.
& videri etiam potest La-Croix lib.
2. de Legib. qu. 127.

S. E. C. T. I O . VII.

*An admittat parsiam quantitatem dies,
vel hora, qua completur ætas suffi-
ciens ad obligationem abstinentie a
carne, ovis, & laeticiniis?*

39 **S**EPTIMUM exemplum sit de die, vel hora, qua completur ætas sufficiens ad obligationem abstinentie a carne, ovis, & laeticiniis; Hujusmodi abstinentiae obligatio pro diebus, quibus ea Ecclesiastico præcepto præcipitur, incipit ab au-

no septimo ætatis a punto Nati-
vitatis computato, quemadmodum
statuimus sect. I. numero 31. ita
ut pueri, & puellæ completo anno
septimo, si usum rationis habeant,
teneantur prædictum servare præce-
ptum. Vide dicenda lib. 2. par. 2.
in Fer. VI. art. 1. qu. 8. n. 40.
Hoc autem tempus parvitatem quan-
titatis admittere putavit Caramuel
apud Cardenas tr. 3. de Legib. disp.
27. c. 1. n. 4. Cujus opinionis fal-
situdinem ostendit, & probat idem
Cardenas c. 4. & duobus sequent.

Dicendum itaque cum communi
Doctorum: prædictum tempus non
admittere parvitatem quantitatis,
sed incipere obligare illo ipso die,
quo ætas prædicta completur, &
post punctum completæ ætatis; et
iam si antequam compleverit, come-
derit quis carnem, aut laeticinia il-
lo ipso die.

Ex eo autem, quod Auctores o-
ptimi negent, esse obligationem je-
junandi illo ipso die, quo quis com-
plet vigesimum primum ætatis an-
num, prout explicavimus, sect. pre-
ced. non potest argui, nec esse ob-
ligationem abstinenti a carne, &
laeticiniis illo ipso die, quo quis
complet septimum ætatis annum,
si sit dies abstinentiæ hujusmodi;
enimvero disparitas assignatur, quod
præceptum jejunii respiciat totum
diem integrum, ut individuum Ob-
jectum: cum non præcipiatur per
mandatum jejunii dimidium dier,
vel quartam partem jejunare, sed
totum diem. ut supra dictum est.
Hujusmodi autem ratio si facit ad
excusandum a jejunio, certe nullo-
modo facit, ad excusandum ab ab-
stinentia a carne complentem ho-
die septimum annum ætatis: enim

vero obligatio ad abstinentiam a carne est ex præcepto negativo prohibente pro tota die, idest obligante ad non comedendum carnes ulla istius diei tempore. Et inde etiam est, quod, etiamsi puer illo ipso die, quo complet septimum ætatis annum, comederit carnes, antequam ætatem compleverit; teneatur nihilominus in reliqua diei parte abstinere. Unde etiam *Adultus*, qui comedit secundo carnes, peccat iterum, si absque legitima excusatione illas comedat; & sic tertio, quarto, &c. toties peccabit, quoties iterum comedet carnes: uti habet communis cum *Gobat* apud *La-Croix* lib. 3. par. 2. qu. 237. §. 1. Et idem dicendum de ovis, & lacticiniis. *Diana* to. 4. edit. coord. tr. 6. R. 84. §. 1. Vide dicenda lib. 2. par. 2. in *Fer. VI.* art. 1. qu. 12. n. 61. Quamvis aliter res se habeat in præcepto jejunii; qui enim fregit jejenum per secundam refectionem, in probatissima sententia apud *La-Croix* l. cit. §. 2. n. 1265. non peccat secundo mortali-ter, sumendo tertiam: atque adeo nec tertio, sumendo quartam, &c. Ex quo patet, non valet, arguere a præcepto jejunii ad præceptum abstinentiæ a carne, & lacticiniis.

40 Interrogas hic: si septennium computatur non post aliquam horam, cuius signum sonet horologium, sed post aliquod temporis spatium, cuius signum non detur ab horologio campanarum sono, puta computatur hora undecima, & quinque momentis, seu minutis: in horologiis enim non sonant minuta, saltem infra quindecim, seu infra quadrantem, & licet horologia etiam designare soleant minuta per sty-

lum, tamen non facile ea ab omnibus observari possunt: cum facile quidem sit, audire horologium sonans; minime vero & illud observare, ac de propinquuo inspicere: cum major pars hominum carere soleat horologio portatili. Idem est de horologiis solaribus. Itaque si septennium compleatur hora, cuius signum cognosci nequeat per horologia, computandum ne erit tempus de momento ad momentum adhuc in hujusmodi casu; & quomodo id fieri poterit?

R. Hujusmodi quæstio optime solvi potest ex iis, quæ docet *Cardenas* in *Crisi* par. 2. tr. 3. de legib. disp. 27. c. 2. nu. 10. ubi haec habet: *Licet Caramuel citet P. Thom. Sanchez*, & *Portellum*, afferentes, septennium puerorum in ordine ad initium obligationis legum Ecclesiasticarum computandum esse de momento ad momentum; tamen neque illi *Auctores*, neque alii ejus sententiae patroni proponunt casum iis terminis, quibus proponit *Caramuel*; scilicet quod septennium compleatur hora decima, minut. 20. Sec. 5. Nam cum in horologiis non sonent minuta; neque serupuli; neque in solaribus communibus appareant, neque sit alia communis regula ad ea minuta computanda: intelligendum est tempus computari de momento ad momentum quantum manifestari potest ex eommuni arbitrio borarum. Itaque si puer natus est hora duodecima noctis præcisa, septennium computandum est de momento ad momentum, scilicet hora duodecima noctis præcisa. Si vero natus est pauculo post boram duodecimam, cum pervenitur ad septennium, postquam sonuerit hora duodecima noctis, in eo parvo tempore sequenti datur locus du-

dubio. In casu autem dubii, Auctores illi jam statuerunt generaliter; quid tenendum sit? scilicet stari debere pro possidente. Stabit igitur pro libertate pueri, donec certo constet, transisse illud breve tempus post duodecimam. Itaque quando dicitur computandum esse tempus de momento ad momentum, intelligendum est de momento pratico certo ad momentum practicum certum. Momentum autem dubium per regulas generales de dubio computabitur. Hæc Cardenas; qui similia habet eadem disp. 27. ar. 2. n. 26. & 27. Ex his habes resolutionem dubii propositi, videlicet, si puer compleat septimum ætatis annum tali hora diei, quam non sonet horologium, seu tali temporis punto infra horam, cuius signum non detur ab horologio, nec oculis sit observabile; postquam auditum est, ab horologio dari signum talis horæ, expectetur adhuc tantum spatium temporis, quantum prudenti judicio sufficere credatur, ut compleantur illa requisita minuta: tum vero dicatur, jam compleri septimum ætatis annum, & incipere obligationem abstinendi a carne. Vide dicta art. 8. n. 27. Et hæc, quæ de ætate ad abstinendum a carnibus sufficienti dicta sunt, intellige etiam de qualibet ætate sufficienti, seu requisita ad observationem, seu obligationem alicujus pracepti, quod sit affixum temporis; ut scilicet hora illa, quæ non potest ab horologio cognosci, eadem ex prudenti judicio, explicato modo colligatur.

S E C T I O VIII.

An admittat parvam quantitatem hora refectionis in die jejunii?

OCTAVUM exemplum sit de hora 4¹ in die jejunii designata ad plenam refectionem sumendam. Porro in die jejunii ad sumendam plenam refectionem designatur hora certa diei, sive ex jure, sive ex consuetudine particulari, vel universali: quæ quidem pro varietate temporum, immo & jejuniorum, varia semper sunt inter fideles; ut videre est apud Azorium Inst. Moral. par. 1. l. 7. c. II. qu. 1. & 2. & Benedict. XIV. tom. 1. Notific. 12. n. 7. Videri etiam possunt dicenda tr. 2. l. 4. par. 1. c. 3. qu. 3. n. 14. Nunc autem jam a fine saeculi decimi quarti in omnibus jejunis mos est in Ecclesia sumendi refectionem in meridiie, ut Azorius qu. 3. l. cit. Benedict. XIV. l. cit. & communiter testantur Auctores; licet aliqui alias consuetudines particulares locorum referant, & approbent: vel juxta illas loquantur, & designent refectionis horam; ut ex dicendis patet: accipiunt enim hic meridiem pro hora in quolibet loco consueta sumendi refectionem; ut notat' Pelliz. infra referendus; & quia alicubi hora refectionis solet esse una hora, vel etiam plus ante meridiem; hinc etiam ibi tanto tempore ante meridiem sumitur refectione in diebus quoque jejuniorum.

Quacunque autem hora legitima præfigatur, hæc, excepta causa rationabili, servari debet, sive sub mortali, sive tantum sub veniali, juxta varias Doctorum sententias;

ut

46 Tr. I. Lib. I. Not. Quotid. in genere.

ut videre est apud Azorium l. cit. qu. 4. Thom. Sanchez lib. 5. consil. c. 1. dub. 28. n. 4. Fagundez in 4. præcep. Eccl. c. 3. n. 1. & 4. Dian. to. 4. edit. coord. tr. 6. R. 104. Pelliz. Man. Regul. tr. 5. c. 5. qu. 19. a n. 24. Filliuc. to. 2. tr. 27. par. 2. c. 4. Durand. in Ration. Offic. lib. 6. c. 7. n. 15. Sylvest. in sum. V. Jejun. qu. 4. n. 13. Ligor. op. ital. Instruz. prat. per li Confess. to. 1. c. 12. pu. 1. §. 1. n. 21.

- 42 Ex sententia vero obligante ad illud sub mortali procedit quæstio; utrum in tempore prædicto detur parvitas quantitatis? Negare videtur Joannes Sanchez in select. disp. 53. n. 2. ubi ponens tempus refectionis in diebus jejuniis esse horam undecimam, seu hora una ante meridiem, sic ait: *Indulgendo enim jejunantibus, quod hora undecima queant se reficere, latus terminus assignatur, infra quem nullus extat debilis; alias si alter posset assignari infra illud, etiam aliud parvum spatium licet anteponere,* & sic in infinitum. Deveniendum igitur est ad terminum, infra quem aliud non designatur, sicut in sponsalibus septemniuum completum mathematice requiritur. Sicut enim etas, quæ jure præscribitur, in indivisiibili consistit, ne quisquam possit illam suo privato iudicio mutare, ut bene adverbit Sanchez lib. I. de Matrimonio disp. 16. Egidius disp. 21. n. 51. Basili. I. 12. c. 5. Hurtado de Matrimonio difficult. 14. Sic & hora, que communiter a Doctribus assignatur. Quod enim parsum distat a re, nihil distare, videatur: non habet locum in termino præscripto a jure, sive, quod aequivalet, a communi Doctorum. Hæc Joannes Sanchez .. Hujusmodi vero laudata

Auctoris sententiam nimis scrupulosam appellat Diana l. cit. R. 103. Nos autem dicimus: Joannem Sanchez in iis, quæ hic habet, non negare parvitatem materiæ, sed illam definire ad horam unam ante meridiem, & non ultra, ne detur progressus in infinitum; ut alibi diximus n. 17. & 29. aut certe negare parvitatem materiæ ultra anticipationem ex particulari consuetudine inductam. Doctores vero communiter admittunt parvitatem quantitatis in anticipatione temporis sive a consuetudine universalis, sive a particulari designati ad sumendam refectionem in die jejuni. 43

Quænam autem sit parvitas hæc? prudentis arbitrio committi, ait Fagundez l. cit. n. 4. Et primo, etsi pro hora refectionis ponatur Meridies, & hic communiter accipiat proprie dictus; teste tamen Azorio l. cit. qu. 1. fine, convenit inter omnes, horam meridianam compitandam esse, non secundum rigidum Astronomorum calculum: sed secundum horologia usitata inter homines, & rudi quadam minerva; confer dicta art. 3. Sive autem Meridies proprie dictus designetur, sive aliud pro Meridie intelligatur, ac præfigatur tempus refectionis ex consuetudine particulari locorum: (recole dicta n. 41.) putat Molfesius relatus a Diana l. cit. R. 104. §. 4. non esse quantitatatem notabilem, anticipare per unam horam, etiam respectu laicorum. Sed nimis laxe tantum extendi, inquit, l. cit. Diana. Et quidem unam horam in præsenti materia esse quantitatatem notabilem, expresse docet Azorius l. cit. qu. 4. fine, quem sequitur Filliucius l. cit. n. 72. Verum id in-

intellige respectu laicorum : ideo enim dixi : etiam respectu laicorum : nam communiter Regularibus certe licet per unam horam , immo & amplius anticipare refectionis tempus in die jejunii ; cum ipsis id permittant sua ipsorum privilegia , aut Legitima consuetudo , ut traditum cum aliis Pelliz. l. cit. n. 25. ubi haec habet : Certe quod spectat ad Regulares , dicit Lessius sup. n. 13. in multis Monasteriis ex privilegio , aut consuetudine receptum esse , ut sesquibora , vel amplius ante meridiem prandeant in die jejunii ; nempe per unam horam cum dimidia , & amplius ante meridiem : quod etiam consernat Diana sup. testatur praxis Regularium ipsorum , & advertit Filliucius tr. 27. n. 73. monens id procedere , etiam si alicubi extet consuetudo comedendi ante meridiem per tempus notabilem ; Religiosos scilicet posse anticipare per horam cum dimidia ante meridiem , ultra tempus , quo ibi solet anticipari comedio ante meridiem , (cum in privilegio comedendi per sesquiboras ante meridiem , sumatur meridies materialiter pro hora determinata edendi in jejunio , quam vocant meridiem : siquidem meridies esse solet hora destinata comedioni) ; idque constat ex fine privilegii supradicti , qui est sublevare Religiosos praे Sæcularibus . Imo existimant aliqui , stante anticipatione inducta per consuetudinem , & ea , quæ habetur ex prefato privilegio , (quod teste Portello de dub. Regul. V. Jejanum n. 4. fuit Regularibus concessum a Leone X.) posse Regulares adhuc superaddere anticipacionem non notabilem ; cum respectu horæ prescriptæ ad prandendum , quæ in praesenti casu sumitur ex privilegio , & consuetudine simul , admitti

possit anticipatio non notabilis . Hæc Pelliz. Vide etiam Diana loc. cit. §. 5.

Sed ad hæc dies : Azorium loco cit. quæst. i. fine hæc habere : Consuetudine postea est introductum , ut jejunium solvatur ad horam sextam , vel paulo ante illam ; hoc est ad meridiem , vel sub meridiem , qui mos nunc in Ecclesia servatur , præsertim apud Monachos , ac cæteros Religiosorum Ordines ; Sæculares enim jejunium laxant , ac solvunt hyeme quidem una ante meridiem hora ; æstate vero duabus fere horis ante meridiem . Hæc Azorius . Ergo in ejus quoque sententia pro sæcularibus etiam non est quantitas notabilis anticipare per unam horam , & amplius tempus refectionis in die jejunii . Immo ex laudato Azorii testimonio habetur , plus in hac re diligere Sæcularibus , quam Regularibus .

R. Quando Azorius dicit : Sæculares laxare jejunium hyeme una hora ante meridiem , & æstate duabus horis : non dicit , Sæculares prædictum tempus anticipare ultra præscriptum a consuetudine ; sed solum dicit : Sæculares in die jejunii hora prædicta refectionem sumere ex consuetudine nimirum particulari introducta , & tolerata : si vera est hujusmodi consuetudo , quam ipse refert , inquit Filliucius l. cit. n. 73. qui etiam notat , quod ubi Azorius in allegato testimonio dicit : Religiosos hyeme solitos esse , solvere jejunium semihora ante meridiem : id intelligendum sit de Religiosis citra privilegium ; nam cum privilegio possent illud , quod supra docuimus , ex Pellizaro , & aliis . Logitur itaque Azorius loco objecto de

de secularibus , proculdubio suæ ipsius Regionis , & pro his affirmat , esse illam consuetudinem anticipandi ante meridiem refectionem ; adeoque ex consuetudine particulari licere ipsis prædicto tempore refectionem sumere in die jejunii . Quod si ultra permisum a prædicta consuetudine anticiparent adhuc unam horam ; expresse vult loco a nobis supracitato , esse quantitatem notabilem . Sicuti Sancius supra allegatus dicit : quod in anticipatione horæ refectionis in die jejunii non detur parvitas materiæ ; & tamen simul dixit : refractionem sumi posse hora undecima , seu hora una ante meridiem : patet , eum supponere , quod hora refractionis in die jejunii sit ex consuetudine particulari hora undecima , seu hora una ante meridiem ; ita quoque & Azorius ; præterquam quod eum loqui de consuetudine , apertissime patet ex ipsis verbis testimonii allegati , dicit enim : *consuetudine postea est introducendum* , ut *jejunium solvatur* . &c. Juxta Azorium itaque , Filiucium , & Dianam , est quantitas notabilis , anticipare per unam horam refractionem in die jejunii ante tempus consuetum , quodcunque illud sit . Non ideo tamen dicunt : esse quantitatem non notabilem , si anticipetur minus , quam una hora , sed quænam ab his statuatur in hac re quantitas non notabilis ? statim videbimus .

Alii docent : quantitatem notabilem esse , anticipare ultra quadrantem cum dimidio , aut saltem per mediam horam ; ita sustinet Fagundez l. cit. n. 4. fine . Negant vero , mediam horam esse quantitatem notabilem Thomas Sanchez l. 5. Con-

sult. c. 1. dub. 28. n. 7. & Filiucius l. cit. n. 73. Sed volunt , illam haberi ultra dimidiad horam . Hanc sententiam sequitur Diana l. cit. R. 104. §. 5. & licet Azorius qu. 4. timeat , ne semihora sit quantitas notabilis , ac doceat , quantitatem notabilem esse , si solum anticipetur per quadrantem ; ejus tamen sententiam nimis scrupulosam esse , inquit Diana l. cit. §. 4.

Nota hic I. quod ex illis , qui 44 docent : venialiter tantum peccari , quantumcumque anticipando prandium in die jejunii ; & simul putant , non esse quantitatem notabilem , anticipare per mediam horam : sint qui velint , ne veniale quidem esse , anticipare per hujusmodi quantitatem non notabilem : sed veniale tunc primum committi , si anticipetur ultra mediam horam , et si eo gravius , quanto maturius anticipabitur . Ita Filiucius , & Diana ubi supra . Sed non recte dicunt : nam ut hic initio articuli n. 29. notavimus cum Cardenas , ista dimidia hora , quæ absque ullo peccato , dicitur , posse presumi ; vel est , quia illam permittit ipsa lex , seu consuetudo præscribens refractionis tempus in die jejunii ; vel quia , et si lex , vel consuetudo eam non permittat , violatur tamen leviter , quia parva materia reputatur . Non primum : questio enim est non de tempore a lege ipsa , seu consuetudine permisso ; sed de tempore , quod sit ultra permisum a lege , sive consuetudine . Si dicitur secundum : jam sequitur , peccari venialiter per mediam quoque horam anticipando refractionem , et si dicatur , esse materia levis ; quamvis enim materia levis . leviter
vio-

violet legem; proprie tamen violat; proprie autem legem violare, est, in legem peccare.

Nota 2. horam refectionis designari in jejunio, atque praescribi, ne refectio anticipetur; non vero ne prorogetur; facit enim id ad maiorem corporis mortificationem, quam intendit jejunium; unde Azorius l. cit. qu. 5. inquit: *Non esse dubitandum, quin arbitratus suo quisque possit jejunium usque ad Vesperam, vel noctem producere; quo enim tardius prandium prorogatur, eo est inedia productior, & longior corporis afflictio: quod est Legislatoris menti magis consentaneum.* Sic Navar. in Man. c. 20. n. 27. ex S. Antonino in 2. par. tit. 6. c. 2. §. 2. Sic etiam Ricard. in 4. dist. 15. a. 3. q. 8. Sylvester Verb. *Jejun. quæst. 4. Cajet.* 2. 2. qu. 127. art. 7. & in Summa Verb. *Jejupium.* & alii quoque Auctores communis consensu. Dices: consuetudine est introductum, ut in meridie, aut sub meridiem edamus, ergo est consuetudini standum; nam cur magis horam prævenire, quam prorogare inhibemur? Profecto consuetudine cogimur nonam, vel meridianam horam expectare, nec eam antevertere fas est; non tamen jure ullo, & lege compellimus, tardius jejunium protrahere, ne inedia nimium producta noceret. Quo fit, ut vere dixorit Gofredus in summa titu. de observat. jejuniorum; *jejunium Ecclesiasticum esse, quo prandium substrahimus, atque submovemus: quoniam jejunium potest ad Vesperam, vel noctem produci: ac proptera jejunii dies cena constat, non prandio.* Hæc Azorius. Consentit Thomas Sanchez l. 5. consil. c. 1. dub. 28. n. 6. Et vero hæc sententia, quod etiam

TOM. I.

in locis, ubi consuetudo est (ut quidem communiter est) sumendi refectionem in meridie; liceat plenam refectionem Vespere sumere in die jejunii, seu ad Vesperam differre, absque ulla etiam causa, hæc, inquam, sententia multos Fautores habet; ut videre est apud Auctores communiter agentes de hac re. Sunt tamen nonnulli, qui contendunt, esse saltem veniale, cum repugnare existimat consuetudinem jam introductæ sumendi refectionem in meridie, aut circa meridiem. Sed huic rationi jam satis factum est ex Azorio. Insuper si ea quid valeret, ex ea sequeretur, illos, qui ordinarie consueverunt prandere duabus, vel tribus horis post meridiem, (ut sunt fere omnes Nobiliae, Magnates, & Causidici, eorumque famuli): debere prandium prævenire in die jejunii, & anticipare suam ipsorum refectionem in meridie, eo quod consuetudo sit sumendi refectionem in meridie in diebus jejunii. Quod tamen nemo dixit, & ad id non obligari prædictos, praxis ostendit. Videtur itaque, lex praescribens horam refectionis in die jejunii intendere. solum, ne prandium sumatur, & ne jejunium solvatur antequam advennerit hora consueta quotidiani prandii juxta morem communiores loci, in quo quis versatur, quæ hora nunc solet esse meridies, ut initio dictum est. Istud autem ubi lex obtinuerit, fueritque servatum, nihil deinde curat, si jejunium solvatur una hora, vel duabus, vel quinque, seu pluribus horis post meridiem. Quapropter sentio: in die jejunii plenam refectionem etiam ad Vesperam differri posse, si

G

sal-

Saltem collatiacula serotina in jejunio permisſa non antioipetur in meridie , sed simpliciter plena refectio sumatur Vespere .

S E C T I O . IX.

An admittas parvam quantitatem hora, qua incipit obligare jejunium naturale ad Sacram Communionem requisitum?

45 **N**ONUM exemplum sit de hora , qua incipit obligare jejunium naturale ad sacram communionem requisitum . Datur præceptum Ecclesiasticum præmigrandi ad sumptuationem Eucharistie jejunium naturale ; ita ut quilibet cibus , aut potus in quavis minima quantitate , sub qualibet intentione , etiam Medicinæ , vel curationis , si per modum cibi , vel potus sumatur , impedit ex præcepto receptionem Eucharistie . Congruē quidem ob talis , ac tanti exteriorem reverentiam Sacramenti , & majorem attentionem Communicantis ; as ut inde discamus , Christum esse primum , atque præcipuum Fidelium cibum . Vid. S. Aug. ad Januar. epist. 118. c. 6. S. Isidor. Hispal. Ep. de Eccles. Offic. lib. 1. c. 18. Walafrid de reb. Eccl. c. 19. Azor. Instit. Moral. par. 1. lib. 10. c. 3. qu. 2. Suarez to. 3. in 3. par. disp. 68. sect. 3. & 4. Cardinal. de Lugo de Euchar. disp. 15. sect. 2. Franc. de Lugo de Sacram. lib. 4. de Euchar. c. 7. qu. 3. Benedict. XIV. de Missa sect. 2. c. 4. §. 2. Hoc præceptum incipit obligare a media nocte , a qua initium habet dies Civilis , quo est sumenda Communio , usque ad sumptam Communionem . Vid. Suar. cit. disp. 68. sect. 4. §. dico tertio : Cardinal.

de-Lugo cit. sect. 2. n. 39. (alias per error. 40.) Franc. de Lugo 1. cit. qu. 5. Ubi autem non est media nox , quomodo ea computanda sit in ordine ad hoc jejunium ? Vide dicta n. 19. & 25. fine .

In prædicto tempore dari parvitudinem quantitatis , admisit Caramuel ex illa sua ipsius opinione , ex qua videlicet absolute inquit , se non putare præcepta politica , sive Ecclesiastica illa sint , sive sæcularia , tam exacte posse tempus decernere , ut reus sit , qui sublati aliquis inconvenientibus , opus præceptum differat uno quadrante ; ita ille apud Cardenas in Crisi par. 2. tr. 3. de Legib. disp. 27. c. 6. n. 79. Similiter opinatus est Pasqualigus apud Dianam 10. 2. edit. coord. tr. 2. Resol. 57. Caramuelis , & Pasqualigi Doctrinam tenet Verricelli to. 1. quest. Moral. tr. 1. qu. 7. n. 13. Eamdem sequitur Chiavetta Consul. 24. a n. 2. Et quidem Caramuel , & Pasqualigus contendunt , ubicumque unicum fuerit horologium , etiam bene regulatum posse probabiliiter credi , plus quam horæ quadrantem a veritate deviare ; indeque per unum quadrantem post sonitum horæ , in quam dicitur cadere media nox , cibis vesci licere , & eo die Eucharistiam sumere . Id vero ad semi-quadrantem limitat Chiavetta , similiter Verricelli : hic tamen in locis ubi unicum est horologium ; in iis autem ubi plura sint , limitat ad momum , in qua Salutatio Angelica possit recitari .

Verum teste eodem Cardenas loc. cit. *Omnes Auctores ante Caramuel , & Pasqualigum , nemine dempto , censent materialm gravem , si quis post medium noctem transglutias bucellam aquæ ,*

aperte communicaturus Eucharistium die subingrediente. Ita Cardenas, qui cit. cap. optimis argumentis, & rationibus ostendit, non dari parvitatem quantitatis in tempore praefixo ad servandum jejunium ad Communionem requisitum. Videri etiam potest Diana l. cit. Andreas Mendes in altera opus. benign. dissert. 8. qu. 1. n. 7.

Dicendum itaque omnino est: praeceptum jejunii naturalis ad Communionem requisiti incipere obligare a puncto medie noctis, sive post primum pulsus, aut saltem post ultimum, (vide dicta art. 7.) quo pulsa detur signum horas illius, in quam cadat finis medie noctis preterita, & initium sequentis alterius medie noctis. Vid. Franc. de-Lugo de Sacram. l. 4. de Euchar. c. 7. qu. 5. La-Croix lib. 6. par. 1. qu. 110. §. 1.

In hac re autem excessit Aversa apud La-Croix cit. qu. 110. §. 3. ubi ait: eum fore dubium de jejunio, qui comedere etiam paulo ante auditum signum medie noctis, quia, inquit, horologia vix unquam astringant horam naturalem. Verum hæc ratio supponit falsum: supponit enim horam jejunio naturali pro Communione praefixam attendendam esse Mathematicæ; quod esse falsum, satis patet ex dictis art. 3. & 6. ubi docimus: in præceptis Ecclesiæ affixis tempori attendendum esse quidem punctum, & momentum, sed practicum, & Ecclesiasticum, non item Mathematicum, & Naturale. Profecto puncta, & momenta Mathematica, ac Naturalia non sunt nobis communiter cognoscibilia; adeoque Ecclesia non intendit, ut illa spectemus, atque serve-

sus; sed solum præcipit attendere puncta practica, & Ecclesiastica. Punctum autem, & momentum practicum, & Ecclesiasticum est, ut secundum consuetudinem ipsius Ecclesiæ, attendamus ad horologia communiter bene directa, & juxta illa actiones nostras temporis affixas dirigamus. Nec est, cur dicamus: ex hujusmudi regula generali excepit jejunium Naturale, ad Communionem requisitum. Ergo etiam qui paulo ante auditum signum medie noctis comedenter, vel biberit: dummodo nihil sumperit paulo post; non erit dubius de jejunio Naturali, ut requiratur, sed satis certus.

Interrog. hic: si quis post punctum medie noctis, sive illud ponamus post primum, sive post ultimum pulsus: habeat in ore illam quantitatem cibi, vel partem illius, quam in ore interferat ante punctum medie noctis; an possit eam deglutire, vel debet omnino projicere ex ore, & expuere ne frangat jejunium naturale, quia Communicare debet?

R. Negat Gobat, teneri projicere, apud La-Croix loco mox citando. At vero Suarez, & Palud. apud Gavant. in Rubr. Miss. par. 3. tit. 9. n. 4. & alii cum Francisco de-Lugo de Sacram. Lib. 4. de Euchar. c. 7. qu. 5. n. 49. volunt, omnino teneri projicere, & expuere, ne frangat jejunium Naturale. Hanc posteriorem sententiam dicit esse probabilem La-Croix lib. 6. par. 1. qu. 110. §. 2. n. 580. Cuius sententia ratio est, quia necessarium est, quod, quando facienda est Communion, manducatio præcedat median noctem; & media nox, ut dictum est, attendi debet ad mon-

G. 2. men-

mentum Ecclesiastice, modo explicato in præcedentibus. Si ergo post illud momentum manducatur, seu deglutitur illa quantitas cibi, vel pars illius, quæ, licet ante punctionem medie noctis, in os immissa fuerat: jam manducatur post medium noctem. Docent autem D. Thom. 3. par. qu. 80. art. 8. ad 4. Azorius Institut. Moral. par. 1. lib. 10. c. 30. quæst. 2. versus finem, & Suarez to. 3. in 3. par. disp. 66. sect. 4. §. *Tertio infertur*. fine: reliquias, quæ in ore, seu circa dentes superfunt ex cibo ante medium noctem sumpto, nihil obstat, etiam si post medium noctem, aut etiam mane dilabantur in ventrem: quia in modum salivæ trajiciuntur; tum etiam quia censentur pertinere ad comedionem, quæ præcedenti die præcessit. Quod confirmatur auctoritate Missalis. Romana, ubi de defest. in celebre Miss. tit. 9. n. 3. Licet consulendum sit, ut hujusmodi etiam particulæ, si sensibiles sint, expuantur, ut monent idem Suarez, & alii. Videri etiam potest Bened. XIV. de Miss. sect. 2. c. 4. §. 2. Consequenter autem ad prædictam sententiam docet Sancius apud Dianam l. supra cit. R. 112. §. 3. quod postquam prædictam buccellam quis ex ore suo projicerit, non tenetur, esse nimis anxius ad abluendum os. Insuper Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 15. sect. 2. n. 36. docet, non esse obligationem adhibendi curam, & diligentiam ad illas reliquias cibi ante medium noctem sumpti, quæ inter dentes maneant, ex his extrahendas: etiam si prævideantur deglutiendas postea, si non extrahantur. Nec item esse obligationem, eas ex dentibus

jam extractas, diligenter intra oris angulos quærendi, ut expuantur. Attamen consentit Doctoribus illis, qui omnino volunt, prædictas reliquias e dentibus extractas in lingua sensibiliter habitas non deberi ex industria trajici, aut adeo tenaciter retineri, ut moraliter idem sit, ac velle eas deglutire: atque adeo esse expuendas. Cur autem non detur parvitas materiæ in quantitate cibi, vel potus sumpti ante Communionem, sed quælibet quantitas sumpta per modum cibi, vel potus, frangat jejunium Naturale ad Sanctam Communionem requisitum? ostendit laudatus Cardinalis de-Lugo l. cit. n. 22. & videri etiam potest Diana cit. to. 2. tr. 1. R. 127.

S E C T I O X.

An admittat parvam quantitatem tempus, infra quod potest celebrari Missa?

DECIMUM exemplum fit de hora 47 celebrandi, seu de tempore, intra cuius spatiū potest Missæ Sacrificium celebrari. Tridentinum sess. 22. in Decreto de observandis, & evitandis in celebr. Miss. præscribit, ne Missæ celebrentur nisi debitis horis: proculdubio per horas debitas intelligit eas, quas Missale Romanum præsignat: cum debeamus Missali conformari, ut animadvertis Franciscus de-Lugo de Sacram. lib. 4. de Miss. c. 5. qu. 7. n. 75. & docet Reginal. in praxi l. 29. n. 173. Missale autem in Rubr. gener. tit. 15. num. 1. approbat consuetudinem universalem Ecclesiæ, ut Missæ privatæ quacunque hora diei possint dici ab Aurora usque ad meridiem, ita

ita ut nec ante Auroram , nec post meridiem liceat celebrare . Videri possunt dicenda in Sabbato Sancto n. 363. & in Dom. V. post Pascha n. 1. Ratio autem mystica de eo , quod noctis tempore , (excepta nocte Nativitatis Domini quo ad primam Missam) Missæ minime celebrentur , redditur a Paulo III. in sua Bulla 23. incip. *Debita confederatione* . to. 1. Bullar. Cherub. §. 25. ubi ait , quod cum in Altaris Ministerio immoletur Dominus noster Jesus Christus Dei Filius , qui candor est lucis aeternæ , congruit , hoc non noctis tempore fieri , sed in luce . Consonat Suarez to. 3. in 3. par. disp. 80. sect. 4. post initium , ubi docet , id mystice esse , quia in Sacrificio offertur Christus , qui est candor lucis aeternæ , & de se dicit Joan. 9. 4. *Me oportet operari opera ejus , qui misit me , donec dies est.* Quæ ratio est D. Thomæ 3. par. qu. 83. ar. 2. ad 4. Item dicit Suarez , id fieri , quia hoc Sacrificium est legis gratiæ , in qua Divina clæritas illustrius communicatur . Hæc quidem ratio mystica . At litteralis , seu humana ratio ex eodem Suarez esse videtur , quia ante Aurora , atque adeo tempore noctis , communiter loquendo , non sunt homines convenienter dispositi ad hujusmodi Religionis opus , quod publice , & cum debita reverentia fieri debet ; & fortasse etiam hoc factum est , ne ex Nocturnis conventiculis ad Missam dicendam , superstitutionis occasio sumeretur . Ita Suarez ; qui deinde sect. eadem §. dico secundo . reddit etiam rationem de eo , quod Missæ ultra meridiem non celebrentur ; dicens : hujusmodi consuetudinem ex hominum fortas-

se fragilitate cæptam , attamen propter reverentiam Sacrificii fuisse introductam , in eoque fundari ; pertinet enim , inquit , ad reverentiam hujus Sacramenti , quod ante prandium conficiatur : ut tam qui celebrat , quam qui assistit , decenterius , & devotius id agat : est autem jam communis consuetudo , ut prandium ultra meridiem non differatur ; & ideo merito introductum est , & consuetudine receptum , ut etiam Sacrificia in meridie absolvantur . Et eadem sectione , §. ultimo inquiri . reddit ex Concilio Au-relian. III. Capit. II. aliam rationem litteralem , scilicet , ut possint Sacerdotes , citius expedito antemeridiano Officio , ad Vespertinum convenire commodius . Et iterum rationem aliam ex Augustino ; nimis quia expedit , ut populus ante Officium Sacrum peractum , ad cibum non accedat ; quod fieri commodius , & suavius , si mature circa meridiem totum divinum Officium & Sacra Concio , quæ in diebus solemnibus , & Quadragesima illi soleret adjungi , absolvatur .

Prædictam legem obligare sub gravi docent Auctores communiter ; idque etiam constare ex communi sensu populi Christiani , testatur Suarez to. 3. in 3. par. disp. 80. sect. 4. §. *Quod autem* . Ubi alias quoque affert conjecturas . Insuper & a transgressoribus incurritur poena suspensionis ferendæ ex Decreto Pii V. quod incipit : *Sanctissimus in Christo Pater* : quodque allegabimus 25. Decembr. n. 46. Et Concilium Trident. I. cit. Episcopis injungit , ut propositis poenis caveant , ne Sacerdotes aliis ; quam debitæ horis celebrent . Quæ quidem horas debitæ aliæ non sunt , ut

ut jam dictum est, nisi que ex consuetudine universalis designantur, & in Missali Romano prescribuntur, videlicet ab Aurora ad Meridiem.

Ubi non est Aurora physice, pro licita Missarum celebracione attendatur ea moraliter, & politice; quando scilicet ibi terminari solet horum quies, & incendi labor, juxta probatam Regionum consuetudinem. Est decretum S. C. R. 18. Septembris & 2. Novembris 1634. relatum art. 2. ubi etiam significavimus, in hujusmodi locis debere similiter attendi meridiem; vide ibi dicta; sed etiam quod docuimus art. 6. n. 25. fine.

Auroræ nomine intelligitur prima irradiatio Solis properantis ad oratum, sed nondum apparentis in nostro horizonte; quam alii vocant primam aeris illuminationem, vel initium lucis, vel initium crepusculi diei. Hujusmodi Aurora pro diversis temporibus magis, vel minus precedit ortum Solis, ut constat; & quidem La Croix lib. 6. par. 2. q. 29. §. 3. ex Averba, & Quarti ait, quod ea in Martio circa aquinoctium præcedat Solem per horam cum quadrante. In Junio circa Solstitium per duas etiam horas cum quadrante. In Februario, & Septembri per horam, & medium. In aliis mensibus aliquando per duas horas, vel per unam cum tribus quadrantibus; Itaque excepto Martio, semper durat per horam, & dimidiam. Idipsum fere ait Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 20. sect. 1. n. 31. Quetamen regula aliquantulum variat etiam intra Europam pro varietate Regionum, ob diversam elevationem Poli pro singulis Regnis. Quapropter oportet inspicere Calendaria propria-

Regionis, in qua quis versatur, & stare regulæ ab iis traditis de initio auroræ in ordine ad inchoandam Missam, secundum dicta art. 6. numero 25.

Docet Quarti apud eandem La Croix l. cit. §. 5. n. 228. Meridiem in praesenti materia sumendum esse non mathematice; sed moraliter; per quod ipse intelligit, circiter plus, minusve. Idem docet Tamburinus in Bull. Cruc. c. 5. §. 6. n. 1. Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 20. sect. 1. n. 36. & 38. Cui tamen sententia merito contradicit La Croix, qui docet; probabilius videri, assignatum tempus meridiei debere attendi ad momentum, quia quando Leges, ut hic determinant tempus, intelligenda sunt ad momentum, si hoc cognosci possit. Quamvis autem certo non cognoscamus punctum meridiei mathematicum; tamen per horologia communiter bene ordinata certe cognoscimus punctum meridiei Ecclesiasticum, ad quod nos adstringit Ecclesia, ut sat: in superioribus est demonstratum.

Concedit tamen cum Quarto La Croix, & cum eo sentit: tempus Auroræ sumendum esse moraliter, seu circum circa: plus, minusve: quod etiam alii dicunt. Assignat disparitatem; quia, inquit, tempus Auroræ cognosci nequit; nequidem secundum punctum temporis ecclesiastice sumpti; oppositum autem est de meridie; ita ille. Sed nos hanc sententiam refutavimus, art. 6. cit. n. 25. ubi, & art. 4. docuimus, & ostendimus: tempus item Auroræ ad momentum Ecclesiasticum, & practicum posse cognosci, ac de facto cognosci, ut cognoscitur meridies; & de-

& debere attendi etiam pro initio celebrationis Missarum collegimus cit. n. 25. ; ex supra recitato Decreto S. C. R. in quo dicitur : ubi non est aurora physice, pro licita Missarum celebratione, attendatur ea moraliter . Ergo ubi est Aurora physice, non est attendenda moraliter : exceptio enim firmat regulam in non exceptis. Ideo dicendum : aurorę initium ad punctum Ecclesiasticum esse spectandum ad inchoandam Missam : scilicet expetandum punctum illud Ecclesiasticum , in quo Calendaria approbata reponunt initium aurorę ; ita ut solum licet Missam inchoare , postquam horologia bene ordinata dederint signum illius horae , in quam cadit initium aurorę varium pro temporum varietate ; adeoque tum pro fine , tum pro initio temporis præfixi , intra quod licet Missas celebrare , attendendum esse momentum , & punctum practicum , & Ecclesiasticum .

Verum nota hic : Benedictum XIII. Decreto edito permisisse Sacerdotibus tertiam partem horæ anticipare Missam ante auroram , & postponere post meridiem , ut refert Benedictus XIV. to. 1. Notif. 12. n. 4. Et in rr. de Missa sect. 2. c. 1. §. 3. prope finem , alias lib. 3. c. 7. n. 5. testatur , & simpliciter ait : ex permissione rationabili , & coherenti Romanæ praxi , inchoari Missam tertia horæ parte ante Auroram ; & absolvi tertia horæ parte post meridiem . Tertia vero pars horæ minuta sunt viginti , seu unas quadrans , & minuta quinque ; ita ut tempus , intra quod jam licet sacrificare , est a tercia parte horæ ante auroram , usque ad tertiam partem horæ post meridiem . Quod quidem additum

tempus attendi quoque debet ad momentum ; & similiter quocunque aliud in posterum fortasse Ecclesia superaddat .

Videndum modo , quod praesentis 43 est instituti , in predictum tempus ad celebrandas Missas designatum , quantitatis paritatem admittat ? Ad quod dico : Communiter Auctores affirmare , atque admittere paritatem quantitatis in hujusmodi tempore anticipando , & postponendo ; alios quidem expresse , alias autem implicite , dum dicunt ; peccare mortaliter celebrantem ante , vel post horam debitam notabiliter . Per quod verbum limitativum satis innuit , si non sit notabile tempus , quo Mis sa scienter , & sine justa causa vel anteponatur , vel postponatur termino debito , non peccari mortaliter ob levitatem materiæ .

Quod autem docet Aversa , quem allegat La-Groix qu. supra cit. §. 5. n. 228. (cui etiam consentire vide tur) nequidem veniale esse , si sit parva distantia a termino præfixo , quia sic habet consuetudo ; Hoc posset admissi , si haberetur consuendo ; at ubi haec haberetur , non solum parva , sed etiam magna distan tia excusaret , si magnam quoque distantiam consuetudo legitima per mitteret : Verum hic non est qua stio de eo , quod lex , aut consuetudo legitima permittat : sed de eo , quod sit præter permisum a lege , vel consuetudine ; quod utique quantumlibet parvum sit , proprie violat legem ; si autem proprie legem vio lat , peccatur in Legem , sicutem venialiter . Ergo parva etiam distantia , quæ non sit a lege , vel consuetudine permissa , inducit pecca tum , etiæ non nisi veniale , quia par-

parva materia est ; & rursus levissimum , si levissima materia sit , seu minimum recedat a lege . Vide dicta sect. 8. n. 44. in simili de refectione anticipata in die jejunii . Parva itaque quantitas , quam hic dicimus admittendam esse , a veniali nequaquam excusat : supponitur enim semper , non esse permisum a lege , vel consuetudine , vel ab aliqua iusta occurrente causa .

Admittitur autem quantitas parva in praedito tempore , non quidem ob rationem illam , quam aliqui assignarunt , videlicet quia parvum pro nihilo reputatur . Quod Axioma non valere in re praesenti , patet ex dictis . Sed admittenda est parvitas quantitatis , quia hie habet locum regula articuli hujus initio n. 28. tradita ad dignoscendum , quandonam in designatione temporis admetti possit quantitatis parvitas . Diximus enim hanc dari quoties ex fine , vel ex circumstantia , quantitas parva non crescit in magnam , unde prorogari possit , aut minui absque gravi culpa tempus praecetti aliquantulo tempore . Hoc autem prudentum judicio judicandum , ut l. cit. significavimus n. 29. & quidem ex eorumdem sententia datur in praesenti .

49 Non convenient tamen Auctores in assignanda quantitate notabili temporis ad mortale sufficientem ; in celebratione Missæ anticipanda , vel postponenda ; atque adeo non convenient in assignanda modica temporis quantitate a mortali excusante in celebratione Missæ anticipanda , vel postponenda . Et vero Azorius Institut. Moral. par. 1. lib. 10. c. 25. qu. 6. judicat , tertiam partem horæ esse quantitatem notabilem , ideo-

que si quis scienter , & sine iusta , ac debita causa , tertia parte horæ ante auroram , vel post meridiem Missæ sacrificium ficeret , lethaliter , inquit , peccaret . Est autem tertia pars horæ unus quadrans , & minuta quinque , ut supra notavimus . Unum item quadrantem pro exemplo temporis minime notabilis in praesenti re ponit Reginaldus lib. 29. c. 9. n. 174. Videtur itaque putare , esse quantitatem notabilem , si unum quadrantem excedat , adeoque fere convenit cum Azorio . Azorii sententiam videtur sequi Gavantus in Rubr. Miss. par. 1. tit. 15. n. 1. Sed eam nimis duram judicat Bonacina , qui multo plus requirit ad quantitatem notabilem , ut jam videbimus . Illam etiam rejicit Fagundez , qui paulo plus exigit , sequiturque Henricum , cuius sententiam existimat probabiliorem in praec. 1. Eccl. lib. 3. c. 17. n. 6. Docet autem Henriquez , dimidium horæ esse notabile tempus ante auroram , & post meridiem : atque adeo non esse notabile tempus , si minus quam hora media ante tempus praefixum incipiatur Missa , vel post tempus praedictum absolvatur . Hanc sententiam approbat Bardi in Bull. Cruc. part. 3. tr. 4. c. 2. num. 2. & 5. Trull. in Brull. Cruc. lib. 2. §. 5. n. 3. & 4. Tambur. in Bull. Cruc. c. 5. §. 6. n. 3. & cum aliis tenet Diana edit. coord. to. 2. tr. 1. R. 104. §. 2. & to. 4. tr. 2. R. 47. §. 1. Alii docent sufficere , ut pars aliqua Missæ dicatur post cæptum tempus ab Ecclesia praefixum ad incipiendum Missam , et si per semihoram ante fuerit inchoata ; sicut etiam sufficere , ut Missa inchoetur antequam compleatur tempus ab Ecclesia

clesia præfixum ad finiendas celebrationem Missarum , et si major illius pars post tempus prædictum celebretur . Vid. Suar. to. 3. in 3. pat. disp. 80. sect. 4. §. Secundo inquiri . Francis. de-Lugo de Sacram. lib. 5. de Missa c. 5. qu. 6. n. 61. Cardinal. de-Lugo de Euch. disp. 20. sect. 1. num. 32. & 33. Dian. edit. coord. to. 9. tr. 7. R. 49. §. 18. Pellizar. Man. Regul. tr. 5. c. 8. sect. 2. qu. 21. fine . Trull. in Bull. Cruc. lib. 2. §. 5. n. 3. & duob. sequ. Reiffenstuel Theol. Moral. to. 2. tr. 14. dist. 5. quæst. 9. Concl. 1. n. 106. & 107. Hæc autem sententia quoad initium celebrandi , concedens medium horam sub conditione præfata , non favet majori Celebrantium parti ; communissime enim Sacerdotes in Missa privata non impendunt semihoram , (licet id maxime conveniret) ; paucissimi vero erunt , qui in celebrando semihoram excedant . Quapropter Sacerdotes , qui in celebratione Missæ minus , quam semihoram , vel etiam semihoram impendunt ; si incipient Missam semihora ante tempus ab Ecclesia præfixum , nullam partem Missæ dicent post cœptum tempus ab Ecclesia præfixum : quod tamen exigit præfata sententia ad hoc , ut licet sit , sine mortali Missam inchoare media hora ante tempus præfixum . Sed Bonacina de Sacram. disp. 4. qu. ult. pu. 9. n. 6. putat quantitatatem notabilem , atque adeo ad mortale sufficientem esse spatium trium quadrantum ; vel etiam horæ . Horam quoque et si non integrum admittit Sylvius apud Dianam l. cit. R. 104. Denique Franciscus de Lugo de Sacram. lib. 5. de

Miss. c. 5. qu. 6. n. 62. auditio prædictis Auditorum sententiis , suum super hac quæstione proferens judicium , dicit : sibi videri , arbitrio prudenti id esse dijudicandum ; sicut in aliis præceptis , materiæ gravitas , & levitas , præcognitis judiciis Doctorum , & circumstantiis occurrentibus , prudenti tandem arbitrio decernitur ; ita ille . Quod tamen non videtur satisfacere ; non enim quæstio est : quantum possit anticipari , & postponi Sacrificium Missæ data causa ? Quod utique esset judicium prudenti , juxta varietatem causarum , & circumstantiarum occurrentibus casibus judicandum , ut infra dicemus ; sed quærimus absolute , absque ulla justa causa anticipandi , & postponendi Missæ celebrazione ; quænam quantitas temporis primum inducat mortale , celebrazione Missæ anticipando ; & quænam a mortali culpa excusat , illam postponendo ab hora præfixa . Quod hic potest utique decidi , & judicari .

Ego itaque , auditis laudatorum Doctorum sententiis , probabiliorem puto sententiam illorum , qui iudicant , quantitatem notabilem tunc primum attingi , ubi attingatur hora dimidia ; infra vero dimidiā horam , esse materiam , & quantitatem levem , adeoque a mortali excusantem : unde non esset damnandus de mortali , qui Missam inciperet minus , quam media hora ante ; vel qui illam absolveret minus quam media hora post tempus ab Ecclesia præfixum ; puta viginti novem minutis ante , vel post .

Prædicta parva quantitas concedenda similiter est Regionibus illis non habentibus physice auroram , &

H me-

meridiem ; de quibus diximus supra art. 2. & 6. ita ut , si in præfatis locis dentur certa signa , quæ haberi respective statuta sint pro initio Aurora , seu pro initio celebratio- nis ; & pro punto meridiei , seu pro fine celebrationis Missarum ; non peccet mortaliter ibi Sacerdos , qui minus , quam hora dimidia prædictum signum anticipet pro Missæ celebratione ; & similiter si postponat Missam a signo dato ibi pro fine celebrationis Missarum . Cava- ler. to. 3. Comment. in Decr. S. C. R. c. 12. in Decr. 8. n. 4. & 9.

50 Nota hic 1. quod cum Benedi-
ctus XIII. ut superius relatum est ,
permiserit per tertiam horæ partem
anticipare , & postponere Missæ ce-
lebrationem ab hora in Missali Ro-
mano præfixa , scilicet ab Aurora ,
& Meridie ; ideo parvitatem illam
temporis ab Auctoriis admissam ,
puta prædictum tempus minus quam
dimidiæ horæ , quod diximus esse
quantitatum levem in ordine ad an-
ticipandam , & postponendam Missæ
celebrationem a tempore ab Ecclesia
præfixo : jam non ab Aurora , &
meridie , sed a prædicta tertia parte
horæ , quam laudatus Pontifex per-
misit , computare licebit . Et simi-
liter intelligendi sunt alii Auctores ,
qui aliam designant parvitatem quan-
titatis in hujusmodi tempore , & il-
lam computent respectu Aurora , &
Meridiei ; ideo enim respectu Auro-
ra , & Meridiei computant , quia
nondum , quando scribebant , erat
facta prædicta permisso extensionis .
Ubi itaque Auctores dicunt , esse
quantitatem levem anticipare Mis-
sam uno quadrante , vel tertia par-
te horæ , vel minus quam media
hora , vel tribus quadrantibus &c.

ante Auroram , & item postponere
a meridie : est idem ac si dicerent ,
a tempore præfixo . Adeoque cum
jam tempus præfixum sit tertia pars
horæ ante Auroram , & post Meri-
diem ; ideo prædictus quadrans , vel
dimidia fere hora , vel præfati tres
quadrantes , & quodcunque aliud
tempus probabiliter admittatur ut
quantitas levis , in ordine ad anti-
cipandam , & postponendam Mis-
sam a tempore præfixo : jam non
ab Aurora , & Meridie computari
debet , sed a prædicta tertia parte
horæ ante Auroram , & post Meri-
diem a Pontifice summo , atque a-
deo ab Ecclesia omnibus permitta i
Istud vero patet , quia , ut scit
notat Cardenas in Crisi par. 2. tr.
3. de Legib. disp. 27. c. 6. n. 64.
*Parvitas materie dicitur illa , quæ
præcipitur , vel prohibetur a lege , sed
non sub obligatione gravi , eo quod
parva sit ; quia in parvam materiam
non cadit præceptum grave . (In quo
tamen sensu id doceatur ? Videri
potest La-Croix lib. I. de Legib.
qu. 103. §. 5.) Hinc fit , quod si
lex ipsa concedit expresse , vel tacite
aliquid parvum , illud quidem non est
licitum ratione parvitatis materie ,
sed quia concessum a lege . Ita si lex
de observatione Festerum indulgeret ,
quod vacare possit servilibus per duas
horas ; ea vacatio duplicitis horæ non
est licita ratione parvitatis materie ,
sed quia concessa a lege . Cujuſ evi-
dens signum est , quod in eo casu ul-
tra duas horas posset addi hora alia ,
& eo amplius pro parvitate mate-
riae . Hæc Cardenas . Idem quoque
dicendum , si forte in posterum ea-
dem Ecclesia aliquid adhuc amplius
anticipare permiserit , & postponere
Missam ab Aurora , & Meridie .*

No-

51 Nota 2. quod etiam supra innuimus : licere videlicet ex aliqua iusta causa , aut ex privilegio , vel consuetudine legitima tempus Celebrationi Missæ præscriptum anticipare , vel postponere magis , aut minus , pro ut concedant respectiva privilegia , & consuetudo aliqua legitime recepta , & permittant circumstantiæ arbitrio viri prudentis , pii , & docti . Exempla justæ , & legitimæ causæ nonnulla afferunt Auctores communiter agentes de hac re , apud quos videri possunt . Non esse autem legitimam causam celebrandi Missam una hora post Meridiem , quod ea applicari debeat pro Animabus Purgatorii : declaravit S. R. C. 24. Novemb. 1661. in Neapolitana apud Merat. indic. Decret. Miss. n. 415. De privilegio Bullæ Cruciatæ celebrandi per horam ante Auroram , & post Meridiem cum facultate Commissarii Generalis Cruciatæ agemus ubi de Bull. Cruc. tr. 2. lib. 4. par. 1. cap. 2. art. 1. sect. 1. subf. 7. De locali privilegio , quod alicubi est in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrandi usque ad horam secundam post meridiem ; dicemus lib. 3. 2. Novembr. n. 40. De privilegio Episcopi , quod nimurum ei communiter concedatur , ut itineris causa , vel ipse , vel aliis coram ipso valeat celebrare hora una ante Auroram , sive ex consuetudine , sive ex ordinaria potestate dispensandi : testatur Cardinalis de-Lugo de Euchar. disp. 20. sect. 1. n. 27. Sunt etiam plures Ordines Regulares , quibus Summi Pontifices concesserunt hujusmodi privilegium anticipandi , & postponendi horam celebrationi præfixam .

Licet vero Cavalerius to. 3. Comment. in Decr. S. C. R. c. 12. in Decr. 8. n. 8. inclinet ad dicendum , quod hujusmodi privilegia , ut suffragentur , edita esse debeant post Tridentinum , eo quod sess. 22. dicitur : *Ne Sacerdotes aliis quam debitissimis horis celebrent , non obstantibus privilegiis &c.* nihil tamen minus ejusmodi Regularium privilegia minime revocata fuisse a laudato Concilio Tridentino , docet cum aliis laudatus de-Lugo l. cit. n. 29.

Pro exemplo autem consuetudinis localis receptæ esse posset id , quod refert Reiffenstuel Theol. Moral. to. 2. tr. 14. dist. 5. quest. 9. Concl. 1. n. 106. ubi testatur : receptam consuetudinem obtinuisse in partibus Septentrionalibus , quod Missa hyberno tempore tribus , vel quatuor horis ante Solis ortum celebretur , eo præsertim tempore , quo communiter homines sese labori suo manuali solent accingere . Hujusmodi siquidem consuetudinem iusta de causa introductam fuisse , dicit : ut in prædictis nimirum partibus , quibus in hyeme Sol sero oritur , Operarii , & Famuli prius Missæ Sacrificium audire possint , antequam ad suas operationes sele accingant ; citatque Laymannum , & alios tacito nomine . Auctoritate vero Pontifícia condemnatum abusum anticipandi , & postponendi tempus celebrationis Missæ in Dominica ante Ascensionem in quadam Ecclesia Bononiensi ; notabimus tr. 2. in Dominica quinta post Pascha ; videri etiam possunt dicenda in Sab. Sancto n. 363.

Nota 3. Privilegiatos , ut una 52 hora e. g. ante Auroram , vel post Meridiem celebrare queant , posse

H 2 sine

sine mortali, prædictæ horæ addere quantitatem temporis parvam, secundum supradicta statutam, putat minus, quam medium horam; ut communiter notant, & docent Auctores. Vid. Suarez to. 3. in 3. par. disp. 8o. sect. 4. §. *Tertia exceptio*. Trull. in Bull. Cruc. lib. 2. §. 5. n. 4. Bardi in eamdem Bull. par. 3. tr. 4. c. 2. Tambur in eamdem c. 5. §. 6. n. 3. Dian. edit. coord: to. 4. tr. 2. R. 47. §. 1. Gavant. in Rubr. Miss. par. 1. tit. 15. n. 1. Confer etiam modo supra dicta n. 50.

Sed interrogabis hic: utrum qui habent privilegium celebrandi per horam ante Auroram, & post Meridiem, possint designatam a Doctoribus parvam temporis quantitatem computare a tertia parte horæ ante Auroram, & post Meridiem; postquam facta est generalis permisso celebrandi a tertia parte horæ ante Auroram usque ad tertiam partem horæ post Meridiem, ut supradictum est n. 47.

R. Negative, sed debent nihilo minus computare horam ab Aurora, & Meridie; atque adeo non possunt Missam incipere nisi hora una ante Auroram, nec absolvere plus quam una hora post Meridiem; quia privilegium ita est expressum; nec quidquam favet universalis illa facultas celebrandi sine ullo peccato per tertiam partem ante Auroram, & post Meridiem; quia securus si Pontifex concederet universalem facultatem celebrandi una hora ante Auroram, & post Meridiem; liceret deinde prædictis privilegiatis celebrare per duas horas ante Auroram, & post Meridiem; quod non videtur admitten-

dum. Nec quidquam obest, quod privilegium diminueretur, aut penitus cessaret; hoc enim esset omnino per accidens. Si vero privilegium anticipandi, & postponendi non signasset tempus determinatum, & specificum, sed indeterminatum, & genericum, nimirum sic: celebrandi una hora e. g. ante, & post tempus præfixum communiter ab Ecclesia; in hoc casu puto equidem, posse hujusmodi privilegiatos Missam incipere una hora ante tertiam partem horæ, quæ est ante Auroram, & illam absolvere una hora post tertiam partem horæ, quæ est post Meridiem. Si quis tamen putaret, atque contenderet, hunc utique sensum esse prædicti privilegii celebrandi una hora ante Auroram, & post Meridiem: videlicet sensum esse, quod concessum sit privilegium celebrandi una hora ante, & post tempus communiter ab Ecclesia constitutum; fieri autem mentionem Aurora, & Meridiei, eo quod in Rubrica Missalis Romani Missæ privatae celebrari posse dicantur ab Aurora ad Meridiem, cum illud haecenus fuerit tempus celebrationi præfixum. Respondemus: id non videri satis tutum. Hujusmodi vero privilegiatis revocamus in mentem monitum Summi Pontificis Pauli III. in sua Bulla 23. incip. *Debita consideratione*. to. 1. Bull. Cherub. edit. Rom. an. 1638. ex typograph. R. Cam. Apostol. ibi §. 25. sic legitur: *Indulto celebrandi seu celebrare faciendi ante diem, parce utantur; quia cum in Altaris Ministerio immoletur Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, qui rando est lucis æternæ, congruit, hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce*. Recolan-

Iantur dicta superius Sectionis hujus initio.

53 Nota 4. Nocte Sancta Nativitatis Domini licere statim post medium noctem dicto Matutino celebrare unam Missam solemnem. Vide dicenda 25. Decemb. n. 45. An autem similiter liceat unam Missam privatam, vel etiam tres omnes Missas privatas legere mox post medium noctis illius? examinabimus. cit. a n. 51.

54 Nota 5. quod licet hic docuerimus, admittere parvitatem quantitatis tempus praescriptum pro initio celebrationis Missæ; assertio tamen hæc non procedit etiam de tempore Missæ celebrationi praefixo in die Nativitatis Domini, qua die, ut modo innuimus, & suo loco notabimus, Missa saltem solemnis celebrari potest mox post medium noctem; unde non licet tunc Missam anticipare quantumvis parum ante medium noctem sine speciali privilegio. Videantur dicenda 25. Decemb. n. 45. & 46. Quia vero hora diei debeant celebrari Missæ solemnies, seu Conventuales? Et an illa sit sub pracepto servanda? Dicemus cap. 2. qu. 5. Interrog. 8. n. 22.

S E C T I O XI.

An admittat parvam quantitatem tempus praefixum recitationi Officii Divini?

55 **XV** INDECIMUM exemplum sit de tempore praefixo recitationi Officii Divini, seu Horarum Canonicarum. Duplex est tempus praefixum, & designatum recitationi Officii Divini, seu Horarum Canonitarum;

primum tempus respicit universaliter, & copulative totum, & integrum quotidianum occurrentis Divinum Officium; alterum tempus respicit disjunctive, & singillatim diversas veluti partes, in quas divisum est prædictum Officium: puta Matutinum, & Laudes; Primam, Tertiam, &c. quæ partes appellantur Horæ Canonicae. Ex designatione primi temporis sequitur, totum Officium recitandum esse, & quidem sub gravi, intra spatiū currens a media nocte ad medium noctem cuiuslibet diei, sicut cætera præcepta uni affixa diei; recole dīcta n. 5. & spectata etiam consuetudine, tempus recitandi Officium Divinum incipit a Vesperis præcedentis diei, quoad folum tamen Matutinum cum Laudibus, juxta ea, quæ inferius dicenda sunt. Ex designatione autem secundi temporis sequitur, totum Officium esse intra spatiū prædictum recitandum non uno, ut ita dicam, haustu, seu continuante, sed recitandum distinxis, diversisque totius diei Civilis, & Ecclesiastici horis; ut per omnes diei partes Deum laudemus; & non quidem ad libitum, quoad hanc formam spectat orandi, sed juxta præscriptum ipsius legis, ant saltem receptæ consuetudinis designantis, quibus diei horis hæc, & illa pars Officii tribui debeat: seu in quibus recitari, & persolvi. Unde Officium Divinum ideo appellatur Horæ Canonicae: quia certis quibusdam diei horis, secundum Canones est persolvendum: puta C. Presbyter. de celebrat. Missar. ut ex Navarro, & aliis notavit Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. de hōr. Canon. c. 3. num. 1. & Diana to. 3. edit. coord.

62 Tr. I. Lib. I. Not. Quotid. in genere.

coord. tr. 6. R. 72. §. 3. & R. 73.
§. 2.

S U B S. I.

*Quibus Horis recitandum sit
Officium per partes?*

56. **Q**uæ quidem Officii partes ipso quo insignitæ sunt nomine demonstrant, & indicant horam diei, sive tempus, quo ex primaria Officii Divini institutione præscriptæ fuerint recitari. Nam illa pars, quæ nocturno tempore recitabatur, & adhuc a multis Religiosorum Communitatibus recitatur in Choro, *Nocturnum* dicitur; vide dicta n. 18. & dicenda n. 73. Quia tamen communiter recitatur tempore Matutino, seu summo mane, & appropinquante Sole ad ortum, numeratur etiam *Matutinum*. *Nocturnum*, seu *Matutinum* sequuntur *Laudes*. Unde sub eodem Matutini nomine completi solent ex Rubr. & sensu communiori; imo olim *Matutinorum* nomine veniebant tantummodo *Laudes*, ut patet ex Ord. Rom. tit. de Offic. Divin. a Cœna Domini, post initium, & alibi eodem ordine passim, & ex verbis Amalarii, quæ recitavimus cit. n. 18. prope finem: ubi etiam innuimus, eas perfolutas fuisse in quarta Vigilia Matutina, quæ absolvebatur in ortu Solis; confer dicta n. 15. Profecto ut notat Gavantus in Rubr. Brev. seqt. 6. c. 5. n. 4. *Laudes* ad diem potius pertinent, quam ad noctem. Post *Laudes* locum habet illa Officii pars, quæ *Prima* vocatur, quia *bora Prima* post ortum Solis recitatur. Simili ratione *Tertia*, quæ *bora Tertia* recitanda est;

Sexta, quæ *bora Sexta*; *Nona*, quæ *bora Nona* diei usualis recitabatur. *Vesperæ*, quæ in *Vesperis diei*, seu noctis initio, vel propinquante ad occasum Sole persolvebantur; Vide dicta n. 8. & 18. *Completorium* denique, quod *completo* die Usuali, & tenebris factis, vel fieri incipientibus præscriptum fuerit recitari. Vide Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. de hor. Canon. c. 15. Merat. to. 2. seqt. 4. c. 6. n. 1. 3. & 4. Videri etiam possunt dicta n. 18.

Prædictæ autem horæ præ aliis selectæ sunt ad Divinum Officium recitandum ex primaria sui institutione, quia in illis præcipua salutis nostræ mysteria peracta sunt, ut observant Suarez cit. lib. 4. c. 5. n. 2. 3. & 8. Diana supra cit. R. 73. §. 2. & alii. Videri potest S. Isidorus hispal. Episc. de Eccl. Offic. lib. 1. a c. 19. ad 23. Amalarius de Eccl. Offic. lib. 4. a c. 2. Walafridus Strabo lib. de reb. Eccl. c. 25. post initium. Rupertus Ab. lib. 1. de Divin. Offic. a cap. 2. Honorius in Gem. lib. 2. c. 55. & duobus sequ. Hugo Victor. in specul. Eccl. c. 3. Rabanus Maurus de instit. Cleric. lib. 2. a cap. 2. qui etiam c. 1. fine notat, & ostendit, eadem tempora in Divinis Scripturis præstituta inveniri, seu specialiter deputata ad Divinum Officium, & Orationem.

Dixi: *ex primaria Divini Officii institutione*: etenim deinde consuetudo legem mutavit, faltem pro recitatione extra Chorūm, ut mox patebit; & in ipso Choro non omnes servant exactam veterem illam præfatam distributionem horarum, aut aliam similem, quæcumque fuerit: nam a Scriptoribus nihil certi col-

colligi potest , cum mirabiliter dis-
crepent in horarum Canonicarum
distributione veteri designanda : nos
autem exposuimus , atque tradidi-
mus illam , quæ verisimilior visa
est . Introducet itaque sunt alia di-
versæ consuetudines , ut indicat Sua-
rez supra cit. cap. 15. n. 3. & 5.
fine , & n. 9. fine , & n. 10. ini-
tio . Diana tr. supra cit. R. 72.
§. 7. Cavaler. comment. in Decr.
S. C. R. to. 2. c. 34. in Decr. 1.
n. 6. Merat. to. 2. sect. 4. c. 1.
n. 3. & videantur dicta num. 18.
Suas quique consuetudines Choro
addicti cognoscant , & servent in
eo . An autem sub mortali ? Vid.
Suar. cit. c. 15. a n. 10. Dian. 1.
cit. R. 19. §. 3. & R. 56. §. 3.
& R. 71. & R. 72. §. 9. Tambur.
in Decalog. lib. 2. c. 5. §. 5. n. 1.
Quoad Mututinum vero a Clero
seculari recitandum in Choro de-
claratum fuit , quod *Ubi adest Con-
suetudo , recitandi Matutinum media
nocte a Clero Seculari , potest dimit-
ti , & mutari , ut reciteatur albescen-
te die , ex iusta causa .* S. C. R. 21.
Julii 1607. in Oscen. apud Caval.
to. 2. c. 34. D. 1.

Pro recitatione autem privata af-
ferunt Auctores consuetudines legi-
timas , quibus starr possit ; servari
enim debet etiam extra Chorum , &
in privata quoque recitatione distri-
butio horarum in persolvendo Offi-
cio Divino : an autem , & sub qua
culpa? dicemus subs. 2: Accurat um
tempus recitandi privatim Horas Ca-
nonicas ex La-Croix lib. 4. de hor.
Canon. qu. 213. §. 1. communiter
sic statuitur . Pro Matutino , & Lau-
dibus , a pridie Vesperi , (quod in-
ferius explicabitur ;) usque ad ho-
ram post ortum mane solem . Pro

Prima , a tempore Auroraæ usque ad
undecimam : seu usque ad horam
unam ante meridiem . Pro Tertia ,
ab ortu Solis usque fere ad Meri-
diem . Pro Sexta , & Nona , etiam
fere usque ad meridiem . Pro Ves-
peris , a meridie usque ad occasum
Solis ; excepta Quadragesima in die-
bus jejunii a Sabbato ante Dom. I.
Quadrag. in quibus Vesperæ reci-
tantur ante prandium , seu ante
Meridiem . Sed vide quoad hanc
rem , quæ disputanda sunt tr. 2:
lib. 4. par. 1. c. 3. qu. 3. a n. 14.
Tandem pro Completorio tempus
est a tertia post Meridiem usque
ad medium noctis ; ita La-Croix .
Simile quid habet Tamburinus in
Decalog. lib. 2. c. 5. §. 5. n. 1.
& Diana cit. R. 72. §. 7. qui li-
cet R. 62. §. 2. universaliter de
omnibus Horis loquens cum San-
chez dixerit: esse tempus competens
recitandi privatim horas Canonicas ;
si persolvantur parum ante , vel
postquam recitentur in Choro , pu-
ta , inquit , dimidia hora , vel tri-
bus quadrantibus , aut ad summum
una hora ante vel post ; nihil o-
minus citat. §. 7. testatur , Viro-
rum etiam piorum consuetudinem
esse , pridie Vesperi Matutinum , &
Laudes recitare . Mane vero ante
Sacrum Primam cum Tertia . Post
Sacrum vero Sextam , vel Nonam ;
vel omnes Horas minores simul an-
te Sacrum . Post prandium vero cir-
ca horam secundam , Vespertas , &
Completorium ; ita Diana ; & R.
73. §. 3. rursus , inquit , communi-
ter fere omnes sine scrupulo con-
suevisse recitare Primam post duas ,
vel tres horas ab ortu Solis simul
cum Tertia , Sexta , & Nona : Sta-
tim autem post prandium Vespe-
ras ,

ras, & Completorium. Eadem habet Busembau lib. 4. c. 2. dub. 2. de Horis Canon. art. 4. §. 6. Videri etiam potest Glossa in C. Presbyter. de celebr. Missar. In privata item recitatione cuilibet licet etiam nunc, se accommodare primævæ institutioni circa tempus præfixum recitationi partium Divini Officii; ita Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. de hor. Canon. c. 6. n. 4. fine, & n. 9. ac sequenti. Quintanadvenas in singularib. to. 1. tr. 8. de recit. Horar. singul. 2. num. 5. & alii.

Dixi: *in recitatione privata*: nam in Choro consuetudo semel introducta, & approbata videtur servanda: quia novitas, aut varietas in his ritibus publicis non potest fieri privata auctoritate; alioquin facile sequentur perturbationes, & scandala; plus enim offendit novitas, & mutatio, quam possit prodesse observatio ritus antiqui, quantumvis bonus videatur; ut monet Suarez n. 10. Insuetum vero, & non legitimum tempus in recitatione quoque privata foret, juxta superius laudatos Auctores, si mane, aut ante prandium dicantur Vesperæ, & Completorium; aut prima in occasu Solis; aut totum Officium ad Vesperum differatur, vel prope medianam noctem recitetur.

S U B S. II.

An, & sub qua culpa recitandum sit Officium horis præfixis?

57 **I**CET autem supra n. 55. docuerimus, & certum sit, primum tempus recitationi Officii præfixum, respiciens universaliter, & copulati-

ve totum, & integrum quotidianum, occurrens Officium, obligare sub gravi; minus tamen rigorose accipitur alterum tempus respiciens disjunctive, & singillatim prædictas diuersas veluti partes ejusdem Officii, ex quo hæc pars hac hora diei, illa pars illa alia hora præfigitur recitanda V. dicta art. I. n. 18.

De hoc itaque tempore dicendum i. certum esse, hujusmodi distributionem temporis in recitatione privata non obligare sub gravi, quantumlibet varietur, etiam sine privilegio, & causa; ita ut in recitatione privata non sit mortale, recitare Primam e.g. sero, vel totum Officium mane ante ortum Solis, vel Officium hujus diei recitare totum sero post Solis occasum. Vid. Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. de hor. Canon. c. 27. num. 3. Dian. ædit. coord. to. 3. tr. 6. R. 72. §. 1. Tambur. in Decalog. l. 2. c. 5. §. 5. num. 1.

Dixi: *in recitatione privata*: Quia pro recitatione publica, nimurum in Choro quid definiendum sit? jam supra subs. præced. remisimus ad Suarez, Dian., & Tambur. ll. ibi. cit.

Dicendum secundo: nec veniale esse, etiam si sine privilegio speciali, & causa fiat, si partes Officii recitentur tempore a legitima consuetudine permisso. Suar. l. cit. n. 8. Dian. cit. R. 72. §. 6. Tambur. l. cit. Unde nec veniale erit, si privatim recitetur Prima intra tempus, quod fluit ab Aurora usque ad horam unam ante Meridiem; aut si recitentur Vesperæ intra tempus, quod fluit a Meridie usque ad occasum Solis, & sic de aliis, secundum dicta subs. præc. ubi expusimus tempus singulis horis Canoni-

niciis privatim recitandis communiter præfixum a consuetudine.

Dicendum 3. veniale esse , sine justa causa , aut privilegio , hujusmodi tempus variare nimium , sive anteponendo , sive postponendo in recitatione quoque privata . Suar. cit. n. 8. Tambur. cit. n. 1. Diana l. cit. R. 72. §. 3. & R. 73. & est sententia communis ; quidquid dixerint nonnulli , etiam id a veniali excusantes , quos rejicit , & confutat Suarez , & Diana l. cit. Exempla autem justæ causæ , quæ valeat excusare , videri possunt apud Dian. cit. R. 72. §. 7. & cit. R. 73. §. 6. & apud alios communiter de hac re agentes .

Dicendum est 4. etiam veniale , etsi levius , fore , hujusmodi tempus , quantumvis parum sine causa variare , sive anteponendo , sive postponendo ab eo , quod lex , sive legitima saltem consuetudo permittat ; & eo magis leve , quo minus varietur , seu a lege & recepta consuetudine recedatur . Vid. Dian. cit. R. 72. §. 3. Et hæc quidem Assertio probari potest eadem ratione , qua usus sum in exemplo de hora refectionis in die jejunii sed. 8. n. 44. ad insinuandum , a veniali non excusari , etiamsi parum anticipetur hora prædicta , puta etiamsi anticipetur dimidia hora . Nimirum quia hujusmodi licet parva variatio , cum supponatur a lege nequaquam permitti , vel a consuetudine , illam proprie violat ; Ergo in illam peccatur ; esto leviter vel levissime ; Favet Cardenas , ut notavimus initio hujus articuli p. 29.

Verum quidem est , quod cum facile admodum dari possit justa causa sufficiens ad parum anticipan-

TOM. I.

dum ; vel postponendum partes Officii respicientes hujusmodi disjunctum tempus earum (si enim ad nimium variandum non exigitur causa necessario magna , ut Tamburinus notat cit. n. 1. & videre est in exemplis adductis apud Dianam l. cit. multo minus exigitur magna , ad variandum parum) facile etiam fiet , ut quis nullo modo peccet , tempus hujusmodi parum anticipando , vel postponendo in recitatione privata .

Interr. hic I. Utrum , qui non 58 possit recitare horam aliquam Canonica tempore illi præfixo , ac debito juxta prædictam distributionem , teneatur illam recitare præponendo , vel postponendo , & etiam simul omnes mox post mediam noctem , si prævideat , fore ut tota fere die impediatur ; vel contra , paulo ante mediam noctem , si tota fere die fuerit impeditus ?

R. Aliquos velle , eum , qui ex impedimento involuntario non potest recitare horam aliquam Canonica debito tempore , non teneri illam antea recitare ; concordant tamen , quod si ante mediam noctem cesset impedimentum , teneatur utique tunc recitare , quod prætermisferat , & recitare non potuit tempore debito .

Non desunt etiam , qui dicant , excusari absolute , adeoque non teneri anticipare , neque postponere . Rationem dant , quia antequam veniam tempus recitandæ cuilibet horæ Canonica præfixum , dicunt , illius recitationis præceptum nondum urget ; postquam vero præteriit , nec amplius urget , & quamvis possint etiam absque ullo peccato ex justa causa , vel aliquo privilegio

I

spe-

speciali anticipari , vel postponi partes Officii Canonici ab hora illis respective praefixa : nihilominus hoc est privilegium : privilegio autem nemo tenetur uti ; ita fautores hujusmodi opinionis . Vide Dianam to. 3. edit. coord. tr. 6. R. 38. & 39. & 118. §. ult. & to. 2. tr. 2. R. 13. §. 6. Pellizar. Man. tract. §. c. 8. sect. 2. n. 119. Lessium de Just. lib. 2. c. 37. dubit. 8. n. 43. fine . Tambur. in Decal. l. 2. cap. 5. §. 8. n. 13. prope finem . Sylves. V. Hora . n. 17. Suar. de Relig. to. 2. lib. 4. de Hor. Can. c. 27. n. 6.

Sed omnino dicendum est : in posito casu esse sive privilegiatis , si ve non privilegiatis obligationem anticipandi , vel postponendi recitationem partium Officii intra ipsum diem recitationi totius occurrentis Officii destinatum ; ita Suarez cit. n. 6. & c. 28. n. 28. & 36. Azor. instit. Moral. par. 1. l. 10. c. 13. qu. 15. Bonac. to. 1. tr. de hor. Canon. disp. 1. quæst. 6. pu. 2. n. 2. & communis Doctorum . Quod non ignorarunt Adversarii , qui concedunt hanc sententiam esse probabiliorem , & fatentur eam communiter tueri Doctores ; Et licet hoc negaverit Henriquez , ipsum tamen ideo falsitatis reprehendit , arguitque Diana cit. R. 38. Nos autem adhuc cum Suarez contendimus , sententiam hanc esse veram ; cuius ratio est , quia et si non urgeat præceptum recitandi hanc vel illam partem Officii , ut onus affixum tali horæ , temporique diei ; urget tamen præceptum recitandi hanc , vel illam partem Officii , ut onus affixum toti diei . Unde ratio illa Adversiorum , qua dicebant : an-

tequam veniat , & postquam præteriit hora cuiuslibet partis Officii recitationi praefixa , præceptum non urgere ; absolute prolata falsa est .

Profecto Doctores omnes loquentes de tempore , cui est affixum Officium Canonicum , dicunt esse affixum dici , vel esse onus affixum diei : non recte autem dicerent , Officium esse onus affixum diei , si antequam veniat hora competens in die , hanc vel illam partem recitandi , nullum sit onus illam recitandi , vel postquam præterierit hora illa , nullum remaneat onus illam partem Officii persolvendi : sic enim Officium dicendum simpliciter foret onus affixum horæ , non autem diei .

Explicationem nostræ rationis habebis , si recoles ea , quæ diximus , & præmisimus initio sectionis hujus n. 55. quæ superfluum videtur hic repetere . Solum adjiciam exemplum . Et Tamburinus quidem l. cit. n. 20. utitur exemplo obligationis Sacri audiendi in die Festo ; sicut enim , inquit , qui prævidet die Festo , se non posse adesse Sacro circa Meridiem , posse autem mane , adesse obligabitur : & e contra ; ita pariter in casu nostro . Nec valet opponere ; oblicationem audiendi Sacrum non esse affixam certæ horæ diei , sicut partes Divini Officii ; Nam ut animadvertiscas , etiam Divinum Officium est onus affixum toti diei , quamvis singulæ ejus partes , ad majorem Religionem ulteriori præcepto sint aptandas distinctis horis . Verum quidquid sit de hujusmodi exemplo ; ego utar alio ; quod puto melius rem hanc insinuare , illud etenim duco ex quodam alio præcepto , duo similiter tem-

tempora respiciente , sicut præceptum hoc recitationis Officii Divini . Exemplum autem est præcepti Divini , & Ecclesiastici sumendæ Communionis . Cum enim Christus Dominus præceperit , ut Fideles aliquoties in vita Sacramentum sumerent SS. Corporis sui ; Ecclesia determinavit , ut hujusmodi S. Communio semel saltem quolibet fieret anno ; placuit quoque tempus in anno præfigere , & circumscribere , quo sumenda esset , designavitque Pascha . Quæ sunt duo præcepta distincta ; unde fit , quod , si quis communicaret sohym extra Pascha , satisfaceret quidem præcepto Communionis annuæ ; sed non impleret præceptum Communionis Paschalis ; & si id ex culpa gravi omitteret , graviter peccaret , non contra præceptum Communionis annuæ ; hoc enim implevit Communicando semel in anno , sed contra præceptum Communionis faciendæ in Paschate . Rursus ex eo , quod illa sint duo præcepta distincta , sequitur , quod qui prævidet , fore ut non possit communicare in Paschate , nec reliquo tempore post Pascha intra annum , teneatur anticipare Communionem : non quidem ut satisfaciat præcepto Communionis Paschalis , quod nondum urget , sed ut implete præceptum Communionis annuæ , quod quidem cœpit urgere ipso anni principio . Et similiter , qui non Communicavit in Paschate , teneatur post Pascha , si ante Pascha non Communicaverit : ad satisfaciendum videlicet Communioni annuæ . Quoad hæc vide dicenda tr. 2. lib. 3. parte 2. in ejus 1. par. c. 3. sect. 2. qu. 2. 3. & 11.

Jam vero similiter res se habet

in casu nostro ; præcipit enim Ecclesia recitari quotidie divinum Of- ficium ut onus affixum diei ; deinde propter alias congruentias sub- præcedenti significatas , præscribit item hanc , & illam partem offi- ciī Divini hac & illa hora diei re- citari ; quæ sunt duo præcepta di- stincta . Et ex primo quidem sequi- tur , totum Officium præscriptum quotidianum recitandum esse intra spatiū unius diei ; ex secundo au- tem sequitur recitandum esse per partes ; distinctis ejusdem diei ho- ris . Rursus ex primo sequitur , quod , qui totum Officium recitet intra diem suum quidem , cui est affixum , sed extra horas præscri- ptas , satisfaciat quidem præcepto recitandi ea die Officium Divinum ; secus autem præcepto illud recitan- di horis præscriptis , si sine privile- gio faciat , aut sine justa causa . I- tem ex primo sequitur ; quod qui prævidet se non posse hanc , vel il- lam partem Officii recitare tempo- re , seu hora præscripta , tenetur anticipare , vel postponere , si potest intra ipsum diem ; & qui non po- tuit recitare hora præscripta , tenea- tur postponere intra ipsum diem ; & etiam integrum Officium recitare proxime ante medianam noctem , si toto præcedenti tempore diei per partes non potuit , distinctis horis , temporibusque diversis .

Denique quoad privilegiatos in anticipandis vel postponendis parti- bus Officii ab horis præfixis , subdo , illorum privilegium consistere in hoc , quod excusentur ab observatione præ- cepti recitandi Officium divisum per partes , horis præfixis ; non item re- citandi Officium intra diem illi præ- fixum ; atque adeo illam partem Of- ficii ,

ficii , quam non recitant hora illi præfixa , tenentur anticipare , vel postponere ; si non vis , ratione privilegii , utique ratione præcepti alterius , videlicet recitandi tamen illam quoque partem Officij , ut onus affixum diei . Hinc autem dignoscitur non esse ad rem illud , quod ab Adversariis assumebatur in favorem opinionis suæ ; hoc est : privilegio uti neminem teneri ; quod etiam nec verificari universaliter loquendo : intelligi poterit ex dicendis lib. 3. 23. Februar. a nu. 30. & tr. 2. cit. feb. 2. qu. 5. n. 16.

Sed dices: nonnullos Audtores negare : teneri communicare extra , qui non potest communicare intra Pascha . Ergo similiter potest dici de horis Canoniciis.

R. Nulla fœditas sine amatore ; & sic nulla opinio suis est destituta Patronis . Sententia a nobis exposita Communionis Paschalis , & adducta pro exemplo , nobis est omnino certa ; Cardenas etiam putat illam moraliter certam , & ex communis judicio est omnium probabilissima , & omnino in praxi sequenda . Vide dicenda tr. 2. supra cit. qu. II. Quæ utique praxis universalis stat etiam pro præsenti materia horarum Canonicarum . Profecto praxis communis omnium , qui ad horas Canonicas tenentur , indoctorum simul & doctorum , piorum & impiorum habet , ut anticipentur , vel postponantur illæ Officij Divini partes , quæ præscriptis horis recitari non possint , & recitatæ non sint ; ita ut totum etiam , & integrum quotidianum occurrens Officium proxime ante medium noctem simul recitetur ab iis , qui totis diei præcedentibus horis fuerint impediti . Hoc

utique praxis habet . Ergo & ratio , & praxis ipsa stant pro sententia affirmativa prædicta .

Quæ tamen Sententia non ita intelligenda est , ut velit obligare , ad anticipandum , vel postponendum Officium etiam in casu , quo anticipatio detrimentum aliquod afferat grave e. g. sanitati , puta quia expectatur febris , & labor recitationis nimis nocere credatur futuræ illius accessioni ; vel concursus omnium horarum Canonicarum in unum tempus sit nimis gravis , præsertim post præcedentem malam corporis dispositionem ; nam , ut recte observat Suarez cit. num. 28. hæc jam sunt quasi nova impedimenta ; nos autem loquuti sumus de casu , quo siue notabili incommodo , ut quidem fere semper accidit , anticipari , vel postponi potest Officium , vel aliqua illius pars .

Notandum quoque hic est , nos apposite superius dixisse : partes Officij anticipandas , vel postponendas esse intra ipsum diem recitationis occurritis Officij destinatum : quia extra ipsum diem nullo modo urget Officij præceptum . Prævidens e. g. te sequenti die fore omnino impediendum ab Officij recitatione non teneris hodie recitare sequentis Officij horam Primam , Terriam , ec. An autem in hujusmodi casu tenearis Matutinum crastinum cum Laudibus recitare in Vesperis præcedentibus ; examinabimus infra subl. 4. Similiter si heri non potuisti recitare , aut etiam ex mala voluntate omisisti recitationem Officij , non teneris hodie duo recitare ; sed unicum pro hodierna die . Ex eadem etiam ratione , si hodie semel & iterum recitares horam Primam pro die

die præsenti , & sequenti , non satisfaceres præcepto pro die sequenti , sed deberes cras illam denuo recitare . Vide dicenda subs. 5.

Notandum denique , quod qui debuit anticipare Officium , quia prævidit , non posse recitare hora congruenti , nec postponere ob impedimentum futurum , & reliquo diei tempore duraturum : licet peccaverit , si advertenter omiserit anticipare ; excusat tamen postponere sequito , & præsente impedimento , quia jam est impotens moraliter ad præceptum implendum ; debet vero dolere de priori negligentia , & culpabili omissione anticipationis ; ut monet Suarez cit. n. 36. fine.

59. Interr. II. Recitando partes Officii , alii horis ab iis , in quibus ex primæva institutione videntur præscriptæ fuisse recitari , quomodo verificari possunt multa , quæ in iis asseruntur ? e. g. in Matutino privatim præcedenti Vespere recitato aliquando dicitur : *Nocte surgentes vigilamus omnes* : Et tamen necdum venit hora ipsa nocturna cubandi . Item sappius dicitur in hymno Laudum : quod Aurora jam ascendet , & Sol prope sit ad ortum ; cum tamen Sol prope sit ad Occasum ; & non Aurora ascendet , sed tenebræ fieri incipient . Item ad Primam dicitur : *Jam lucis Orto sydere* : idest Orto jam Sole ; cum tamen Sol nondum Ortus fuerit , si recitetur Prima , ut quidem dicitur recitari posse etiam ante ortum Solis ; & sic de aliis Officii partibus .

R. Verba in Officiis Ecclesiasticis plerumque non referuntur ad tempora , in quibus proferuntur , sed ad legitimum tempus , vel ad significandum id , quod Ecclesia intendit :

hoc autem semper verificatur ; ita Azorius 1. par. intit. Moral. 1. 10. c. 9. qu. 8. in resp. ad obj. 1. Suarez cit. c. 27. n. 6. Filliac. to. 2. tr. 23. c. 8. qu. 6. (alias per errorrem 7.) n. 268. Bonac. to. 1. de horis Canon. dispu. 1. pun. 3. n. 9. fine . Exemplum autem habes in prima Missa Nativitatis Domini , quæ per se celebranda est in nocte , & nihilominus a celebrantibus privatim omnes tres Missas in die , seu orto jam Sole , & longe post ortum Solis , adhuc in prima Missa dicitur : *Communicantes , & noctem Sacratissimam celebrantes* . Similiter in Missa solemni Sabbati Sancti , & benedictione Cerei , quæ olim habebantur in nocte ; etsi nunc celebrentur in die , adhuc tamen in iisdem mentio fit noctis : uti suo loco notabimus . Plerique etiam Doctores ad tempus Mortem præcedens referunt multa ex iis , quæ in Officio , & Missa Defunctorum dicit , & orat Ecclesia pro Defunctis ; puta quando orat , ut Animæ Defunctorum non cadant in obscurum ; ne absorbeat eas Tartarus ; ut libarentur de pœnis Inferni ; ut det eis Dominus locum indulgentiæ , &c. Vid. La-Croix lib. 5. qu. 31. §. 4. & lib. 6. p. 2. qu. 4. §. 13. Benedict. XIV. de Sacr. Miss. lib. 2. c. 9. n. 4. & 6. & Caval. to. 3. c. 10. n. 10. Merat. to. 1. par. 1. tit. 12. n. 2. & par. 3. tit. 3. n. 4. versus finem ; confer dicenda 6. Januar. n. 15. & 16. & die 17. Septemb. n. 6. & die 25. Decembr. n. 59. & in Sabbato Sancto n. 322. & 350. & tr. 2. l. 1. par. 1. c. 1. fine .

Dices : quid ergo superius docuimus : venialiter peccari , recitando Of-

Officium extra tempora præscripta , secluso privilegio , & justa causa ?

¶. Quia est contra legem , & consuetudinem præscribentem , atque volentem , ut certis diei horis , atque diversis , per partes recitetur Officium . Ex hoc quidem illud docimus cum veriori sensu Doctorum ; non autem ex eo , quia non verificantur prædicta , & similia verba , quæ in Divino recitantur Officio .

60 Interr. III. An is , qui hodie ordinatur in Sacris , vel emitit Professionem Religiosam , vel accipit pacificam Beneficii possessionem , tenetur hoc ipso die ad horas Canonicas recitandas ?

¶. Affirmative . Non tenetur autem ad horas , quæ ex lege , aut juxta legitimam consuetudinem in Choro , vel extra Chorum persolvi consueverunt ante tempus , seu horam ordinationis sive , sive Professionis , sive acceptationis Beneficii : sed solum tenetur ad illam partem Officii recitandam , quæ persolvi consuevit tempore , seu hora illa , qua ordinem suscepit , vel Professionem emisit , vel Beneficium pacifice possidere cœpit ; & deinde alias partes Officii , reliquas , atque sequentes . Et sic qui ordinatur hora undecima diei , seu una hora ante Meridiem , non tenetur eo die orare Matutinum , Laudes , & Primam , sed potest incipere a Tertia ; recole dicta subl. præced . Imo probabile reputatur , teneri tantum recitare a Vesperis , quia in Choro eousque recitate sunt horæ prædicto tempore .

Quod si quis oraverit ante susceptionem Ordinis ; probabilius videatur , non satisfecisse præcepto , quia

tunc nondum cœperat obligare ; probabile tamen adhuc est , satisfecisse . De his , & similibus videri potest Suar. de Relig. to. 2. l. 4. de hor. Canon. c. 28. n. 8. Diana edit. coord. to. 3. tr. 6. R. 4. & R. 23. La-Croix lib. 4. de hor. Canon. qu. 187. Tambur. in Decal. lib. 2. c. 5. §. 5. n. 8. & 9. Cardinalis de-Lugo de Euch. disp. 16. sect. 2. n. 39. & 40.

Interr. IV. An sine causa possit 61 Matutinum privatim pridie recitari ?

¶. Quod etsi nonnulli exigant aliquam justam causam occurrentem , ut liceat Matutinum pridie recitare ; velut certum tamen haberi potest , ex sola introducta , & approbata consuetudine id licere privatim . Deinde justæ cause , quæ exigitur , sunt nimis triviales , & fere semper occurrentes , ut commoditas studii , lux diei , vel major securitas anticipandi , & similes . Videatur Diana edit. coord. to. 3. tr. 6. R. 73. §. 6.

Nequidem opus est , ut possint recitari Matutinum , & Laudes sequentis diei : quod sint jam recitatae Vesperæ , & Completorium hujus diei ; uti velle videntur Turrecremata , Viguerius , & Navarrus apud Sanchez , teste Diana l. cit. R. 62. §. 1. fine . Fatendum tamen est , veniali culpa id non carere , si sine justa causa fiat ; quia voluntas Ecclesiæ est , ut prius exsolvatur obligatio hujus diei , quam inchoetur alterius . Vid. Suarez to. 2. de Relig. lib. 4. de hor. Canon. c. 24. n. 3. La-Croix l. 4. de hor. Canon. qu. 213. §. 4. Quæ autem sint Causæ sufficienes ? Vide apud eundem La-Croix ibidem & præced . qu. 212. §. 2.

S U B S.

S U B S. III.

Qua hora pridie possit privatim inchoari Matutinum; ita ut satis fiat præcepto?

62 **Q**UAMVIS convenient Doctores in eo, quod Matutinum (quo nomine, ut supra notavimus n. 56. veniunt etiam Laudes;) possit privatim pridie recitari; varie tamen deinde loquuntur in ordine ad assignandam, & præfigendam horam, qua illud liceat inchoare. Nobis sufficiat pro praxi referre sententias tantummodo duas clariores, & communiores. Prima igitur sententia docet; quolibet anni tempore tum inchoari posse Matutinum, quando Sol est propinquior ad occasum, quam ad Meridiem; ita Comitol. quem citat, & sequitur Pelliz. Man. Regul. tr. 5. c. 8. sect. 2. qu. 21. n. 103. La-Croix lib. 4. de hor. Canon. q. 213. §. 3. n. 1314. fine, & alii plures, licet diversimode loquantur, & aliter se explicent. Hanc sententiam novissime sequuti sunt Bened. XIV. to. 1. Notific. 24. fine. Ligorius loco infr. cit. & Cavalierius comment. in Decr. S. C. R. to. 2. c. 34. in d. 1. n. 8. ubi testatur, hanc agendi rationem approbari a Calendario Urbis Romanæ, a Directoriis particularium Ecclesiærum, & a communi Theologorum Sententia.

Altera Sententia permittit, semper inchoari posse Matutinum hora secunda post meridiem; ita Thomas Sanchez to. 2. Consilior lib. 7. c. 2. dub. 37. n. 4. Quintanadvenas in singular. to. 1. tract. 8. de horis Canon. singul. 2. n. 1. Cardenas in

Crisi par. 2. tr. 4. de Offic. Can. disp. 35. c. 6. n. 44. Leander a Ss. Sacramento in Decal. par. 1. & in ordine 6. tr. 8. de hor. Canon. qu. 93. Diana to. 3. edit. coord. tr. 6. R. 62. §. 1. & R. 64. §. 2. & R. 66. §. 4. fine. Tambur. in decal. lib. 2. c. 5. §. 5. n. 2. & 3. Salmantic. to. 4. tr. 16. de hor. Canon. cap. 3. pun. 3. n. 15. Felix Poteſtas to. 1. par. 2. de 1. præcepto Decal. c. 3. n. 459. Chiavetta in Consult. Canon. Consult. 20. n. 11. Hippolytus Tonellius in Enchiridio de cærem. Mis. lib. 1. c. 1. §. 8. n. 6. & 7. ac novissime Joseph Antonius Laboranti in directorio sacro. par. 1. tit. 2. edit. Venetæ 1770. Hanc sententiam videatur etiam admittere Caramuel in Theol. Regul. disp. 114. art. 1. nnn. 1419. & quidem ipse pro ea omnino allegatur ab aliis; quemadmodum & laudari vidi Martinum a S. Joseph, Antonium a Spiritu Sancto, Martinum Ledesma, Angelum Verricelli, Escobarrum a Corro, Machadum, Garçiam, Mollesium, Trullench, Fabrum, & alios; Qui communiter recurrent ad consuetudinem introductam, & legitime servatam a viris etiam Doctis, & Piis.

Tanto autem tempore Matutinumcrastinum anticipari posse negatur a Suarez to. 2. de Relig. lib. 4. de hor. Canon. cap. 27. n. 13. fine; item a Joanne Martinez de Prado, & aliis; quam sententiam negativam nuncupat veriorem, eique adhaeret Ligorius in posteriori suæ Theologiæ Moralis editione tertia l. 4. c. 2. dub. 2. art. 4. n. 174. qu. 1. licet affirmatiyam sequutus fuerit in priori.

Si

63 Si postules hic: quid ego sentiam de hac posteriori Sententia benigniori? Dico i. eam videri satis esse probabilem, spectata tum multitudine, tum auctoritate Doctorum, qui illam tuentur. Profecto ex C. Prudentiam de Offic. Jud. Deleg. Integrum est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur. Scilicet, ut interpretatur Viva in prop. 34. Alexand. VII. n. 10. fine: recta, prudens, & equa est opinio, ac sententia, que confirmatur approbatione, & consensu plurimorum virorum, qui sunt in re illa versati, de qua judicium ferunt. Etsi quidem eorum auctoritas non moveat, nisi in quantum presumitur, cum hac esse conjunctam etiam rationem, sive probabilitatem intrinsecam; quia nempe presumimus, viros sapientes non dicere aliquid sine ratione; ut animadvertisit La-Croix l. 1. qu. 19. §. 1. Unde plurimi etiam Doctorum auctoritas deficeret, ubi obstat plane gravis, & nemini observata ratio, aut auctoritas, clara tamen, atque perspicua vid. Zacar. lib. prod. de loc. moral. theolog. c. 7. can. 3. & rursus La-Croix cit. l. 1. q. 23. §. 1. Ergo cum tot, tantique viri, & in morali Theologia versatissimi, quos supra laudavimus, judicaverint, Matutinum crastinum semper recitari posse privatim hora secunda post meridiem; procul dubio recta, prudens, & æqua est hujusmodi sententia declaranda. Quis vero negaverit, opinionem rectam, prudentem, & æquam esse probabilem? Sed & probabilem hanc esse contendit Leander l. cit. & probabilissimam eamdem esse duxerunt Salmanticenses. Indeque etiam negamus priorem sententiam esse com-

munem Theologorum, ut supra Cavalierius affirmavit; negatque Laboranti supra citat.

Nec quidquam nos movet, sententiam hanc posteriorem ab Adversariis rejici tamquam improbabilem; scimus enim, esse commune opinonibus moralibus, non solum alios habere Adversarios contra suos illorum fautores; verum etiam improbabilitatis, absurditatis, temeritatis, similibusque notis invisis ab iisdem contrariis taxari: exemplum habes tr. 2. in Dom. Palm. subs. 3. §. 4. q. 1. a n. 97. Sed & innumeris demonstrari posset exemplis, nisi id esset satis superque notum cuilibet in Theologia morali vel mediocriter versato. Nec tamen sententiae illæ quidquam probabilitatis, aut etiam probabilitatis, quam a suis fautoribus habere reputantur, amittunt; ut videre est l. cit. interim hic juvat expondere animadversionem traditam a La-Croix l. 1. q. 29. §. 3. ubi hæc habet: *Ad certitudinem moralem aliquis sententiae non requiritur, ut nulli omnino Auctores oppositam doceant, aut ut oppositam docentes careant omni plane ratione; alioqui vix ullæ essent sententiae moraliter certæ; cum fere semper pro oppositis sint Auctores aliqui, & rationes quædam saltem leves.* Hæc laudatus Auctor.

Cæterum quoad auctoritatem Magistri Joannis Martinez de Prado in contrarium allegati; eum refellit Leander, & ab eo acriter se tutetur l. cit. a quo fuerat impugnatus; ubi etiam contendit, hunc Auctorem in refellenda hac opinione, ita suis verbis, & sententiis involvi, ut tandem aliquando concedat, eam etiam practice esse probabilem. Quod autem Ligorius oppositam nun-

cu-

cupet veriorem : hoc nihil obstat ; enimvero sic loquendo præscindit a probabilitate sententiæ , quam hic suemur ; scilicet nec eam dicit , esse probabilem , nec ut improbabilem positive condemnat ; secundum Scriptoris ejusdem animadversionem generalem operi præfixam suo . Sed etiamsi improbabilem nuncupasset , neque id obesset , juxta jam dicta . Denique licet Suarez , in contrarium etiam allegatus , prædictam rejiciat ampliationem , hoc est , non admittat , Matutinum crastinum recitari posse hora secunda post Meridiem ; id autem præcipue est , quia , ut ipse loco cit. ait : hujusmodi consuetudo tunc temporis , quo scribebat , nondum fuerat introducta . Postquam vero ex testimonio laudatorum Scriptorum introducta fuit , atque servata a viris etiam piis , & doctis : concederet utique ipse Suarez , qui eodem cap. 27. n. 11. docuerat : rationem extensionis hujus præcepti totam ex consuetudine communi pendere . Et n. 12. dixerat : sententiam docentem : recitari posse Matutinum pridie ab hora dimidia ante Solis occasum , sequi sine formidine posse etiam in hyeme ; licet aliqui scrupulosi timeant , sed sine fundamento , quia consuetudine ita receptum est , sic Suarez . Ergo si vere nunc detur , & sit alia legitima ex testimonio , & sententia prædictorum Auctorum consuetudo , recitandi semper Matutinum cum Laudiis pridie ab hora secunda post Meridiem ; dicendum utique est juxta prædictum principium ejusdem Doctoris eximii , recitari nunc Matutinum crastinum prædicto etiam tempore posse . Quapropter

TOM. I.

Dico 2. Præsentem laudatorum 64 Doctorum opinionem reddi omnino securam , si eorumdem testimonium recipiatur de consuetudine introducta , legitimeque servata a viris etiam doctis , & piis , a quibus nimis quovis anni tempore Matutinum crastinum hora secunda post Meridiem soleat recitari .

Sed objic. 1. Consuetudinem non potuisse introducere , ut hora secunda post Meridiem sit Vespertina , ante quam Vespertinam horam Matutinum sequentis diei non potest legitime recitari .

R. Horam , ad legitime recitandum Matutinum sequentis diei , non esse necessario horam Vespertinam , sed sufficere horam a legitima permisam consuetudine . Omissa itaque , an consuetudo potuerit introducere , quod hora secunda post Meridiem sit Vespertina ; attamen certissime potuit consuetudo introducere , quod satisfiat præcepto pro die sequenti , Matutinum crastinum anticipando ab hora secunda post Meridiem ; imo & poterit similis consuetudo , postquam similiter legitime fuerit introducta , aliam quoque majorem anticipationem reddere licitam , quemadmodum n. 70. dicimus . Enimvero ut ab eximio Doctore Suarez audivimus , ratio extensionis hujus præcepti non ab hora secunda , vel Vespertina , sed tota ex communi consuetudine pendet . Porro maximam esse vim consuetudinis , quis ignorat ? Datae responsioni favet Cardenas loco supra citato , nimis in Crisi Theologica 2. par. tr. 4. de Offic. Canon. disp. 35. c. 6. nu. 44. ubi haec habet : Nota , vi consuetudinis rationabilis , Q. præscripte introductum esse

K jam ,

jam, quod hora secunda post meridiem possit recitari Matutinum sequentis dies: habet enim consuetudo rationabilis, & præscripta vim abrogandi legem, & consuetudinem obligatoriam, & ita licet olim non nisi juxta Solis occasum liceret recitatio Matutini diei sequentis; jam laxiori consuetudine relaxata est ea obligatio. Et si in posterum laxior consuetudo prævaleat, poterit Matutinum recitari anteriori tempore. Hæc laudatus Auctor.

65 Obj. 2. Hanc sententiam supponere, consuetudinem jam introduxisse, sequentem diem Ecclesiasticum hora secunda post Meridiem jam incipere. Hoc autem probandum esset; cum omne factum sit probandum. At usquedum non probatur, possidet lex, quæ vetat recitari Matutinum, priusquam incipiatur dies Ecclesiasticus, qui, ut omnes fatentur, non incipit nisi ab hora Vesperarum.

R. Contra est: Enimvero hæc sententia non innititur suppositioni prædictæ; sed simpliciter consuetudini legitimæ permittenti Matutinum sequentis diei anticipari posse privatim ab hora secunda post Meridiem; ut satis patet ex dictis. Aliud est, quod quidem inde consequitur: consuetudinem introduxisse, diem Ecclesiasticum incipere ab hora prædicta. Itaque Matutinum sequentis diei recitari posse hora secunda post Meridiem, nunquam arguitur ex tali suppositione, quod nimirum consuetudo introduxit, sequentem diem Ecclesiasticum incipere ab hora secunda post Meridiem; sed contra; ex eo, quod Matutinum sequentis diei, consuetudo introduxit, licere privatim hora secunda post Meridiem recita-

re, argui potest: ab hora prædicta consuetudinem introduisse, sequentem diem Ecclesiasticum computari; ut quidem nos cum aliis Auctoribus asseruimus art. 1. n. 9.

Obj. 3. Quod consuetudo ubique 66 intrôduxerit, Matutinum crastinum recitari privatim hora secunda post Meridiem a majori parte Clericorum, qui ad horas Canonicas tenentur: ut profecto requiritur ad consuetudinem legitimam; hoc probandum esset; sed usquedum non probatur, possidet lex opposita.

R. Quod utique hoc probetur testimonio tot Clarissimorum Doctorum, quos superius pro sententia ista laudavimus, qui nimirum testantur de consuetudine hujusmodi introducta, legitimeque servata a viris etiam doctis, & piis. Quod autem testimonium istud eorum falsum sit, hoc probandum esset ab Adversariis; sed usquedum non probatur, possidet eorum auctoritas. Licet autem hæc ita se habeant, nihilominus

Dico 3. Quod, cum ratio extensionis hujus præcepti tota a communi consuetudine pendeat; ut toutes dictum est; ex una parte: & ex alia parte, ipsæ etiam consuetudines aliquando mutentur ex novis contrariis consuetudinibus progressu temporum introducis; & ex tertia denique parte consuetudo, seu observantia, quæ attendi debet, sit proxima, seu ultimi temporis, ut animadvertis cum Luca La-Croix I. 1. qu. 137. §. 5. hinc, licet Auctores pro præsenti opinione laudati tradiderint, dari consuetudinem legitimam ad anticipandum Matutinum crastinum ab hora secunda post Meridiem; nihilominus, quia hu- jus-

iusmodi consuetudo potuit variari : ideo ubi ea de facto sit variata , minimeque vigeat , ibi non est hæc opinio servanda . Et quidem communiter variatam esse , dicendum , consuetudinem praedictam , si communiter a Clericis recitantibus privatim Divinum Officium , Matutinum crastinum recitetur hora p̄fixa in Calendario Urbis Romæ , aliiisque Ecclesiarum directoriis , in quibus nimirum ex testimonio Cavalieri relato superius nu. 62. p̄figitur pro initio recitandi privatim crastinum Matutinum hora , qua , pro temporum varietate est Sol propinquior ad occasum , quam ad Meridiem ; quemadmodum statuit sententia prior . Verum recens Joseph Antonius Laboranti ponit consuetudinem communiter acceptatam anticipandi Matutinum cum Laudibus usque ab hora secunda post Meridiem . Directorio Sacro per ben ordinare &c. Venet. an. 1770. par. I. tit. 2. n. 11.

68 Sed interrogabis : Ubi posterior explicata sententia poterit favore vigentis consuetudinis practicari ; utrum tanto tempore , ut ipsa permittit , anticipare Matutinum , & Laudes , si sine causa fiat , sit veniale ?

R. Veniale esse , vult Thomas Sanchez supra cit. dub. 37. n. 6. Qui idipsum affirmat , si anticipetur plus , quam una hora ante Solis occasum ; additque n. 7. allegans Navarrum , quod quo major est anticipatio , eo major causa requiratur ; cum magis a regula discedatur . Vult itaque Sanchez nu. 8. ne veniale quidem esse , Matutinum cum Laudibus sequentis diei persolvere una hora ante occasum Solis diei praecedentis ,

quia moraliter censetur recitari de nocte . Esse autem veniale , recitare sine causa sufficienti , duabus , vel tribus , vel pluribus horis ante occasum Solis , quia , inquit , sine causa tunc indebito tempore recitaretur .

Contra hanc vero sententiam Patris Sanchez sic arguit Tamburinus l. cit. n. 6. Pace tanti viri in bunc modum ratiocinor : persolvere Matutinas preces ante occasum praecedentis diei , est consuetudine introductum , ut ipsem Sanchez ibidem fatetur : sed ex eodem Sanchez , consuetudo jam introduxit , ut duabus , vel tribus illis horis , vergente nimiram ad finem die persolvatur ; Ergo secundum legitimam consuetudinem licebit tunc recitare . Subsumo : consuetudo legitima admixit non minus veniale , quam mortale . Ergo &c. Sic Tambur. Causæ cæteroqui , quæ exiguntur a Sanchez ad excusandum a veniali , sunt nimis ordinariæ , & fere semper occurrentes ; & videtur adhuc concedere anticipationem ultra unam horam ante occasum Solis , etiamsi tantum sit major commoditas . Quapropter sic etiam concludit idem Tamburinus : Jam ergo nunquam erit peccatum veniale ; quia , quando alia causa deest , certe non deest commoditas , semper enim homo in similibus , nisi amens sit , si ab alia vehementiore causa non urgetur , satis a propria moveretur commoditate . Rursus causam aliquam videtur exigere Elcobar apud Dianam R. 64. §. 2. ut anticipetur Matutinum ab hora secunda post Meridiem , uti permittit dicta secunda sententia ; docens enim , recitari posse Matutinum sequentis diei hora secunda post Meridiem , addit , quod si intervenerit

aliqua justa causa , neque peccatum veniale in hoc extaret , consequenter innuit , veniale illud esse , si sine justa causa fiat . Aliqua justissima causa occurrente , hanc eamdem sententiam , admittit , sequi posse Gobat apud La-Croix l.c. n. 1314. ait enim : se illam sententiam secuturum , si ab hora tertia , scilicet post Meridiem usque ad coenam deberet audire Confessiones . Quæ utique causa est justissima , sicut & rarissima , & nonnisi Missionariis , dum Missiones peragunt , occurrens .

Verum absolute licere , & omni prorsus veniali culpa carere , Matutinum , & Laudes sequentis diei recitare pridie hora secunda post Meridiem : cum sola consuetudo legitima , ubi ea datur , sufficiens causa sit , & ad id legitimam tribuat facultatem , omnemque veniale adimat culpam , sicut & lethalem : docet Martinus a S. Joseph apud Dianam to. 3. edit. coord. tr. 6. R. 64. §. 2. fine ; qui sententiam praedictam commemorans Thomæ Sanchez volentis , veniale esse , sine causa recitare Matutinum hora secunda post Meridiem ; inquit , sibi videri , id veniali etiam culpa carere , eo quod consuetudo introduxerit , ut liceat ; & lege permittente quod fit , dicitur juste , & bene fieri , ut jura dicunt ; & consuetudo parem vim habet cum lege , ut eadem jura volunt ; & videri potest Azorius Instit. moral. par. 1. lib. 5. c. 17. qu. 3. Idem docet Chiavetta l. superius cit. ubi testatur , viros timoratos communiter recitare sole-re Matutinum crastinum quarta , vel tertia , vel secunda hora post Meridiem hujus diei : hujusmodi autem anticipationem nullam aliam

urgentem causam requirere , inquit , ut fiat sine veniali peccato , sed ei sufficere consuetudinem legitimam . Porro anticipatio , quæ fere ab omnibus fit sine scrupulo , est per ipsam consuetudinem licita , ac fundata in ipsis necessitatibus communiter occurribus ; ita Chiavetta . Solam consuetudinem sufficere ad excusandum a veniali recitante Matutinum crastinum hora secunda post Meridiem hujus diei , docent etiam Caramuel , & Leander ll. cit. Hoc denique approbare videntur Diana supra cit. R. 64. §. 2. Felix Pot. loc. cit. & Tamburinus arguens contra Sanchez , ut modo supra vidimus .

Tamburini vero improbamus opinionem illam , ex qua nimurum putat , posse benigne concedi , Matutinum crastinum anticipare licere una etiam hora cum dimidia juxta horologium rotale italicum post Meridiem , eo quod tunc horologium solare indicat duas horas post Meridiem : cum Rotale italicum a Solaris præcedatur per medium communiter horam (recole dicta n. 20.) . Quando ergo Meridies est hora 18. juxta horologium Rotale , tunc ex Tamburino poterit Matutinum recitari privatim hora decima nona cum dimidia , quia tunc horologium solare indicat horam 20. atque adeo juxta idem horologium solare tunc a Meridie horæ præteriere duæ . Verum argumentatio ista non est recta ; quando enim Auctores concedunt , Matutinum crastinum recitari posse ab hora secunda post Meridiem : loquuntur de hora Ecclesiastica , & Civili ; videlicet computata juxta horologia Rotalia . Et quamvis in ordine ad

præ-

præcepta Ecclesiastica affixa tempori , non solum horologia Rotalia , verum etiam Solaria attendi possint : attamen hæc accommodanda sunt ad Rotalia , quemadmodum animadvertisimus , & explicavimus art. 3. n. 20. videlicet demenda est illa dimidia hora , qua excedunt a Rotalibus : atque adeo ubi horologium Solare indicat horam 20. post Meridiem , & rotale horam 19. cum dimidia ; demenda est ab horologio Sôlari illa dimidia hora , qua excedit ab horologio Rotali ; & sic quando horologium Solare indicat horam 20. non potest reputari adesse horam 20. ; sed 19. cum dimidia . Atqui cum Meridies est hora 18. juxta horologium Rotale ; tunc ubi idem horologium det signum horæ 19. cum dimidia , non præteriit a Meridie nisi una hora cum dimidia juxta idem horologium . Ergo tunc recitari nondum potest Matutinum crastinum ; licet tunc horologium Solare indicet horam 20. atque adeo horas a Meridie præterisse duas .

70 Multo minus approbari debet , immo vero penitus reprobanda opinio altera omnino singularis , ne scio cuius apud Th. Sanchez in Confil. to. 2. l. 7. c. 2. dub. 37. n. 4. opinantis , & volentis , quod , si quis statim post Meridiem hodiernum recitaret Matutinum crastinum , saltem in Quadragesima , ubi Vesperæ dicuntur ante prandium : in rigore non peccaret mortaliter , nec obligandus ad iterum recitandum ; cum sic jam videatur incipere dies sequens , hoc ipso quod jam dicitur sunt Vesperæ .

Hanc sententiam refert , ut diximus , Thomas Sanchez , & non im-

probat . Ex eo illam refert etiam Pelliz. n. 103. nec refellit . Dianæ vero R. 72. §. 8. non placet , nec ea placuit Trullench apud ipsum . Tamburinus quoque timet illam admittere utpote nimis latam ; aitque ; se credere eum , qui id asseruit , putasse , tunc jam incipere diei declinationem , sed nimis esse late dictum : ita ille . Idem fere dicit Tancredi de Relig. tr. 3. lib. 4. disp. 14. n. 6. subdit tamen , se post factum non damnaturum eum , qui tanto tempore anticipasset Matutinum , neque obligaturum ad illud repetendum , aitque quod etiam Pellizarius , approbare hanc sententiam , videatur . Leander autem par. 1. in decal. tr. 8. disp. 4. q. 91. omnino illam rejicit ; inquit enim , ut certum sibi esse : recitando hodie statim post meridiem Matutinum diei crastinæ , nequaquam satisfieri precepto . Profecto sententiæ huic nulla sufficiens favet Doctorum auctoritas , nec bona fundata est ratione . Doctores quidem reprobantes vidi , approbantes non vidi . Quod autem illam referat Sanchez , & ex eo Pelliz. dum tantum referunt , non ideo dici possunt illam approbare ; referre enim simpliciter aliorum opinione , non est illas approbare .

Tamburinus autem licet conetur excusare , seu videatur velle opinionem prædictam rationem aliquam pro se habere ; tamen illam non admittit . Sed nec excusatio illa Tamburini huic sententiæ quidquam favet ; illa enim ratio , quam pro hujusmodi opinione facere posse putat , nulla est . Etenim , se credere , inquit Tamburinus , eum , qui asseruit , posse recitari Matutinum statim post Meridiem , putasse , tunc jam incipere

pere diei declinationem. Verum si dicamus, post Meridiem incipere diei declinationem, quid hoc favet opinioni prædictæ? Concedendum quidem est, statim post Meridiem incipere diei declinationem, cum Sol tunc incipiat declinare ad occasum; sed ex hoc non sequitur: statim post meridiem recitari posse Matutinum crastinum. Enimvero ad hoc, ut Matutinum crastinum inchoari possit, non sufficit, quod Sol cœperit declinare ad occasum: sed requiritur adhuc, quod advenerit illa determinata hora diei, quam legitima consuetudo præscriperit, atque permiserit. Profecto Matutinum crastinum recitari potest pridie declinante Sole ad Occasum, quia consuetudo introduxit; & sic recitari etiam debet illa hora, qua consuetudo permittit; in hac enim re, ut sèpius diximus, standum est consuetudini legitimæ, & non plus licet, quam ipsa permittat. Nescimus autem, adesse hujusmodi consuetudinem anticipandi tanto tempore Matutinum; ita ut illud recitetur statim post Meridiem. Quod si fortasse unum, vel alterum quis adduceret, vel allegaret tanto tempore anticipantem, non ideo præbèret consuetudinem legitimam.

Itaque nulla Doctorum auctoritas, aut consuetudo legitima prædictæ sententiæ favet, nec ulla bona ratione fundatur; hæc enim vel esset, quia post Meridiem incipit dies declinare, vel esset alia; primam, probavimus, non subsistere, & esse de falso supposito, supponit enim sufficere, quod dies cœperit declinare, ut possit Matutinum crastinum recitari; quod est falsum;

ut jam vidimus. Alia ratio non aſsignatur. Ergo &c.

Nec valet sic arguere: secundum multos, & bonos Auctores licet Matutinum, & Laudes recitare pridie post Vespertas, publice recitatas, seu post tempus Vesperarum. Sed in Quadragesima in diebus jejunii Vesperæ recitantur in Meridie, seu Meridies est tempus Vesperarum. Ergo saltem in quadragesima prædictis diebus poterit Matutinum recitari statim post Meridiem. Non valet, inquam, sic arguere; nam in primis Auctores illi non dicunt simpliciter post Vespertas, sed etiam addunt post Completorium, ut Lettius de Justit. lib. 2. c. 37. dubit. 12. n. 79. ubi inquit: *Ex consuetudine licitum esse recitare preces nocturnas, & Laudes pridie ad Vesperam, ut Cajetanus, Navarrus, & alii docent. Imo etiam ante Solis occasum; nempe post tempus Vesperarum, & Completorii; ut docet Divus Thomas Quodlib. 5. art. 28. Unde ubi hæc absoluta sunt in Ecclesiis hora quarta pomeridiana, licitum erit privatim Nocturnum Officium sequentis dies inchoare &c.* Similiter loquitur Pelliz. Man. Regul. tr. 5. cap. 28. sect. 2. qu. 21. nou. 103. ubi hæc habet: *quod astinet ad recitationem Matutini, & Laudum, ex Romana consuetudine ubique recepta, ea posse sunt recitari tam aestate, quam hyeme post Vespertas, & Completorium diei præcedentis publice recitatas; quod est dicere ab hora quarta post meridiem &c.*

Deinde etiamsi intelligi velint loqui de solis Vesperris, nihilominus id nullo modo favet opinioni prædictæ: loquuntur enim de ordinario tempore recitandi Vespertas, & de

illo, quod servari solet extra dies jejunii quadragesimalis. Id patet, quia se explicant, & assignant, quale sit illud tempus Vesperarum, & dicunt: quod solet esse *bora quartæ post Meridiem*: ut patet ex modo recitationis verbis Lessii, & Pellizarii, & similiter loquuntur alii. Nihil ergo allegata Doctorum sententia favet huic opinioni; quæ tamquam omni efficaci, & probabili ratione destituta, rejicienda omnino est.

⁷¹ Est autem hic animadvertisendum 1. ex Suarez de Relig. to. 4. tr. 10. l. 8. c. 2. n. 10. ac 13. & Chavetta consult. 20. n. 11. fine: habentes privilegium anticipandi, vel postponendi Officium, non ideo posse anticipare Officium crastinum ante tempus debitum, ita ut dicatur hoc mane, puta ante meridiem. Nec posse postponere Officium hodiernum post medium noctem. Solum itaque illud privilegium operatur, quod non expectata aliqua causa fiat anticipatio, vel postpositio intra limites temporis praefixi recitationi totius officii sine ullo scrupulo; videlicet ut Matutinum recitari possit quacumque hora a Vesperis diei precedentibus juxta haec tenus dicta, usque ad alteram medium noctem sequentis diei civilis; quæ videlicet sequitur post sequentem diem usualiem. Reliquum vero Officium a media nocte ad medium noctem ejusdem diei Civilis, qualibet item hora.

Denique animadvertisendum 2. quod qui Matutinum festi sequentis recitat ante medium noctem, certissime non satisfacit pro die sequenti, nisi ante eamdem medium noctem satisfecerit, seu satisfaciat pro die civili praesenti quoad similem obligatio-

nem recitationis Matutini; si enim quis Matutinum hodiernum non recitaverit post medium noctem, neque anticipaverit ante medium noctem in Vespere scilicet precedentis diei civilis, secundum habendus explicata: tenetur hodie etiam proxime ante medium noctem illud recitare. Quod si semel recitet Matutinum, per hujusmodi unicam recitationem illius certissime non satisfaciet pro die civili sequenti, sed solum pro praesenti: etiamsi recitet Matutinum Officii Festi sequentis. Quapropter tenetur iterum recitare Matutinum, ad satisfaciendum pro die sequenti. Profecto non potest unico Officio satisficeri duplice præcepto, pro die videlicet praesenti, & crastino; quemadmodum constat ex propos. 39. inter damnatas ab Alexandro VII.

S U B S. IV.

An aliquando fit obligatio recitandi Matutinum pridie?

TERR. hic: an teneatur quis recitare Matutinum sequentis diei, si prævideat fore ut crastina die occupetur tali impedimento, ex quo simpliciter non poterit divinum Officium recitare? ⁷²

R. Negat Caramuel. in Theol. Regul. disp. 116. nu. 144. ubi inquit: preces Matutinas solere legi ab hora, qua laudabiliter surgimus usque ad horam decimam ante meridianam; nullus enim tenetur Vespere legere Matutinas sequentis diei; licet morbum, occupatione seu prævideat: Ita Caramuel; idem dicit Bassus V. Horæ. 3. n. 7. similiter Di Castillus apud Dianam to. 2. edit. coord. tr. 2. de præ-

præcep. comm. R. 13. §. 6. ait : usum receptum recitandi pridie sub Vesperum horas Matutinas sequentis diei , non censeri , habere vim cogendi eum , qui videt se impediendum toto sequenti die , ut legat antecedenter horas Matutinas . Rationem assignat : quia , quando solum privilegium est , ut præceptum possit antecedenter impleri per actum exhibitum in tempore , quo nondum urget ; non tenetur quis anticipare actum , etiamsi prævideat per totum tempus , in quo urget præceptum , fore impeditum ad exhibendum talem actum. Ita Dicastillus , qui in prædicta ratione supponit , in Vesperis non urgere præceptum recitandi Matutinum crastinum . Dicastilli sententia satis probabilis videatur Dianæ loco cit. §. 7:

73 Sed verius mihi videtur , in prædicto casu esse obligationem anticipandi Matutinum crastinum , etiamsi impedimentum fuerit involuntarium . Moveor ex eo , quia in Vesperis diei præcedentis jam incipit urgere seu obligare præceptum recitandi Matutinum officii sequentis ab illa hora , qua consuetudo legitima concedit illud recitari posse . Unde ex mea sententia , supponit falsum Dicastillus in illa sua ratione contraria opinionis supponens hujusmodi præceptum tunc nondum urgere , seu nondum obligare . Jamvero si etiam in Vesperis præcedentis diei urget , seu obligat præceptum recitandi Matutinum : Ergo tenetur prævenire , qui non possit postponere ; adeoque qui prævideat impedimentum usque ad alteram medianam noctem diei sequentis , tenetur anticipare , & illud recitare in Vesperis diei præcedentis .

Quod autem in Vesperis diei præcedentis incipiat urgere , seu obligare præceptum recitandi Matutinum Officii sequentis , probatur ex eo , quia tunc adest dies Ecclesiasticus recitationi Matutini Officii sequentis præfixus . Ergo præceptum recitandi illud , tunc incipit urgere , seu obligare . Probatur antecedens primo ratione ; secundo auctoritate . Et ad rationem quidem pertinet , quod fallere videatur assumptum principium , quo statuitur , diem recitationi Matutini præfixum , olim & primum cœpisse a media nocte ; istud enim plerique negant , tradentes totam noctem recitationi Matutini fuisse olim destinatam , atque adeo etiam ante medianam noctem cœpisse jam olim recitationem Matutini : unde in tria nocturna divisum . etiam adhuc habemus Matutinum ; cuius primum Nocturnum in prima Vigilia Noctis , seu primo horarum ternario ab occasu Solis Veteres recitasse ferunt , antequam irent cubitum ante medianam noctem ; atque adeo in Vesperis diei præcedentis ; immo secundum etiam Nocturnum initio secundæ Vigiliæ , adeoque ante medianam noctem recitatum olim fuisse , tradit Filliucius to. 2. tr. 23. c. 8. qu. 10. n. 276. sed & Thomas Sanchez to. 2. Consil. lib. 7. c. 2. dub. 37. n. 8. allegans Navarrum , etiam nunc , sentit , tempus per se ; & secundum legem proprium recitandi Matutinum etiam in Choro , esse noctem rotam ; ut ita quavis illius parte recitetur , hora satis debita persolvatur . Profecto sic habet l. cit. Ad dicendum Matutinum non est deputata tempora hora debita media nocte , ua-

aliqui falso putant : quia nullum jus est , id præcipiens , vel determinans Matutinorum horam ; sed tantum dicunt textus , Matutinum esse Officium Nocturnum , de nocte dicendum : ut bene dicit Navarrus in Cap. Quando c. 3. n. 37. Unde qui Matutinum recitant prima nocte , vel media , vel summo mane , debitis horis illud recitant , quia omnes nocte dicunt . Hæc Sanchez ; similia habet Tamburinus in decal. lib. 2. c. 5. §. 5. n. 5. ubi sic ait : Tota nox , non autem ipsa sola nox intempesta , seu media , ut aliqui falso putant , deputatur ad Matutini recitationem . Quæ , si vera sunt , non parum favent assertioni nostræ . Verum quidquid sit de his , pro quibus videri potest Azorius Instit. Moral. par. 1. l. 10. c. 2. qu. 2. Suarez de Relig. to. 2. lib. 4. de horis Canon. c. 4. a n. 3. & c. 15. n. 2. & c. 27. n. 11. Joannes Stephanus Durant. de Ritib. Eccl. lib. 3. c. 5. fine , Tancredi de Relig. tr. 3. de hor. Canon. lib. 4. disp. 2. a n. 4. Caval. to. 2. c. 34. in descr. 1. n. 3. & 4. & videri etiam possunt dicta n. 18. Dato , diem recitationi Matutini præfixum olim cœpisse a media nocte ; quia tamen deinde , & nunc nova , & quidem universalis consuetudo recitandi Matutinum privatum in Vesperis diei præcedentis , veterem illam mutavit , ac fecit novam legem , ab ipsa Ecclesia approbatam ; censendum est ; diem , seu tempus privatæ recitationi Matutini præfixum ampliatum fuisse , adeoque non amplius a media nocte , sed ante mediam noctem , nimirum in Vesperis diei præcedentis incipere diem privatæ recitationi Matutini præfixum .

Probatur 2. Auctoritate . Et pri-

TOM. I.

mo Armilla , seu Bartholomæus Fr. mus V. Horæ Canonice . n. 17. sic loquitur : Tempus , quo debet dici Officium private secundum Cajetanum ibi , est totus dies a Vespera præcedentis diei usque ad medium noctem dies sequentis ; ita tamen quod solas Matutinas liceat dicere Vespere diei præcedentis , reliquas autem horas usque ad medium noctem diei sequentis . Ergo ex laudato Auctore in Vesperis præcedentis diei adest dies recitationi Matutini præfixus , seu dies recitationi Matutini præfixus incipit a Vesperis præcedentis diei , & exinde computari debet dies respectu Matutini . In eadem sententia est La-Croix lib. 3. par. 1. qu. 151. §. 2. ubi docens cum aliis , per Missam illam , quæ Romæ in Saccello Pontificis , & Venetiis in Templo S. Marci celebratur ante medium noctem Nativitatis , satisficeri præcepto pro die Nativitatis : assignat hanc rationem : quia , inquit , sic anticipatur illa dies , ut in Matutino , quod pridie recitur . Ergo ex hoc etiam Auctore dies Matutino præfixus jam incipit ante medium noctem , seu a Vesperis præcedentis diei . Sed quid ? Quod hæc etiam est Doctrina ipsius Dicastilli , & Diana . Accedat itaque adhuc auctoritas primo Dicastilli , qui docens , prædictam Missam ante medium noctem Nativitatis celebratam pertinere ad diem Nativitatis , quia in illius die Ecclesiastico celebratur : hæc habet apud Dianam to. 2. edit. coqd. tr. 3. R. 11. §. 2. Notandum est , intra diem solemnitatis Ecclesiastice non omnia munia , seu actiones , & functiones , quæ in tali die permittuntur , aut requiruntur , quovis tempore , seu hora illius diei esse

L

esse

esse licita , aut permitta ; sed aliqua in quibusdam horis , alia in aliis : sic videmus Sacrum (excepto die Nativitatis) non posse dici fine privilegio tempore nocturno , sed tantum sub Aurora usque ad Meridiem , aut aliquanto post , plus , minusve , juxta varias sententias . Praterea , ut recte notat Thomas Sanchez Conf. Moral. lib. 7. c. 1. licet quoad contractus , & alia hujusmodi , dies incipiat a media nocte , tamen quantum attinet ad Officium Divinum , & celebrandas Ecclesiasticas solemnitates , incipit dies a Vesperis . Pro qua sententia refert D. Thomam quodlibet . t. 5. a. 28. in Corp. Cajetanum Verb. Hora , & alios Doctores . Nibilominus non omnes horae Canonicae diei possunt post Vesperras , & Completorium , sed tantum Matutinum , & Laudes ; Prima vero Tertia , Sexta , & Nona nonnihi saltem post medium noctem , secluso speciali privilegio . Hæc Dicastillus , qui ex his deducit , supradictam Missam ante medium noctem Nativitatis celebratam , esse revera in ipso Nativitatis die celebratam . Deinde post pauca subdit : Itaque dico : illam Missam censi dici intra diem Nativitatis , quæ Ecclesiastice incipit a Vesperis , durante nibilominus die Vigilie , quantum ad jejunium generale pro tota Ecclesia , & quantum ad hoc , ut Sacerdotes , aut alii obligatis faciant privatim præcepto legendi horas ipsius Vigilie , si illas tunc dicant , quod commune est pro aliis etiam festivitatibus , in quibus durante spatio , quo quis posset implere obligacionem Officii illius diei , incipit nibilominus altera dies , quæ habet initium a Vesperis . Hæc Dicastillus . Ex quibus patet ; eum admittere , in Vesperis diei civilis præcedentis incipe-

re diem Ecclesiasticum privatæ recitationi Matutini præfixum .

Accedat 2. Auctoritas ipsius Diana to. 2. edit. coord. tr. 1. R. 96. §. 4. ubi postquam approbasset jam explicatam Dicastilli sententiam dicentem , prædictam Missam ante medium noctem prædicto loco celebratam esse revera celebratam int̄tra ipsum diem Nativitatis ; quia nimirum jam cœpit dies Ecclesiasticus ; unde eruit cum Dicastillo : non posse celebrari tres Missas post medium noctem Nativitatis ab eodem , qui ante medium noctem jam celebravit prædictam ; hæc addit : Qua ratione , si esset præceptum non dicendi bis Matutinum in eodem Festo , & ex privilegio posset quis id , quod nunc possumus , dicere Matutinum pro die sequenti anticipate , scilicet ante Solis occasum , aut medium noctem , non posset iterum dicere post medium noctem , quia utens tali indulgentia , censetur dixisse pro illa die , & celebritate , ad quam spectat illud Matutinum Officium . Hæc Diana . Ex quibus similiter patet , & eum admittere , in Vesperis diei civilis præcedentis incipere diem Ecclesiasticum privatæ recitationi Matutini præfixum . Ergo itum ex ratione , tum ex Doctorum sententia , ipsius etiam Dicastilli , & Diana , in Vesperis adest dies præfixus recitationi privatæ Matutini sequentis Officii . Ergo præceptum recitandi illud tunc urget .

Probatur hæc consequentia . In præceptis affixis diei , aut temporis , ubi adest dies , aut tempus , cui sunt affixa , statim incipit urgere , seu obligare præceptum implendi illa ; sic e. g. ubi adest tempus Communioni Paschali præfixum , incipit urge-

urgere , seu obligare præceptum Communicandi pro Paschate ; ubi adest dies Missæ auditioni præfixus , incipit urgere , seu obligare præceptum audiendi Missam pro ea die . Atqui ex una parte præceptum recitandi Matutinum est affixum diei , ut constat ; ex alia parte dies recitationi Matutini præfixus incipit a Vesperis diei civilis præcedentis ; ut probatum est ; Ergo tunc incipit urgere , seu obligare præceptum recitandi Matutinum .

Favet etiam hic Armilla testimonia superius allegato , ubi ut vidi mus , inquit : tempus , quo debet recitari Matutinum , esse totum diem a Vesperis &c. dum autem dicit : tempus , quo debet : satis insinuat : se judicare , præceptum recitandi privatim Matutinum Officii sequentis , in Vesperis diei præcedentis incipere urgere , seu obligare .

74 Hactenus probavimus antecedens facti superius argumenti pro stabilienda nostra sententia ; nunc probanda remanet consequentia , quam inde deduximus , videlicet : Ergo qui prævidet fore ut non possit recitare Matutinum crastinum infra tempus a media nocte ad medium noctem , tenetur illud recitare ante medium noctem : hoc est in Vesperis diei civilis præcedentis . Probatur autem hæc consequentia sic : Ex eo , quod præceptum recitandi Horam Canoniam Tertiam e. g. incipiat urgere , seu obligare a media nocte ad medium noctem : qui non potest illam recitare , nisi mox post medium noctem , tenetur illam tunc recitare : uti statuimus subf. 2. n. 58. Ergo a pari : ex eo , quod præceptum recitandi Matutinum in-

cipiat urgere , seu obligare a Vesperis diei præsentis civilis ad alteram medium noctem sequentis diei civilis : qui non potest sequenti die civili Matutinum recitare , tenetur prævenire die civili præsenti in Vesperis , illud recitando hora illa , qua consuetudo legitima est recitandi .

Confirmatur exemplo præcepti Communionis Paschalis . Et præceptum Ecclesiæ communicandi in Paschate ; ubi nomine Paschatis de jure communii intelligitur venire tempus , quod fluit a Dominica Palmarum inclusive , usque ad Dominicam in Albis inclusive ; in nonnullis autem locis prædictum tempus per consuetudinem legitimam extenditur ad plures alios dies , ante vel post ; ita ut alicubi præcepsum communionis Paschalis comprehendat totam Quadragesimam , ut suo loco notabimus . Jamvero ubi adest huiusmodi consuetudo , qui prævidet , se non posse communicare intra illos quindecim dies , quibus urget præceptum ex jure communii , seu pro Ecclesia universalis , tenetur prævenire , communicando ante illos quindecim dies , intra Quadragesimam , seu intra illud tempus , quo ex consuetudine loci extenditur præceptum Communionis Paschalis : uti statuimus tr. 2. lib. 5. par. 2. in ejus 1. par. c. 3. sedt. 2. q. 5. n. 16. Et licet Dicastillus , ut loco citato dicemus , pütet , non esse in eo casu certam obligacionem , & claram ; maxime , inquit , si proprio loquendo , non sit latum præceptum communicandi inter omnes illos dies ; sed concessum privilegium , quo quis eo ipso quod communicet intra Quadragesimam , non

L 2 te-

teneatur in illis quindecim diebus communicare; licet, inquam, Dicastillus ita opinetur; tamen omnino teneri, docent alii apud Diannam loco supra cit. & ad prædictam responsionem Dicastilli nos respondebimus cit. qu. 5. ubi dicemus: hujusmodi privilegium videri concessum ita, ut tali loco sit præceptum latum communicandi inter omnes illos dies, ab initio e.g. Quadragesimæ usque ad Dominicam in Albis. Quod est privilegium, in quantum faveat majori commodo multitudinis, quæ quo plures habet dies concessos ad satisfaciendum prædicto præcepto, eo commodius potest invenire tempus, & locum communicandi, eique satisfaciendi. Et sic videtur concedere, ac debet ipse Dicastillus, esse obligationem anticipandi. Similiter autem discurrendum in casu præsentis quæstionis de Matutino anticipando. Enimvero licet detur, præceptum recitandi Officium quoad omnes suas partes, atque adeo etiam quoad Matutinum, olim cœpisse urgere primum a media nocte; nihilominus deinde videtur extensum fuisse per consuetudinem a Vesperis diei civilis præcedentis usque ad alteram medium noctem diei civilis sequentis; & sic concedere pariter debet Dicastillus, habere obligationem anticipandi Matutinum, eum, qui prævidet, se non posse illud recitare sequenti die civili, etiamsi impedimentum futurum erit omnino involuntarium, legitimeque cras quando illud extiterit, excusabit.

75 Ob. Auctores loquentes de tempore, cui affixum est totum, & integrum divinum Officium, communiter dicunt: esse onus affixum

diei. Sed diem Ecclesia computat a media nocte ad medianam noctem, secundum dicta nu. 5. Ergo præceptum recitandi Matutinum incipit urgere a media nocte, ex communis sensu Doctorum; adeoque non urget ante medianam noctem.

R. Ex ipsomet Dicastillo, qui, ut supra vidimus, docet; quod etsi Ecclesia computet diem a media nocte; in functionibus tamen Ecclesiasticis, cujusmodi est officium divinum, computat a Vesperis diei præcedentis; sic ipsem Dicastillus. Profecto licet Ecclesia communiter soleat computare diem a media nocte ad medianam noctem; solet tamen etiam adhibere alias rationes computandi diem, uti docuimus, & ostendimus art. I. a n. 6. Jam vero etsi detur, diem, cui affixum est Officium, fuisse olim computatum a media nocte; deinde tamen, cum consuetudo permiserit Matutinum recitari in Vesperis præcedentis diei, & jam in privata recitatione sic habeat consuetudo communis; ita ut jam id liceat absolute, absqne eo quod opus sit aliqua speciali causa: (recolantur dicta n. 68.) afferendum est: respectu Matutini diei Officio præfixum jam non esse a media nocte, sed a Vesperis præcedentis diei civilis: quia nimis novam diei computationem in ordine ad Officium recitandum, ab Ecclesia quidem approbatam, cum approbet Matutinum prædicto tempore recitari privatim.

Iust. Auctores plerique expresse 76
dicunt obligationem recitandi Officium incipere a media nocte, & durare ad medianam noctem. Ergo ex Doctorum sensu dies, cui affixum est Offi-

Officium, est dies civilis, quo communiter utitur Ecclesia; & non dies ratione alia computatus, nimirum a Vesperis diei civilis præcedentis ad alteram medium noctem.

R. Ihi Auctores, qui expresse dicunt, obligationem recitandi Officium incipere a media nocte, intelligi possunt sic, ut velint, excepto Matutino cum Laudibus, reliquas omnes officii partes Primam videlicet, Tertiam, Sextam, &c. non posse recitari ante medium noctem in Vesperis diei præcedentis, sed illam recitationem incipere urgere post medium noctem; & si vis etiam, ipsum Matutinum congruentius tecitari post medium noctem. Vel non loquuntur stricte juxta casum propositum; cum iste casus raro admodum possit accidere, quem ideo forte non considerantes, nec comprehendentes, loquuntur sunt de præcepto Officii divini, sicut de aliis Ecclesiæ præceptis diei affixis, incipientibus obligare a media nocte; puta de præcepto jejunii Ecclesiastici, & abstinentiæ a carnisbus; de jejuno naturali ad communionem requisito &c. Quæ tamen præcepta non habent pro se specialem illam rationem, quam habet Officium Divinum, ut possit urgere a Vesperis præcedentis diei civilis; quam, ut dixi, fortasse non considerarunt.

S. U B S. V.

An in tempore præfixo recitationi totius Officii, ut est opus affixum diei, detur parvitas quantitatis?

DICEBAMUS initio sectionis hujus: ⁷⁷ duplex esse tempus Officio recitando præfixum. Primum tempus respicere universaliter, & copulatice totum, & integrum quotidianum occurrens Officium. Alterum tempus respicere disjunctive, & sigillatim diversas veluti partes, in quas divisum est Officium Divinum. Ex designatione primi temporis, diximus sequi: totum Officium recitandum esse, & quidem sub gravi, intra spatiū currens a media nocte ad medium noctem cujuslibet diei, sicut cætera præcepta uni affixa diei; & spectata etiam consuetudine, tempus privatæ recitationi Officii præfixum incipere a Vesperis præcedentis diei, quoad solum tamen Matutinum cum Laudibus: & quidem etiam ita, ut ex tunc incipiatur urgere præceptum: juxta nostram sententiam subsectione expositam præcedenti.

Ex designatione autem secundi temporis sequi, totum officium infra prædictum temporis spatiū recitandum esse distinctis, diversisque horis modo subsectione 1. explicato; sub levi licer culpa, si a tempore cuique horæ Canonice sive ex iure, sive ex consuetudine præfixo recedatur: ut explicavimus subf. 2. nu. 57.

Jam vero prædictum primum tempus, quod respicit totum Officium ut onus, seu opus uni affixum diei, sitque a media nocte ad medium noctem:

Item: & respectu Matutini cum Laudibus fluit a Vesperis præcedentis diei civilis ad alteram mediam noctem sequentis diei civilis: prædictum, inquam, tempus obligans sub gravi, admittere parvitatem quantitatis, docuit Leander a SS. Sacram. par. 2. tr. 6. disp. 13. q. 25. qui unus, inquit Cardenas, affirmat, posse adimpleri præceptum recitandi Officium canonicum, si illud quis paulo ante medium noctem incipiat, & sine interruptione recitando post illam finiat. Nonnulla congerit argumenta Leander in favorem opinionis suæ loccit. quæ tamen fuse, acriterque confutat Cardenas in Crisi par. 2. tr. 4. disp. 35. a c. 4. ad 9. incl. Et vero Leandri sententia est contra communem sensum, & usum: unde audiri non debet, inquit La Croix lib. 4. de horis Canon. qu. 215. §. 1.

Etsi autem Cardenas, ut diximus, tradat, unum Leandrum ad misisse parvitatem quantitatis in ordine ad initium, & finem Officii; nihilominus invenio postea eamdem opinionem sequutos fuisse Tancredi, & Chiavetta; hic consult. 24. n. 9. concedit, satisfacturum præcepto illum, qui recitaret Completorium hodiernum, post punctum mediæ noctis diei sequentis civilis; quia nimis fuisse. Ergo &c. Similiter Tancredi de Relig. tr. 3. lib. 4. disp. 14. nu. 2. admittit, medium quadrantem post medium noctem esse parvitatem materiæ in recitatione Officii; Et iterum nu. 4. dicit: *quod si quis, dum recitat Officium præcedentis diei, advertit me-*

diam noctem transactam esse, potest illud prosequi, ut n. 2. dixi: quia jam censetur dictum, & tantum completur, quod intellige, quando parum quid deesset ex Officio, ita ut medio fere quadrante totum finiatur. Ita ille. Id ipsum admitteret Verricelli, ubi unicum horologium adsit; hic enim, ut diximus a. 6. n. 24. admittit parvitatem quantitatis in omnibus præceptis affixis temporis, quam dimidi quadrantis spatium esse, contendit, ubi unicum horologium adsit; ubi tamen plura, limitat ad modum, in qua salutatio Angelica valeat recitari. Denique prædictæ opinioni subscriberent Caramuel, & Pasqualigus, qui etiam, ut eodem art. 6. vidimus, in omnibus præceptis affixis temporis admittunt parvitatem quantitatis excusantem a mortali, quamque ponunt esse quadrantis unius; atque adeo contendunt, initium, finemque diei non esse computandum a mediæ noctis punto, sed uno quadrante plus, minusve. Verum hujusmodi illorum opinionem, omnino rejiciendam esse, habes ex dictis loc. cit.

Dicendum itaque secundum communem sensum, & usum; in recitatione Divini Officii in ordine ad initium, & finem obligationis attendi debere horum non *preter propter*, seu *circiter*, *plus*, *minusve*, sed ad momentum ut in superioribus articulis explicatum fuit. Suarto. 2. de Relig. lib. 4. de hor. Canon. cap. 27. num. 4. 5. & 10. La Croix I. cit. Obligatio ergo recitandi, & orandi Officium pro una die desinit in punto noctis mediæ, modo in superioribus explicato; hinc quod ante non fuit recitatum, poterit omitti: nihil enim proderit in

in ordine ad satisfaciendum præcepto; Suar. cit. n. 5. quamvis aliunde laudabile sit, si recitetur, & quod remanet, absolvatur. Quod autem quidam addit: recitandum quoque esse post medium noctem quod culpabiliter omissum fuit, ne abeat ex barathro in barathrum: hoc nihil est. Nam si conceditur, tunc præceptum non amplius urgeare, ac desississe obligare: jam nullum peccatum erit, quod remanet Officii, immo & totum Officium diei præcedentis omittere; si autem nullo modo peccatur, quodnam est illud alterum barathrum, in quod ne abeat, recitari debet Officium prætermisum? Certe nullum. Pecavat solum in causa quidem, qui culpabiliter ad hujusmodi angustias temporis se reduxit, ut recte notat Felix Potestas to. a. par. 2. de i. præc. Decal. c. 3. n. 461. & vide ri etiam potest Suar. cit. n. 5. Sufficiat ergo asserere: laudabile quidem tantum esse, si adhuc post medium noctem, quod prius de Di vino Officio omissum fuerit, ex pleatur.

Incipit similiter obligatio recitandi horas Canonicas a punto medie noctis: immo in ordine ad Matutinum cum Laudibus incipit a Vesperis diei civilis præcedentis, juxta nostram sententiam: hora videlicet, qua secundum consuetudinem legitimam potest recitari: puta, qua Sol est propinquior ad occasum, quam ad Meridiem; vel ad summum hora secunda post Meridiem: etenim in præsenti non apparet consuetudo legitima, quæ magis anticipare permittat: ut superius dictum est. Antequam vero detur signum horæ secunda post Meridiem, vel alterius

cujuslibet horæ a Meridie remotoris, quæ designetur ad valide recitandum Matutinum crastinum; ejus recitatio inchoari non potest; ita ut si aliqua pars Matutini recitaretur ante horam a legitima consuetudine jam præfixam, esset tamquam si non fuisset recitata in ordine ad satisfaciendum præcepto; utpote extra diem sibi præfixum recitata. Quemadmodum si quis recitaret aliquam partem horæ Primæ ante medium noctem. Confer dicta art. 8. §. Sed est animadvertisendum.

Hactenus de exemplis præceptorum, quæ tempori affixa, temporis parvam quantitatem, admittunt, vel illam minime patiuntur: quibus explicata manet responsio data quæstioni propositæ præsenti art. 9. ubi examinavimus: utrum in omnibus præceptis Ecclesiæ tempus connotantibus, attendendum sit punctum, ac momentum practicum, & Ecclesiasticum? hoc est, sicut ex voluntate, vel consuetudine Ecclesiæ designatur per Calendaria approbata, & horologia bene communiter regulata: attendendum, inquam, sit, ita; ut graviter in omnibus delinquitur, si quid etiam parum pro rogetur, aut minuatur tempus præscriptum a lege? Jam ad alia procedendo ad præsentem materiam pertinentia, sit

A R T I C U L U S X.

Qu. X. Si non adsit, nisi unicum 79
*S*i horologium, & ignoret quis, an sit bene directum? Utrum possit juxta illud dirigere se? Idem queritur; si sint plura horologia inter se discordantia, & ignoretur quodnam eorum sit rite directum?

An

An possit quis juxta quodlibet se dirigere?

R. Et dico: 1. Si non sit, nisi unicum horologium, & ignoret quis, an sit bene directum? tenetur, se de hoc certiorem reddere, inquirendo ab iis, qui id scire possint, vel ex aliis prudentibus indiciis conjectando. Si autem illud non possit, & haec non suppetant; credi potest esse bene regulatum: dum quid positive contrarium prudenter non suadet; adeoque juxta illud dirigi possunt actiones; etenim hic valere adhuc videtur regula illa: nemo presumendus est malus, nisi positive probetur.

80 Dico 2. Si adsint duo tantum horologia, inter se notabiliter discordantia, non potest utrilibet statari; sed ex iis, qui scire possint; vel ex aliis indiciis, & conjecturis prudentibus judicandum est, quodnam ex iis duobus sit bene regulatum, & horas recte designet. Quæ si haberi non possint, fieri potest, quod diximus art. 5. n. 23. in casu dubii negativi, suspicionis, & ignorantiae. Quænam vero debeat differentia notabilis reputari? Mox explicabimus.

81 Dico 3. Si sint plura duobus horologia, quorum unum notabiliter discordet ab alijs inter se convenientibus: nisi aliud constaret ex parte regulantis, vel ex aliis circumstantiis; debent per se illa attendi, quæ sunt veluti contestes; præterquam quod in tali casu ista horologia concordantia faciunt opinionem horologii discordantis, tenuiter probabilem, & ideo non sequendam; nisi, ut dixi, aliud constaret ex parte regulantis, vel ex aliis circumstantiis.

Interrogabis: quænam hic reputari debeat differentia notabilis? R. Meo iudicio est differentia parva, si ultimum horologium non differat a primo, nisi spatio semiquadrantis. Mox et ex eo, quia si differentia semiquadrantis esset in re præsenti notabilis, & magna, reicienda essent simul duo horologia, alterum ab altero differens tanto spatio. At præterquam quod id non videmus fieri in communi Hominum estimatione, & usu; vix videtur in promptu haberi posse convincens argumentum, ex quo falsitas alterius horologii ita discrepantis appareat. Fac enim vero, utrumque rejicere velis; cum, ut supponimus, alia non adsint, quibus valeat adhæreri; ad conjecturas, & indicia probabilia recurrentum foret, ut supra docuimus, in notabili differentia faciendum; recurrente autem ad prudentes conjecturas, & indicia probabilia, viderur facile admodum esse, peritissimum etiam hominem a vero punto practico, & Ecclesiastico horæ aberrare prædicto semiquadrante; ut cum putet e. g. adesse puncum mediæ noctis; septem adhuc, vel octo minuta aut deficiant, aut excedant. Quod si hominis in hac re periti iudicium nemo prudenter refugeret ob suspicionem adeo levem; eodem ratiocinio haud graviter improbanda est præfata horologiorum discrepantia; quod si non graviter improbanda, pro levi certissime habenda erit. Adde potissimum argumentum; quod vix jam essent civili usui aptabilia horologia, si tam modice discrepantia abjeceris, ut inepta. Id autem opinari, valde alienum est ab Ecclesiæ æquitate; quæ subditis hominibus

præ-

præcepta tempori addita, humano more & usu imposuisse censenda est. Sed & amplius aliquid indulget Tamburinus in decal. lib. I. c. 3. §. 5. n. 17. docens, posse nos, ex duobus horologiis sequi alterum, quod post quadrans det signum idem datum a primo: ex quo certe putat, etiam unius quadrantis pro levi habendam esse discrepantiam. Cui tamen opinioni non video in civili usu communem Hominum sensum assentiri.

Nota; quod hæc nostra Opinio admittens parvitatem materiæ in Horologiorum discrepantia, non adversatur alteri nostræ Assertioni, in qua supra n. 24. rejecimus Carmuelis, aliorumque Theologorum Opinionem putantium, præcepta Ecclesiæ affixa tempori intelligenda esse de tempore *circiter tali*, & plus minusve; Nos vero statuimus, tempus in hujusmodi præceptis sumendum esse *ad momentum*, & non *preter propter*, seu *circiter*. Aliud enim est; *dato tempore ad præcepti obseruantiam statuto*, statim & illico teneri ad illud: quod dumtaxat ibi docuimus. Aliud est, facta hypothesi levis discordantia Horologiorum, ex unius indicio, me non esse ita certum dati temporis a lege statuti, ut nequeam adhærere alteri, ex cuius indicio nondum apparet tale tempus adesse: quod hic asserimus. Hinc

Dico 4. Si plura sint horologia, parum inter se discordantia, ita ut ultimum a primo parum discordet, quæ credantur bene directa & propterea in communi Civium usu laudabiliter recepta; potes etiam cuilibet ex illis te accommodare, quoad executionem legum Ecclesiasticarum;

TOM. I.

quia ut, sæpe diximus, Ecclesia tempus præceptis suis affixum politice, & juxta communem usum intendit.

Scio, nonnullos Theologos huic morali arguento aptasse principium illud Juris, *Melior est Conditio possidentis*: Hi propterea docent, quod, si sit hodie Sabbatum, non posset quis comedere carnes statim, ac primum horologium (inter horologia leviter discrepantia) dederit signum mediæ noctis adveniente Dominica; sed teneretur expectare ulterius, donec ultimum horologium talem horam dederit; quia, inquit, possidet Lex præcipiens abstinentiam a carnis; & dubium est, quodnam ex horologiis discrepantibus tempus attingat a Lege statutum. Atqui in dubio melior est conditio possidentis; ergo vim habet Lex, donec ipsam extrudat ultimi horologii probabilius signum. Sed pace tantorum Virorum, hi, meo iudicio, errare videntur in supposito: quasi vero Ecclesia tempus præceptis suis affixerit mathematicum, seu punctum illud reale, astrologicum, quod attingere Astronomorum est; non vero practicum, & prout in Civium usu facile est designari. Quod si, ut certe debent, rem a mathematica consideratione, ad civilem & practicam deducunt; falsum illico evincitur, quod assumunt, legem adhuc possidere, cum in facto casu primi horologii signum datum est. Lex enim, quæ mediæ noctem civilem statuit pro termino abstinentiæ, statim possidere desinit, cum horologium civiliter bene receptum (ut est in casu) mediæ noctem adesse signaverit. At tu dubium mihi dicces.

M. ces.

ces ; Utrum re vera adsit media Nox ; argumento , quod alia adhuc parumper differunt horologia . Ita nimurum dubium mihi probaveris mathematicum : quid hoc tamen ad me , qui civilem sequor usum , & practicum noto tempus ? Hoc ergo si adsit ; non dubio , sed certo argumento libertatem a Lege acquisivisse me puto . Quod autem tempus præceptis Ecclesiasticis affixum , sumendum sit civiliter & practice , non vero mathematice ; supra probavimus ar. 3. num. 20. & art. 6. n. 24. Deinde falsum est , quod af-

feritur ; probabilius indicari versus punctum medio noctis ab Horologio quod paulo post , quam ab aliо , quod paulo ante dat signum ejusdem ; ut clare probat ratiocinium factum num. antec.

An autem licet unam eamdemque horam computare juxta plura horologia bene quidem directa , sed inter se discrepantia ? Videri potest Cardinalis de Lugo de Euchar. disp. 15. sect. 2. a n. 46. Tambur. in decal. I. 1. c. 3. §. 5. a n. 6. La-Croix I. 1. qu. 48. a §. 1. Diana to. 4. edit. coord. tr. 6. R. 101.



CA-

C A P U T II.

DE CELEBRATIONE MISSÆ QUOTIDIANA.

1 Qu. I. **U**TRUM omnibus , & singulis Sacerdotibus licet celebrare quotidie ?

R. Exceptis ultimis tribus diebus hebdomadæ Majoris , & Sanctæ , nempe Feria V. VI. & Sabbato , de quibus suo loco erit agendum : dicendum est ; omnibus , & singulis Sacerdotibus licere , per se loquendo , celebrare quotidie .

Id probatur 1. ex eo , quia quotidie sacrificare , non est ex natura sua malum , sed bonum : patet , nam id cedit in cultum Dei , quem illi perpetuo debemus ; & est consentaneum dignitati hujus Sacrificii , quod propterea iuge appellatur . Daniel. 12. 11. Est etiam valde utile fidelibus , qui plurimum indigent fructu hujus Sacrificii . Ergo est per se honestum , & licitum quotidie celebrare , omnes etiam & singulos Sacerdotes . Probatur secundo ex eo , quia id nullo iure positivo est prohibitum . Non enim potest assignari . Ergo &c. Probatur 3. ex consuetudine Ecclesie , quam & nunc experimatur , & in antiquissimis Patribus , & historiis legimus . Vide Suar. to. 3. in 3. p. disp. 80. sect. 2. §. Dico quarto . Meratum in Rubr. gen. Miss. par. 1. in præliminar. n. 16. Bened. XIV. de Mis. sect. 2. c. 1. §. 2. alias l. 3. c. 2. Probatur 4. ex universalissima Doctorum omnium sententia affirmativa , quam etiam confirmabunt ea , de quibus in sequentibus disputabimus . Dixi licitum esse per se loquendo : quia possunt per accidens aliqui Sacerdotes

impediri a quotidiana celebratione , propter specialem prohibitionem Ecclesie , aut aliquod privatum particolare impedimentum ut constat , & non raro accidit .

Qu. II. Utrum omnibus , & singulis Sacerdotibus sit obligatio celebrandi singulis diebus ?

R. Affirmarunt quidam ex Canonistis , volentes : teneri etiam sub mortali Sacerdotes singulos singulis celebrare diebus . Verum absque ullo rationabili fundamento id statuerunt , unde ab omnibus Theologis rejiciuntur . Dicendum est itaque ; nec jure Divino , neque Ecclesiastico Sacerdotes singulos teneri ad quotidianam Missæ celebrationem , per se loquendo .

Constat 1. ex eo , quia nullibi extat tale jus , seu preceptum . Constat 2. ex consuetudine , & præxi Sacerdotum , ex quibus viri quoque sanctissimi aliquando , etiam si valeant celebrare , nihilominus celebrationem omittunt : quod etiam laudabiliter posse fieri , videbimus infra qu. sequ. Probatur 3. ex sententia universali omnium Theologorum . Vide S. Anton. Sum. 3. partit. 13. c. 6. §. 12. Suar. cit. sect. 2. Sylv. V. Miss. 1. qu. 7. §. 4. Arnulf. V. Mis. n. 27. Reginal. in prax. t. 2. l. 29. c. 9. sect. 4. n. 169. Filiiac. to. 1. tract. 5. c. 4. qu. 3. n. 101. Frane. de-Lugo de Saeram. l. 5. de Mis. c. 5. qu. 1. nu. 6. Tollet. Instr. Sac. l. 2. c. 3. num. 3. Pelliz. Man. Regul. tract. 5. c. 9. sect. 1. qu. 2. num. 4. Fagund. in M 2 præc.

præc. i. Eccl. 1. 3. c. 15. numer. 10.

Dixi: non teneri per se loquendo; quia plerique tenentur ex aliqua particulari obligatione, uti Capellani quidam sese obligantes ad celebrandum quotidie accepta eleemosyna; vel qui plura onera Missarum habeat, quibus non possit satisfacere, nisi quotidie celebret.

Utrum autem singuli Sacerdotes teneantur, saltem aliquoties celebrare singulis annis? Examinabimus in Appendice ad Calcem Diarii c. 2. de celebrat. Miss. qu. 1.

3 Qu. III. Utrum sit consultius, & laudabilius singulos Sacerdotes celebrare quotidie?

R. Per se loquendo consultius, & laudabilius est, omnes, & singulos Sacerdotes, etiamsi non adeo perfecti sint in sanctitate vitae, celebrare quotidie; exceptis ultimis tribus diebus majoris hebdomadæ, ut innuimus qu. 1. ex speciali prohibitione Ecclesiæ suo loco explicanda, ubi de triduo prædicto.

Præsentis autem Assertionis ratio est, quia, ut animadvertisit Azor. Institut. Moral. par. 1. l. 10. c. 24. q. 10. Sacrificiis vivi, & mortui juvantur, Angeli, & reliqui cælites exhilarantur, Ecclesiæ res promovet, Divinus cultus augetur, plenior, & uberior gratiæ fructus suscipitur. Consonat Thomas a Kempis de imit. Christi l. 4. de Sacramento c. 5. de dignitate Sacramenti, & statu Sacerdotali, ubi fine: haec habet: *Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos lætitias, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præstat, & sese omnium bonorum participem efficit.* Contra vero ex S. Bonaventura opusc. de præ-

parat. ad Miss. c. 5. to. 7. operum ejus pag. 68. edit. Lugd. an. 1668. Cum Sacerdos est absque peccato mortali, & in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, & non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc quantum in ipso est, privat Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitias, peccatores veniam, justos subficio, & gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, & seipsum medicina, & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates. Videri etiam potest S. Anton. sum. 3. par. tit. 13. c. 6. §. 15. & Pontas V. Missa cas. 50.

At dices; ex eo quod inter Lai- 4 cos multi sint imperfecti, communio quotidiana non expedit Laicis omnibus, & singulis indifferenter, quantumvis justi sint; ut constabit ex dicendis c. 3. de comm. quotid. qu. 1. n. 3. Ergo cum inter Sacerdotes etiam multi sint imperfecti; ideo celebratio quotidiana multo minus expedit Sacerdotibus omnibus, & singulis, quamvis justi sint, seu conscientia careant peccati gravis. Certe enim dispositio major requiritur ad celebrandum, quam ad simpliciter communicandum.

Sed respondetur; Quamvis regulariter non sit suadendum indifferenter Laicis, ut quotidie communient, ob rationes assignandas ubi de Commun. quotid. loco allegato: nihil tamen minus suadendum est Sacerdotibus, ut quotidie sacrificent: nam munus sacrificandi non est privatum, sed publicum, ut bene observat Suar. l. cit. §. dico 4. prope finem; nec prodest soli Sacrificanti, sed toti Ecclesiæ, ut idem eximius Doctor notat, & audi-

divimus supra ex S. Bonaventura, & aliis. Quapropter dummodo positive indignus non sit, & moraliter atque humanam diligentiam adhibeat, quamvis sit imperfectus, non debet ab hoc sacro munere cefare; ideo & habet proprium, ac peculiare jus ad offerendum Sacrificium, & habet paratum speciale divinum auxilium, ut illud sancte conficiat. Similia allegant Cardinalis de-Lugo, & Franciscus de-Lugo laudandi cit. c. 3. q. 3. n. 11. & Fagund. l. cit. Videri etiam potest Bened. XIV. de Missa sect. 2. c. 1. §. 2.

5 Per hoc tamen non negatur, quominus ex reverentia, & timore, die aliquo Missæ celebrationem omittere, possit esse bonum, & utile; & alicui fortasse suadendum, juxta diversas personarum conditio-nes, & varias Spiritus Sancti gratiarum divisiones: ut quidem monet S. Bonaventura, & Alens. quos laudat Franciscus de-Lugo de Sacr. l. 4. de Euch. c. 9. qu. 6. n. 84. Similiter Sylvester cit. 6. 4. Navar. in man. c. 23. n. 59. Suarez l. cit. Azor. l. cit. qu. 10. fine. Filiiuc. l. cit. n. 102. Reginald. l. cit. fin. & Pelliz. l. cit. n. 5. Ubi insuper notat, ex hoc sequi: non decere, ut Religiosi obligentur, ad cele-brandum quotidie ex regula, vel statuto; ita Pelliz. id etiam significat Suarez loco infra cit.

6 Quod autem Thomas Tamburinus Meth. celeb. Miss. l. 3. c. 3. §. 1. n. 7. scripsit: Presbyteros Societas Jesu obligatos ex Regula celebrare quotidie: non est ita. Enimvero, caurum quidem fuit, ne ultra dies octo a dictis Presbyteris Missæ celebratio differretur. fine eau-

sis judicio superioris legitimis: ut dicitur in 6. parte Constit. c. 3. §. 2. & rursus statutum utique fuit, ut Missæ Sacrificium, crebrius quam octavo quoque die a Sacerdotibus offerretur: uti habetur in examine cap. 4. §. 25. at quotidiana celebra-tio nullibi fuit imposita.

Fortasse vero Tamburinus oppo-sitam illam assertionem suam fun-davit in Regula tertia Sacerdotum, in qua dicitur, quod Societas Pres-byteri, ita vivere student, ut quo-tidie merito celebrare possint; Ve-rum hoc, ut per se patet, non est obligare, ad celebrandum quotidie: sed simpliciter monere, quod præ-fati Sacerdotes volentes celebrare quotidie, sese tanto ministerio di-gnos magis in dies efficere fatagant; quemadmodum per se loquendo con-venit omnibus Sacerdotibus, maxi-me Regularibus: & quam quidem celebrandi frequentiam communis in Societe Sacerdotum pietas, quasi annuente Sancto Legislatore suo, amplexa est: ut dicitur in Epitome Instit. par. 2. c. 4. sect. 5. nu. 3. Quod autem nec in allegata Regu-la tertia Sacerdotum, neque alibi Societas obligaverit suos, celebrare quotidie; observat etiam Suarez de Religione to. 4. tract. 10. lib. 8. c. 3. n. 1. & Pelliz. man. Reg. l. cit. nu. 4.

Ratio autem cur Societas Sacer-dotibus suis mandaverit quidem ce-lebrationem frequentem, at vero de-terminante quotidianam tamquam ex consilio solum proposuerit: facile patet ex dictis; & audire quoque juvat Suarez loc. cit. ubi mentione facta illius statuti, in quo decretum fuit, ut Societas Presbyteri cele-brarent crebrius, quam octavo quo-que

que die; & rursum recitatis supradictis verbis Regulae tertiae Sacerdotum, in quibus est monitio facta, quod ita vivere studeant, ut quotidie merito celebrare possent: haec subdit: Non fuit autem haec frequentia omnino determinata, ac prescripta, quia minorem, quam quotidiam non expediebat definire: nam Viris Religiosis non est minor consulenda, cum haec per se melior, ac perfectior sit, ad majorem Dei gloriam, totiusque Ecclesiae utilitatem pertineat. Totam autem illam sub Regula ponere, non oportebat, propter varias causas, & occasiones eam intermittendi, quae moraliter occurrere possunt: & ideo consultius visum est, solum generatim consilium hujus frequentia indicare. Quo factum est, ut tamen recepta consuetudine in Societate hoc obseretur, ut nonnihil raro, & ob extraordinariam causam, quotidianum Sacrificium omittatur. Haec Doctor eximus.

Igitur, ut dicebamus: fatemur, ex reverentia, & timore, die aliquo interdum Missæ celebrationem omittere, esse posse bonum, & utile, juxta diversas personarum conditiones, & varias Spiritus Sancti gratiarum divisiones. Hinc autem intelliges, quare superius dictum fit: celebrare quotidie singulos Sacerdotes, esse laudabilius, & consultius per se loquendo.

Qu. IV. Etsi secundum dicta qu. z. Sacerdotibus atri sit, per se loquendo, obligatio celebrandi quotidie, nihilominus quæres: utrum saltem Parochus teneatur ad hujusmodi celebrationem quotidianam?

R. negative, quia non extat hujusmodi præceptum obligans Parochum, qua talem, ad celebrandum

quotidie: & merito quidem, nam esset rigida nimis, & onerosa obligatio, inquit Suarez cit. sect. 2. §. dico tertio. Filiuc. qu. 3. n. 101. Bonac. cit. disp. 4. quest. ult. p. 7. prop. 2. nu. 4. Franc. de Lugo de Sacr. lib. 5. de Miss. c. 5. quest. 1. n. 14. fine. Idem significant Sylvester cit. §. 4. Tolet. cit. c. 3. n. 2. Azor. l. cit. qu. 2. & Doctores communiter docentes: Parochum non teneri celebrare, nisi diebus, qui bus populus tenetur audire Missam; & nequidem tunc absolute per seipsum, sed vel per se, vel etiam per alium; ut contra Vasquez videbimus in Appendice ad calcem Diarii c. 2. de celebr. Miss. qn. 1. inter. 2. nu. 8. Populus autem non tenetur audire Missam quotidie, sed nonnullis diebus, puta in Dominicis, aliisque festivis Censet vero Sotus in 4. dist. 13. quest. 2. art. 2. Parochum ultra dies festivos ex præcepto, teneri jure, & præcepto celebrare aliis etiam diebus pro ratione deciminarum, aut Beneficii, quod possidet, & pro ratione Plebis pie, & religiose sacrificium Missam frequentantis. Idem dicit Suarez. tom. 3. in 3. par. disp. 72. sect. 3. post initium. Hoc secundum vult etiam Vasquez apud Franc. de Lugo loc. cit. dicens: obligari Parochum diebus quoque feriatis, si Parochiam velint audire Sacram: sed id refellit Fagundez de præc. Eccl. præc. 1. l. 3. c. 15. n. 8. eique adhaerere videtur de Lugo; attamen satis probabile ab Azorio reputatur. Sed quidquid fit de hoc:

Notandum tamen est hic i. posse Parochum obligari ex speciali statuto alicujus Dioecesis, ad celebrandum ultra dies festos, nonnullis etiam

jam feriatis in sua Parochia . Vi-
de dicenda in Appendix ad cal-
cem Diarii cap. 2. qu. 1. Interrog.
1. nu. 7.

Notandum 2. quod si juxta di-
cta quæst. 3. valde expediens est ,
quemlibet etiam simplicem Sacerdo-
tem non legitime impeditum , cele-
brare quotidie : a fortiori id affir-
mandum de Parochis . Profecto si-
ne vere rationabili causa non decet
omitti in Parochia quotidiana Missa
celebrationem , sive per ipsum
Parochum , sive saltem per alium
Sacerdotem : maxime si in loco ,
seu Oppido Ecclesia sit unica . Ad-
de , quod periculum erit , ne Paro-
chus grave scandalum afferat Paro-
chianis suis , præsertim numerosis ,
si solis tantummodo festivis ex præ-
cepto diebus audiendæ Missæ com-
modum præbeat .

Ex eo autem , quod Parochus ad
quotidianam Missæ celebrationem in
sua Ecclesia non teneatur ex ullo
præcepto Juris communis , sive per
se , sive per alium : ut responsionis
initio statutum fuit : colliges hic
nullum adesse præceptum Juris di-
vini vel humani , ut quotidie Mis-
sa Sacrificium offeratur in singulis
Ecclesiis : quod expresse docent Su-
arez cit. disp. 80. sect. 2. Franciscus
de-Lugo de Sacr. l. 5. de Miss. c.
5. qu. 2. nu. 17. & 18. & cæteri
significant Theologi .

8 Qu. V. Utrum uni eidemque Sa-
cerdoti liceat plus quam semel in
die Missam celebrare ?

& Excepto die Nativitatis Do-
mini , quo ex Jure Communi tres
Missas celebrare cuilibet Sacerdoti
datum est ; nullo unquam casu ex
novo Ecclesie Jure permisum est ,
ut unus Sacerdos plus quam u-

nam Missam in die celebrare pos-
sit . Ita D. Th. 3. p. qu. 83. art.
2. ad 5. & habetur C. sufficit 53.
dist. 1. de Consecr. ubi Alexander
II. ita statuit . Sufficit Sacerdoti u-
nam Missam in die una celebrare .
Et C. Consulisti Extra de Celebr.
Miss. ubi respondet Innocentius III.
quod Excepto die Nativitatis Domi-
nicae , nisi causa necessitatis suadeat ,
sufficit Sacerdoti semel in die una
Missam solummodo celebrare . Et
quamvis Glossa in hunc locum sic
habeat : Sed quam dicit Necesitatem ?
Respondeo : Si celebravit de die , &
postea moriatur aliquis .. Unde potest
unam celebrare de die , & aliam pro-
defuncto : tamen tum haec , tum aliæ
multæ , que antiquitus legitimæ cau-
se putabantur , jam novis tempori-
bus omnino cessasse dicendæ sunt :
quod prudentissime animadvertisit so-
lus in 4. dist. 13. qu. 2. art. 2. ubi
haec habet : Attamen ex his omnibus
antiquis casibus , qui dum Ecclesia Sa-
cerdotum raritate laborabat , frequentes
erant , non est jam in usu (prater
diem Nativitatis) nisi ille , cum quis
propter Paneciæ paupertatem eu-
ram durum habet .

Idcirco dixi , Jure novo id jam
vetitum , nam ex Jure Veteri per-
spectum est omnibus Eruditis , ne-
dum plures fuisse festivos dies Po-
lyliturgicos , nimisrum , præter Nata-
lem Domini , Festum Circumcisio-
nis , Resurrectionis , Pentecostes ,
Nativitatis S. Joannis Baptiste , SS.
App. Petri & Pauli &c. Verum etiam
in aliis non festivis diebus licuisse ei-
dem Sacerdoti pluries in die Missam
facere . In quo cum avaritia Sacer-
dotum , ad captandas plures eleemo-
synas , exceedere cœpisset cum ma-
gna Laicorum offensione , Vetus
no-

novo jure correctum est. V. Tomassini. de Ver. & nova Eccl. discipl. par. 3. l. 1. c. 72. n. 6. Vicecomes tract. de Antiquis Mis. rit. lib. 3. cap. 8. f. & late Benedictus XIV. alias Prosp. Lamber. in op. del Sacrificio della Messa sez. 2. c. 1.

9 Dixi etiam, id nullo casu licere simplici Sacerdoti. Nam pro Missionariis in locis Infidelium, & Parochis duarum dissitarum Parochiarum aliter indulgeri consuevit.

Pro Missionariis hæc habet laudatus Benedictus XIV. Constit. 3. incip. declarasti tom. 2. Bull. ejus. Certissimum illud est, Missionariis tantum a Sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die Sacrificium bis operentur: reliquis vero Sacerdotibus opus esse, ut bac de re facultatem ab Episcopo consequantur, etiam si causa necessitatis intercedere videatur; cuius sane judicium ad ipsos Sacerdotes nequaquam pertinet.

Pro Parochis duarum Parochiarum multa quidem sunt Jura, quæ ipsis Missam bis facere, indulgere videntur; nec dissentire Sotum superretulimus. Cujus, aliorumque Theologorum testimonia laudans Benedictus XIV. cit. op. del Sacrificio della Messa, ait; disputari Utrum Parochis id liceat ex ipso Jure, an ex requisita Episcopi facultate, statuitque: che o sia o non sia necessaria la licenza del Vescovo; è però necessario, cb' egli sia int. so, acciocchè vegga, se veramente vi sia la necessità, che lo stesso Sacerdote dica nello stesso giorno due Messe, ancorchè abbia due parrocchie. Consentit ejusdem laudatum testimonium cit. Constit. declarasti.

Nota demum; nec esse legitimam causam celebrandi secundam Mis-

sam, si ministranda sit Eucaristia proxime morituro, unusque adsit Sacerdos; qui jam semel celebravit in die. Ita laud. Bened. XIV. l. cit. c. 4. maxime quia talis, sumpta purificatione, non habet jejunium de jure requisitum ad confectionem Sacrificii.

Qu. VI. Utrum in Mundo, seu 10 in Ecclesia Christi debeat diebus singulis Missæ Sacrificium offerri?

R. Affirmative, unico excepto Parasceves die, ob rationem ibi assignandam. Hanc autem obligacionem, licet Durandus in Ration. Divin. Offic. lib. 4. c. 42. n. 3. videatur significare, esse de jure divino; dicendum tamen est, ex jure positivo humano esse, & consuetudine Universali Ecclesiae Catholicæ, non item ex jure divino, ut Theologi docent omnes, teste Suarez supra cit. sect. 2. §. Dico ergo primo. Francisc. de-Lugo l. cit. n. 17. & Filliuc. supra cit. c. 4. qu. 3. n. 103. Quapropter, ut idem Suarez colligit, posset Ecclesia, si rationabilis causa occurreret, quemadmodum prohibuit Missæ Sacrificium a Sacerdote ullo celebrari feria VI. in Parasceve; ut ibi docebimus; posset, inquam, idem statuere in alio, vel aliis anni diebus.

Ex solo itaque jure positivo humano, & Ecclesiastica consuetudine debet quotidie, excepta Parasceves die, Missæ Sacrificium offerri, non quidem ab omnibus, & singulis Sacerdotibus, ut statutum est quæst. 2. nec item in omnibus, & singulis Ecclesiis, ut observavimus quæst. IV. fine: sed solum in quibuscumdam Ecclesiis ex jure ipso positivo humano, sive ex consuetudine de-

designatis; quarumque Ministri ideo a fidelibus distributiones, & alimenta percipient, ut infra dicetur.

II Hujusmodi autem Ecclesiæ sunt omnes, & singulæ Cathedrales; ita Suarez cit. sect. 2. §. *Dico secundo.* Franci. de-Lugo n. 17. Filliuc. n. 104. Azor. cit. c. 24. qu. 2. Reginald. n. 168. Busemb. l. 6. par. 2. tract. 3. c. 3. dub. 1. Resolut. 2. Gavant. in Rubr. Miss. par. 3. tit. 11. n. 4. & communiter Doctores qui primo allegare solent *C. Iteratur.* 71. dist. 2. de *Consecr.* & *C.* cum *Creatura de celebr. Missar.* in quo sic dicitur: *Cum Creatura non habeat, quid pro meritis respondeat Creatori; Mandamus, quatenus nullum in vos torporem negligentiae obrepere permittatis, quominus & pro Anniversariis Defunctorum, & pro Festo, vel Feria, secundum temporum congruentiam, Missarum solemnia conventionaliter celebretis.* Id ipsum significatur in Rubr. gener. Missal. Secundo allegant Ecclesiæ consuetudinem, quæ vim legis habet. Tertio communem sensum Fidelium, qui graviter offendenterunt, si sine justa causa omitteretur celebratio quotidiana Sacrosancti Missæ Sacrificii in dictis Ecclesiis. Quare censendum est, his stipendia dari cum hac obligatione; & hæc potest esse quarta ratio pro obligatione prædicta: confer Decreta SS. CC. mox infra alleganda. Quæ quidem obligatio per se pertinet ad Episcopos, vel Præfatos talium Ecclesiærum. Hi itaque, licet non teneantur, per seipso quotidie celebrare, tenentur tamen curare, ne desit ultra die Sacrificium Missæ in Cathedralibus. Atque ita fiet, ut in universa Ecclesia non solum unum,

TOM. I.

vel alterum, sed quamplurima Sacrificia offerantur quotidie. Porro id est valde necessarium ad spirituale bonum Fidelium, tam viventium, quam Defunctorum: & ad debitum divinum cultum, moraliter loquendo, necessarium est, ut observat Suarez: & hæc potest etiam assignari pro quinta ratione, quatuorque prioribus addi, ad insinuandam quotidiani Sacrificii obligacionem in Ecclesiis Cathedralibus: quam insuper pluries declaravit S. C. R. & Concil.; confirmavitque Benedictus XIV. Constit. *Cum semper.* 19. Aug. 1744. to. 1. Bullar. sui, num. 103. in qua exprimuntur etiam Ecclesiæ Patriarchales, & Metropolitanæ.

Eadem obligatione teneri Ecclesiæ Collegiatas, si sufficientem habent numerum Sacerdotum, affirmant insuper communiter Doctores; ita Sylvest. Azor. Filliuc. Reginald. Busemb. Gavant. ll. cit. Bened. XIV. de Missa sect. 2. c. 1. §. 2. aliisque; hanc ipsam obligationem in Collegiatis adesse, significant item Rubricæ Missalis Rom. Et adsunt etiam pro his declarationes plures SS. CC. uti: *Conventionalis Missa cantari debet quotidie in Collegiatis, quorum Clerus est numerosus, & redditus non tenuis.* S. C. Episcop. 14. Januar. 1603. apud Merat. to. 1. par. 3. tit. 11. n. 4. decr. 29. & *Tenenetur omnino Canonici ad cantandam Missam de die, seu de Officio occurrenti, atque adeo Conventualem, ut lucentur distributiones.* S. R. C. 25. Junii 1611. & 28. Januar. 1612. apud Merat. ind. decr. Mis. n. 117. & 119. & apud Gavant. in Rubr. Miss. par. 1. tit. 4. num. 3. lit. p. Porro Canonici Cathedralium, &

N Col.

Collegiatarum accipiunt fructus suorum Canoniciatum sub onore inserviendi Ecclesia in celebratione Divinorum Officiorum; quia celebratio non importat solum horas Canonicas, sed etiam Missam Conventualem, tamquam praesipuam partem. S. C. Concil. 17. Martii, & 9. Junii 1714. apud Caval. to. 3. c. 8. d. 8. & apud Merat. to. 1. par. 3. tit. 11. n. 4. d. 30. Quam item obligationem Collegiatarum confirmavit Bened. XIV. in supra cit. Constit. *Cum semper.*

Præfatam obligationem celebrandi quotidie Missam Conventualem extendunt aliqui ad Ecclesias Parochiales, & Conventuales, ubi mediocris sit saltem Sacerdotum numerus; ita Suar. Azor. Reginal. Filliuc. Sylv. & alii. Sed in his attendi debere consuetudinem, seu Constitutiones Synodales cujusque Diocesis, docet Franc. de-Lugo n. 18. cum Vasquez, Goninch, & Laym. Accedit Cavalerius to. 3. c. 8. in d. 7. n. 4. ubi Ecclesias Parochiales, aliasque, in quibus plures celebrent Sacerdotes, præter Cathedrales, & Collegiatas proprie tales, ad hujusmodi Missam jure communi teneri, negat: sed solum justitiae titulo, in casu nimirum, quo in fundatione aliqua, seu stipendio ad id suppeditato, se se obligaverint. Et quoad Parochiales, quod haec qua tales non obligentur, Missam quotidie celebrare, habes ex dictis qu. 4. proxime præcedenti. Conventionalium autem Ecclesiarum nomine si intelligantur, ut quidem proprie veniunt, teste Caval. to. 1. c. 8. in dis. 3. §. 2. n. 11. Ecclesiæ Regularium: de his quæstio erit inferius: an teneantur Missam quotidie celebrare?

12 Interim nota hic 1. ex dictis ha-

beri: in præsatis Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis non sufficere, celebrari quotidie Missam, quæcunque ea sit, ad celebrandam Missam Conventualem, quæ & solemnis, & cantata solet appellari: ab aliis etiam nuncupatur Missa Tertiæ: ab aliis Missa major, publica, generalis, principalis, Canonica, Capitularis, Missa diei &c. Vid. Gavant. in Rubr. Miss. par. 2. tit. 2. n. 5. initio. Pelliz. Man. Regul. tr. 5. cap. 9. sect. 2. qu. 1. n. 29. Facile autem est, assignare prædictorum nominum rationem. Nimirum Conventualis, & Generalis Missa vocatur, quia ad eam convenire debent omnes, & simul assistere Canonici, seu Collegiales, sive Choristæ, aliquique Sacerdotes, & Clerici. Capitularis Missa vocatur, quia assistente Capitulo celebratur. Missa autem Tertiæ eadem nuncupatur ab hora, qua celebrari solet in Festis, juxta Rub. gener. Missal. tit. 15. n. 2. Missa diei, quia occurrenti correspondere communiter debet Officio, ut infra notabimus. Dicitur etiam Missa Major, publica, principalis; respectu Missæ privatæ. Vocatur Canonica, quia ex obligatione juris Canonici, ut supra notavimus, celebratur. Appellatur Missa Cantata, ad distinctionem Missæ privatæ, quæ legitur simpliciter: haec autem cantatur: & licet sint, qui putent, (Vid. Pellizar. l. c. n. 28.) non esse necessarium, quod Conventualis Missa cantetur, seu cum cantu, & alta voce celebretur; sed posse sine cantu: atamen vel non sunt audiendi, vel intelligendi sunt loqui non de Ecclesijs Cathedralibus, atque Collegiatis, sed de aliis minoribus etiam Re-

Regularium, in quibus cum, ex plurium sententia, non sit obligatio de jure communii celebrandi Missam Conventualem, ut infra dicetur: nec de eodem iure est obligatio, illam cantandi, si celebrent. Confer Cavaler. to. 3. cap. 8. in decr. 7. fine. Huc facit sequens decretum apud Meratum: *Antiphona B. M. V. in fine Officii debet omitti in Choro, quando immediate sequitur Missa, qua in Ecclesiis non Cathedralibus, & non Collegiatis, sed in minoribus etiam Regularium, licet non contetur a choro, sed coram Clero legatur tantum a Celebrante, babenda est tamquam Conventualis.* Et in Festis secundæ Clas̄is debet omitti Commemoratio S. Simplicis eadem die occurrentis, ut prescribitur in Rubr. Missalis tit. 7. n. 1. S. R. C. 14. Febr. 1705. in una Cappuccinorum Galliæ apud Merat. ind. Decr. Miss. n. 592. Confer dicenda 14. Januar. n. 8. Huc etiam proculdubio respicit Decretum S. C. R. in una Camald. Montis Coronæ 22. Januar. 1701. in qua declaratum fuit, quod in Missa Conventuali dierum Solemnium, quæ absque cantu, & Ministris celebratur, non est facienda thurificatio. apud Cavaler. to. 3. c. 12. d. 10.; qui ibi n. 11. cohærenter docet: Missam Conventualem, aut Parochialem, licet dierum solemnium, quæ in Ecclesiis Clero destitutis, aut alias absque cantu habetur, thurificationis ritu carere Animadvertisit autem Meratus to. 1. par. 2. tit. 6. n. 44. Decretum hujusmodi nequaquam officere Rubricistarum plurium sententiarum concedenti thuris honorem, seu incensationem ad Evangelium, ad Offertorium, & ad elevationem SS. Sa-

cramenti in Missa celebrata quidem sine Ministris Sacris Diacono, & Subdiacono, sed non item sine cantu; & cum assistentia duorum saltem Acolythorum; sed tamen aliqui non permittunt, si unicus assistat Acolythus, apud eundem Merat. n. 46.

In Ecclesiis igitur Cathedralibus, atque Collegiatis Missa Conventualis est omnino cantanda, non simpliciter legenda; & hanc esse unanimem Auditorum sententiam testatur Caval. in cit. d. 7. fine. Et S. R. C. interrogata: an in Missa Conventuali cani semper debeant Gloria, Credo, totum Graduale, Offertorium, Praesatio, & Pater noster? Respondit affirmative juxta prescriptum Ceremonialis Episcoporum. Et amplius. S. R. C. 14. April. 1753. in Conimbricen. ad 2. dub. apud Caval. to. 5. in Collect. recentior. decretor. Imo cum, ut infra dicetur, aliquando debeant eadem die plures Missæ Conventuales celebrari; singulas esse cantandas, eadem S. C. pluries declaravit, ut in eadem Conimbricen. ad 1. dub. in quo quæsitus fuit: utrum in Cathedrali Conimbricensi, attentis circumstantiis, toleranda esset asserta consuetudo cantandi unicam Missam, aliam legendi iis diebus, quibus a Rubrica duas præcipiuntur Missæ: Respondit Negative, reservato iure probandi antiquam Consuetudinem. Et amplius. Similiter respondit in una Vilnen. interrogata: quando juxta Rubricas Missalis in Feriis Quadragesimæ, Quatuor temporum, Rogationum, ac Vigiliarum prescribuntur dues Missæ cantatæ in Cathedralibus, & Collegiatis, una de Festa post Tertiam; altera de Feria

post Nonam; an in Cathedrali Vilnensi, propter insufficientiam temporis, ratione multarum votivarum cantandarum ex fundatione, posset una ex his duabus substitui pro cantata? Respondit, non posse omitti alteram ex his duabus Missis cantandis. Missæ autem Votivæ ex fundatione cantandæ posse substitui votivam lectam ex rationabili causa ab Ordinario dignoscenda, & approbanda. 22. Decemb. 1753. ad 10. & 11. dub. apud Caval. I. cit. Et licet ex præcedenti allegato Decreto in Conimbricen. ex illis verbis: *reservato jure probandi antiquam Consuetudinem*: colligi valeat, in hac re posse favere antiquam consuetudinem in contrarium, si de ea alicubi certo constaret; attamen eadem S. R. C. 28. Januar. 1612. in Oscen. declaravit; quod *Missa Conventualis de Feste, seu de Feria currenti omnino cantanda est, non obstante quacunque contraria consuetudine*. apud Merat. ind. decret. Miss. n. 120. Clausula vero illa: *& amplius: quæ in laudata Conimbricensi habetur, demotat: decretum illud suis se ex unanimi sententia Cardinallium omnium: & rem per se clare patere, atque adeo quæstionem de ea non esse amplius proponendam*. Itaque tenentur omnino Canonici ad cantandam Missam de die, ut lucrentur distributiones. S. C. R. 25. Junii 1611. & 28. Januar. 1612. apud Merat. ind. decret. Miss. n. 117. & 119. & apud Gavant. in Rubr. Miss. par. I. tit. 4. n. 3. lit. p. Solum conceditur omissio Missæ cantatæ in Feste Corporis Christi, in casu, de quo Cærement. Episcop. lib. 2. cap. 33. num. 31. ubi dicitur, quod si Episcopus ipse voluerit

ea die celebrare, & Hostiam consecrare ferendam in subsequenti Processione solemini, poterit summo mane Missam planam sine cantu legere, omissa pro hac die, propter Processionem, ad celeriorem actus expeditiōnem, & ad evitandum calorem, Mis sa solemini. Quod notavit etiam Meratus par. 3. tit. 11. n. 4. Confer dicenda tr. 2. in Feste SS. Corp. Chr. n. 43.

Denique Missa Conventualis nun cupatur Missa Solemnis, quia non solum cantari debet, quemadmodum dictum est, verum etiam cum solemnitate quadam per se exigit celebrari. Porro differentia intercedis inter Missam cantatam simpliciter, & cantatam solemniter; ad hanc enim præter cantum requiritur insuper assistentia Diaconi, & Subdiaconi; ad illam vero sufficit, si simpliciter canat Celebrans cum assistentia solius Acolyti. Atque adeo quando a Fundatoribus, seu Benefactoribus simpliciter prescribitur, ut Missa cantetur: sufficit illam cantari cum assistentia solius Acolyti. At vero quando dicitur, quod cantetur Missa Solemnis: tunc cani debet cum assistentia Diaconi, & Subdiaconi. Arguitur ex quadam declaratione Sac. Congregationis Concilii: cum enim in una Neapolitana Celebrationis Missarum; contendetur, Patres Carmelitas non adimplivisse onus ipsis injunctum, canendi quotidie unam Missam; ex eo quod illam cantaverint sine assistentia Diaconi, & Subdiaconi; & causa delata fuisse ad Sacram Congregationem Concilii die 28. Augusti 1683. nec ipsa die decisa; & iterum delata die 29. Januar. 1684. atque proposita sic: an Missa quotidie

vidie cantanda debuerit , & debeat cantari cum assistentia Diaconi , & Subdiaconi , vel solius Acolythi ? Eadem Sacra Congregatio considerans , onus fuisse simpliciter unius Missæ Cantatae , non item Solemnis ; respondit : satis factum fuisse , & satisfieri voluntati Testatoris , cantando Missas etiam sine assistentia Diaconi , & Subdiaconi . Ita refert , & tenet Benedictus XIV. to. 5. Notific. 17. §. 7. & videri etiam potest Caval. to. 3. c. 9. n. 1. & 2. & c. 10. in decr. 3. Merat. to. 1. in Gavant. par. 1. in preliminar. n. 36. Et Missam illam esse Solemnem , quæ celebratur cum Diacono , & Subdiacono ; docet etiam La-Croix l. 6. par. 2. qu. 5. §. 7. fine ; qui tamen refert Lohn. putantem Missam quoque Solemnem esse , quæ tantum cantetur . Missam vero solemnem cum assistentia Ministrorum esse ex opere operato efficaciorum , quam non ira solemnem : tum ob actiones intrinsecas plures , tum ob assistentiam , & cooperationem plurium : docet probabiliter Pasqu. contra Rbyn. , qui probabilius negat apud La-Croix l. cit.

Itaque ut dicebamus : Missa Conventualis nuncupatur Missa Solemnis , quia cum Solemnitate quadam , hoc est cum Diacono , & Subdiacono per se exigit celebrari ; quapropter Potest Episcopus cogere Canonicos , ut a Capellaniis in Quadragesimæ cantare faciant Missam Conventualem Feriæ cum Diacono , & Subdiacono . S. R. C. 17. Jul. 1627. apud Merat. Ind. Decr. Miss. n. 212. Cæterum testatur Meratus in Gavan. par. 3. tit. 11. n. 4. in fine : in multis Ecclesiis etiam Cathedralibus introductam esse consuetudinem in diebus feriali-

bus cantandi Missam Conventualem sine Ministris Sacris , & absque Ceremoniis : quam vocant Missam semi solemnem , seu Medium inter solemnem , & planam ; vide rursus eundem Meratum par. 1. in prælim. n. 53. & de ejusmodi Missæ ritu , cæmoniisque eundem par. 2. tit. 6. a. n. 24. Quæ quidem consuetudo ubi adsit etiam pro Feriis infra Octavam Corporis Christi permittitur , ut in sequenti Decreto : Missæ Conventuales infra Octavam Corporis Christi possunt , ubi est consuetudo , cantari sine Diacono , & Subdiacono : excepto die Fefto , ac Dominica , & die Octava . S. R. C. 15. Martii 1608. apud Merat. Ind. Decr. Miss. n. 80.

Nota secundo : Missam Conventualem debere Officio correspondenter esse currenti : unde Missa diei appellari etiam solet , ut supra diximus ; & ita cum Peyrin. monet Pelliz. in Man. Regul. tr. 5. c. 9. sect. 2. qu. 1. n. 28. & Gavant. in Rubric. Miss. par. 1. tit. 4. n. 3. lit. p. ex supracit. C. cum Creatura . Quapropter Missæ Votive non possunt suffragari pro Missa Conventuali , quæ non potest omitti , etiam si cantetur Missa Votiva . S. R. C. 16. Maj. 1626. in Burgen. apud Merat. Ind. Decr. Miss. n. 198. Etiam in Ecclesiis minoribus , ubi unica celebratur Missa , non potest omitti illa occurrentis Festi de præcepto , ut cantetur Votiva . S. R. C. 22. Augusti 1744. in Cracovien. in opere Merati in 2. append. Decr. Miss. n. 895. Nihilominus sunt nonnulli dies , in quibus licet , aut etiam debet Conventionalis Missa ab occurrenti Officio esse diversa ; Vid. Rub. gener. Mis. tit. 4. de Miss. Votiv. & tit. 5. de Miss. Defun. & Confer dicenda hic qu.

qu. 16. n. 51. & l. 2. par. 1. c. 1.
& eodem lib. 2. par. 2. ubi de fer.
2. art. 1. n. 1. & l. 3. par. 1. c. 3.
n. 1.

Cum autem s^ep^ee accidat , quod in feria privilegiata occurrat Festum duplex , vel Semiduplex : ideo animadvertisendum est , quod occurrente Feste duplice , vel Octava , vel Semiduplici in Feria privilegiata habente Missam propriam , (quales dumtaxat sunt omnes Feriae Quadragesimæ , Quatuor Temporum , Rogationum , & Vigiliarum :) cantandæ sunt duæ Missæ , una de Feste post Tertiam ; altera de Feria post Nonam , absque ulla commemoratione Feriarum in Missa de Feste ; & absque commemoratione Festi in Missa de Feria , ex Rubr. gener. Miss. tit. 3. n. 1. & tit. 7. n. 2. Vid. dicenda 23. Febr. n. 15. & in Septemb. par. 1. a n. 21. & 8. Decemb. n. 22. & tr. 2. l. 4. par. 1. c. 4. a n. 10. *Missa Conventualis de Feria in Cathedralibus , & Collegiatis omnino est dicenda ultra Missam Festi ; & abusus sunt reformandi . S. R. C. 16. Januar. 1627. in una abusus reformandi in Januen. apud Merat. ind. decr. Miss. n. 203. & in Gavant. par. 3. tit. 11. n. 4. decr. 8. iterumque 24. Nov. 1635. in Gallien. Missa Conventualis de Feria in Quadragesima . & Adventu nullo modo potest omitti , quando in eis etiam cadat Festum alicujus Sancti ; non obstante contraria consuetudine . Apud Merat. ind. decr. Miss. n. 278. Hoc Decretum intelligendum est item de aliis Vigiliis , in quibus juxta Rubricas Missalis duæ , vel tres Missæ debeant celebrari ; quas singulas esse cantandas , vidimus supra . Gavantus in Rubr. Miss. par. 4. tit. 15.*

agit de Festis , in quibus cantaadæ sunt duæ Missæ , eaque Festa ibi indicata videri possunt una cum aliis , quæ addenda esse animadvertisit , notatque Meratus ibi a n. 2. Sed & eodem teste Gavanto in Rubr. Miss. par. 1. tit. 3. n. 1. lit. i. in recognitione Missalis Romani notatae sunt diligentissime , ipso presente , duæ Missæ , quando debent dici , in propriis locis . Confer dicenda 27. Junii l. cit. In Dominicis autem quid notandum quoad Missam Conventualem ? Vid. l. 2. in Dominicâ n. 50.

Interrogabis I. An sit obligatio 14 gravis celebrandi quotidie Missam in Cathedralibus , & Collegiatis ?

R. Affirmative : ut quidem significavimus supra , & ita expresse docent Suarez supra cit. §. dico secundo . Fagundez in præcep. 1. Eccl. I. 3. c. 15. nu. 9. Filliuc. n. 104. & communiter Doctores . Aliqui autem , qui negare videntur , ut Vittoria in Sum. de Eucharist. nu. 95. non absolute id negant , sed solum contendunt , admitti posse in hoc præcepto materiæ parvitatem in ratione omissionis : quatenus putant , non esse mortale , si interdum omissatur in dictis Ecclesiis Sacrificium . Sed etiam in hoc rejiciuntur a Suarez , Fagundez , Filliucio , Francisco de Lugo , & aliis , qui negant hujusmodi licentiam ; nam , dicunt , res gravis est , magnique referens ad commune bonum Fidelium ; nec unquam omitteretur sine gravi scandalo , nec proinde sine gravi culpa : nisi forsitan ob urgentem , & rationabilem causam : haec enim intercedere aliquando potest , sicut in præceptis aliis positivis . Quapropter ubi valde foret exiguis

Sa.

Sacerdotum numerus ; semel , aut iterum in hebdomada sacrum in Ecclesiis prefatis omittere , vel nullum , vel saltem non mortale fore peccatum , opinantur Sotus , & Layman , quibuscum sentire videtur Franciscus de-Lugo nu. 19. fine ; vide tamen statim dicenda interrogatio-
ne sequenti .

15 Interv. II. An similiter sit obli-
gatio gravis in iisdem Ecclesiis Ca-
thedralibus , & Collegiatis celebra-
di quotidie Missam Conventualem ?

R. Affirmative , si adsit mediocris
Sacerdotum numerus , qualis adest ,
ubi sint saltem tres Sacerdotes , in-
quit Peyrinus apud Pellizar. ex Glo-
ssa in C. Nullus de elect. ubi quidem
Glossa ait : duos facere Congrega-
tionem , tres Collegium . Quod et-
tiam admittit Pelliz. in Man. Re-
guh tr. 5. c. 9. sect. 2. qu. 1. nu.
28. Hanc sententiam affirmativam
tuenter communiter Doctores ; vid.
Sylvestr. I. cit. qu. 7. §. 1. Azor.
loc. cit. qu. 2. Gavant. in Rubr.
Miss. par. I. tit. 4. n. 3. lit. p. &
par. 3. tit. 11. n. 4. Franc. de Lu-
go I. cit. n. 19. Dian. edit. coord.
to. 2. tr. I. &. 84. §. 2. Bened.
XIV. de Missa sect. 2. c. 1. §. 2.
qui idipsum significat in sua ipsius
supra laudata Constitut. Cum sem-
per . Et quidem cum tali gravi ri-
gore , ut damment de mortali , Mis-
sam Conventualem vel semel omit-
tere ; cuius contrarium , etsi ut pro-
babile defendat Tamburinus Meth.
celebr. Miss. I. I. c. 6. §. 2. n. 4.
& 5. (confer dicenda inferius nu.
18.) hujusmodi tamen opinionem
rejicit Diana I. cit. tamquam ad-
versantem communi sententiae Theo-
logorum , & Canonistarum . Itaque
sententia omnino Canonici ad cantan-

dam Missam de die , seu officio cap-
renti , ut luarentur distributiones . S.
C. R. 25. Junii 1611. & 28. Ja-
nuar. 1612. apud Merat. & Gavan.
Il. supra cit. & sine urgenti , gra-
vi , & rationabili causa , qualis re-
quiri solet in ceteris præceptis Ec-
clesiasticis , pro qualitate materię ,
ad excusandum legitime : numquam
in supradictis Ecclesiis debet Missa
Conventualis omitti , sed quotidie
celebranda .

Pro exemplo autem causa justa
omittendi Missam Conventualem si-
ne peccato , Hieronymus Garcias ,
quem laudat Diana I. cit. dat Ec-
clesiae incendium , pestem grassantem ,
Urbis obsidionem , similesque cau-
fas gravissimas . Rodriquez item ,
quem citat , & sequitur Pelliz. loc.
cit. pro dictæ excusationis exemplo
ponit , si non adest , nisi unica
Missa pro Festo : & pro defunctis
tunc celebranda esset Missa de Re-
quiem . Idem Pelliz. qu. 4. nu. 34.
adducit Peyrinum affirmantem ex
C. cum Creatura , loco Missæ Con-
ventualis , etiam in festo duplice ,
quod tamen non sit de præcepto ,
sufficere cantare Missam Defunctorum ;
præsertim si voluntas testato-
rum implenda sit , & ita obtinuerit
consuetudo , aut id pietas Benefa-
ctorum efflagitet .

Verum sententiae huic concedenti
Missam Defunctorum loco Missæ
Conventualis (quando nimurum Ru-
brica eam non assignat pro Con-
ventuali ; confer dicta nu. 13. ini-
tio) obstat ratio , eidemque con-
tradicunt Decreta plura Sacrae Con-
gregationis Rituum , neque ea con-
formis est dispositioni Ritualis Ro-
mani , ex quo tit. de Exequ. post
initium cum dicatur : in die depo-
sitio.

sitionis defuncti Missa præsente cadavere celebrari posse etiam in Festo : cavetur tamen ne ideo Conventualis Missa impediatur , seu prætermittatur. Et vero , cum Missa Conventualis debeat applicari pro Benefactoribus in genere; quemadmodum infra videbimus n. 21. Missa tamen de Requiem celebrata in die depositionis talis defuncti , vel Anniversario &c. applicetur particularibus Personis: non poterit hæc deservire pro Missa Conventuali: quemadmodum scite animadvertis Caval. to. 3. c. 8. in dec. 3. quæ est ratio , quam dicebamus obstatæ prædictæ Peyrini sententiæ ; qui & Pellizarius , aliqui licet putaverint , ut infra videbimus , Missam Conventualem applicari posse cuilibet ; in hoc tamen errasse , videbimus l. cit. Deinde , ut laudatus item Cavalerius observat : cum Conventualis debeat esse ex præcepto conformis Officio , exceptis diebus a Rubrica indicatis ; etiamsi Missa de Requiem applicaretur pro Benefactoribus in genere , adhuc non posset pro Conventuali valere extra dies a Rubrica signatos . Quod autem Peyrinus pro facultate prædicta allegat C. cum Creatura: Ex eo capite , cuius verba superius recitavimus , non apparet , quomodo facultas hujusmodi præsumatur : immo vero Gavantus in Rubr. Miss. part. 1. tit. 4. lit. p. ex illo eodem capite docet : Missam Defunctorum loco Missæ Conventualis celebrari non posse. Ad hæc accedunt circa rem hanc Sacré Congregationis Rituum iterata Decreta , ut in Januen. 16. Januar. 1627. ob Missam Votivam , seu pro Defunctis non est omittenda Missa Conventualis , neque potest introduci consuetudo in contrarium Ri-

tum. Rursus in Janu. 29. Nov. 1628. & declaratum fuerat in Pampilonen. 1. Septemb. 1607. quando ad est obligatio , & onus faciendi diversa Anniversaria statis diebus , in quibus occurrunt festa duplia , sive semiduplicia , nec non etiam tempus quadragesimale , & quatuor tempora , Vigilia , & similia ; Missa Conventualis nulla paœtia est omittenda , sed utraque Missa cantanda est , altera de Requiem , etiam si occurrat festum duplex , dummodo non sit festivum de præcepto , ad hoc ut Testatorum voluntates adimplentur , & licet elemosina lucrari possit . Item in Col. 5. Julii 1698. In die Anniversarii , & Depositionis non potest cantari Missa Defunctorum loco Conventualis , apud Caval. tom. 3. c. 8. d. 2. 3. & 5. Confer dicenda in Append. ad calcem Diarii c. 8. a. 3. ubi de Miss. in die obitus ; & c. 9. ubi de Miss. in die 3. 7. & 30. & Annivers. Defunct.

Interr. III. Cum in feriis privilegiatis habentibus Missam propriam , occurrente festo , cantandæ sint duæ Missæ Conventuales : an utraque sit sub gravi ?

R. Hujusmodi quæstioni satisfiet , ubi de Not. in genere tempore quadragesimali tr. 2. l. 4. par. 1. cap. 4. qu. 1. n. 16. tamquam opportuniiori loco.

Inter. IV. Utrum in prædictis Ecclesiis sit obligatio celebrandi quotidie Missam Conventualem pro Defunctis ?

R. Affirmarunt aliqui ex Canonistis ; sed absque ullo fundamento : unde merito rejiciuntur a Theologis , cum quibus dicendum est : non adesse hujusmodi obligationem ; & satis etiam constat ex Rubrica gener.

ner. Miss. Rom. tit. 5. n. 2. quam notabimus lib. 2. in fer. 2. nu. 1. Immo in plerisque diebus , ut præsertim sunt festa solemniora , omnino non debet celebrari hujusmodi Missa pro Defunctis . Confer dicenda in Append. ad calcem Diar. c. 8. art. 6. ubi de diebus , quibus non sunt celebrandas solemniter Defunctorum exequiae : & vid. Sylv. V. *Missa*. I. qu. 7. §. 1. Victor. in Sum. de Euch. n. 95. Suar. supra cit. sect. 2. §. dico secundo fine. Fa- gund. in I. præc. Eccl. I. 3. c. 15. n. 9. Tambur. Meth. celebr. Miss. I. I. c. 6. §. 2. n. 5. Pelliz. Man. Regul. tract. 5. c. 9. sect. 2. qu. I. n. 27. Filiuc. I. cit. nu. 104. Qui- bus vero diebus sit celebranda Mis- sa de Requiem ? habetur in Rubr. Miss. cit. tit. de Missa Defundor.

18 Inter. V. An sufficiat in supradic- tis Ecclesiis unicam Missam cele- brari quotidie, nimisrum solam Mis- sam Conventualem?

¶. Doctores communiter signifi- cant , unicam Missam Conventua- lem in dictis Ecclesiis celebrari , sa- tis esse in ordine ad satisfaciendum supradictæ obligationi gravi ; ita Suarez , Filiuc. Franciscus de Lugo , Dizna , & alii . Nihilominus aliqui etiam significant , vel adhuc expre- se affirmant , duas Missas celebrari debere , privatam , seu lectam unam , alteram cantatam , seu Con- ventualem . Sic Tamburinus I. cit. observat primo : in Ecclesiis Colle- giatis , & Cathedralibus , ubi com- petens est Sacerdotum numerus , solere duas Missas celebrari quotidie , privatam unam , solemnem alteram ; deinde absolute dicit : aliquos Au- dores in Rectoribus ejusmodi Eccle- siarum mortale peccatum agnoscere

TOM. I.

si aliquo die in hoc deficiant ; ipse tamen putat cum Victoria, da- ri parvitatem materie in obligatio- ne prædicta : unde docet : probabile esse , Missam sive privatam , sive solemnem in illis semel , vel bis o- mittere in hebdomada , non esse saltem mortale . Quo modo loquen- di significat , & concedit , esse per se loquendo obligationem gravem cele- brandi in Cathedralibus , & Colle- giatis quotidie , præter Missam Con- ventualem , alteram lectam . Clarius loquitur Busemb. I. cit. ubi simili- ter dicit : in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis , si sit competens Sa- cerdotum numerus , debere unam saltem Missam privatam celebrari , & alteram cantari ; & peccare mor- taliter dictarum Ecclesiarum Recto- res , si in hoc deficiant ; quamvis ex Tamburino non sit mortale , se- mel , vel bis in hebdomada omit- tere alterutram ; sed quoad omis- sionem Missæ Conventualis recole supradicta n. 15.

Inter. VI. Utrum in Ecclesiis Re- 19 gularium celebrari quotidie debeat Missæ Sacrificium ?

¶. Affirmant Sotus , Layman , & Manuel relati a Franc. de Lugo n. 20. quando mediocris est Sacer- dotum numerus ; nam , dicunt , hoc pertinet ad commune bonum fide- lium , & ad consolationem spiritua- lem Fratrum , & ad Religionis de- corem . Infuper Donatus apud Fe- licem Potestatem to. 3. par. 1. de Sacrif. Miss. c. 2. n. 262. vult , teneri Regulares sub mortali ad Missam Conventualem . Similiter Pellizarius Man. Regul. tr. 5. c. 9. sect. 2. qu. 1. n. 26. docet : Prä- latos Regulares teneri curare sub mortali , ut singulis diebus in pro-

O pria

pria Ecclesia dicatur Missa Conventualis. Probat iisdem rationibus, quibus uti solent Auctores pro statuenda obligatione hujuscemodi in Cathedralibus, & Collegiatis: quas superius explicavimus; ubi alios item allegavimus obligantes ad Missam Conventualem Ecclesias Conventuales: quia cum nomine quidem, ut indicavimus ibi, veniunt Ecclesiae Regularium.

Sed Gavantus in Rubr. Miss. par. 3. tit. 11. n. 4. & 12. post Rodericum, & Franciscus de-Lugo n. 22. post Gavantum, & novissime Cavalierius to. 3. c. 8: in Decr. 7. n. 2. & 3. docent Ecclesias Regularium Choro additorum non teneri ad Missam celebrandam in Choro: nisi solum ex vi Regulæ, & constitutudinis interpretantis Regulam: Ecclesiae enim Regularium non sunt, proprie loquendo, Collegiatæ. Similiter Felix Potesas l. cit. refert, & videtur sequi Dianam, & Verricellum defendantes: Regulares non teneri ad Missam Conventualem; quia, dicunt, eorum Ecclesiae non sunt Collegiatæ. Profecto Ecclesiae Collegiatæ proprie dicuntur Ecclesiae, quibus assignantur Beneficia, & redditus Ecclesiastici, ut deputentur plures Sacerdotes, & Clerici Seculares ad servitium earundem, & ministerium: ut scilicet carant in Choro Horas Canonicas, ut Missas celebrent, & hujusmodi. Confer decretum S. C. 17. Martii; & 9. Junii 1714. quod superius recitavimus n. 11. & rares integrum dabitus n. 21. Sed Ecclesias Regularium non assignantur Ecclesiastici redditus ad finem hujusmodi: quia nimis Ecclesiastica bona, & ecclesiastica non tribuntur iisdem,

ut canant in Choro, utque inseruant Ecclesiae suorum Conventuum, & Domorum, in quibus degunt: sed solum ut serviant Deo juxta propriam Regulam, & Institutum, ex communi Doctorum. Ergo non consentur proprie Ecclesiae Collegiatæ; Ita Caval. to. 1. c. 8. in decr. 3. §. 2. n. 11. Et quidem Ecclesias Regularium non esse, proprie loquendo, Collegiatæ, admittit ipse Pellizarius l. cit. qu. 2. f. ex eodem Gavanto, ubi allegat illum eundem locum a nobis modo laudatum; & idipsum qu. 4. tenet, & probat. Et vere est haec sententia communior; unde Tamburinus meth. celebr. Miss. lib. 1. c. 6. §. 2. n. 9: cum Victoria docet: quod ex eo, quia Ecclesiae Regularium Choro additorum probabiliter non sint Collegiatæ, sequitur, nec teneri ad celebrandam quotidie saltem unam Missam privatam, quantum ex hoc capite, neque Missam Conventualem. Favet Lezana V. Missa n. 49. ubi docet: quod, si praecipuum celebrandi Missam Conventualem de Festo, & de Feria privilegiata in eo occurrente dirigatur solum ad Cathedrales, aut Collegiatæ: (quod tamen videtur ei, ad omnes dirigi Orbis Ecclesias, ex nonnullis declarationibus S. C.) in hac sententia præceptum hujusmodi non afficiat Ecclesias Regularium: haec enim non nisi improprie & solum quoad favorabilia sunt Collegiatæ. Eigo neque tenerunt Regulares iidem ad unam Missam Conventualem quotidie celebrandam: quia hoc præceptum solum dirigitur ad Ecclesias Cathedrales, & Collegiatæ proprie tales. Quod argumentum magis urgere debet Pellizarium,

rius, qui cit. qu. 4. concedit, ac docet: Regularium Ecclesias non esse Collegiatas, atque adeo non teneri ad duas Missas Conventuales de Feste, & de Feria privilegiata: cum hujusmodi obligatio afficit solas Cathedrales, & Collegiatas; ita ille. Ergo Regulares neque obligandi sunt ad unam Missam Conventualem quotidianam: quia haec obligatio simpliciter afficit Cathedrales, & Collegiatas proprie tales. Nec aliud probant rationes, quas idem Pellizarius qu. 1. adducit, quæ illæ ipsæ sint, quas cæteroqui Auctores allegant ad obligandas Cathedrales, & Collegiatas proprie dicas.

Neque obligari possunt Regulares iidem ad Missam in Ecclesiis propriis quotidie celebrandam saltem privatam: quia non est, unde hujusmodi obligatio colligatur; & rationes adductæ superius a Soto, & aliis, non videntur probare, nisi solum, quod valde expediat, siue omnino decens; & non facile committere debeant Prælati Regulares; ut aliquando saltem una Missa in suis desit Ecclesiis; nisi forte in ultimo triduo Majoris hebdomadæ, in casu, quo nota sit competens, & requisitus numerus Ministeriorum pro functionibus illis Ecclesiasticis, quæ Missam solemnem tunc comitantur. An autem tunc, scilicet in Feria V. Cœnor, & Sabbato Sancto in dicto casu possint unam Missam celebrare privatam pro suis saltem Religiosis? Vide tr. 2. l. 4. par. 2. c. 8. n. 55.

20. Possunt tamen Regulares teneri ex vi alicuius propriæ Constitutionis, seu Regulæ, ut dictum est, & consuetudinis interpretantis Re-

galam, ad celebrandum quotidie in suis Ecclesiis Sacrosanctum Missæ Sacrificium sive privatum, sive cantatum vel solemne, seu Conventuale, sive utrumque, & sub levi, vel gravi, prout Regula obligaverit. Hinc Franciscus de Lugo n. 22. adhærens sententiaz docenti, Regulares, non teneri ad Missam solemnem ex eadem obligatione, qua Cathedrales, aut Collegiatæ, sed posse solum obligari ex vi Regulæ, apud quos haec adsit: infert, in Religionibus, ubi Regulæ, seu Constitutiones non obligant ad mortale, si nulla detur obligatio canendi Missam Solemnem, nisi Regulæ præscribentis, vel consuetudinis inde provenientis: non committi mortale peccatum, quamvis talis Missa solita cantari, vel diebus singulis, vel Festis interdum omittatur etiam ex negligentia. Sicubi tamen Regula præscribens tamē Missam, obliget sub mortali; Prælatum jure dammandum peccati lethalis, qui per negligentiam omiserit.

Inter. VII. Utrum celebrantes Missam Conventualem, applicare illam possint ad eam intentionem, quam maluerint: & recipere stipendium; vel debeant applicare pro obbligazione Capituli, seu pro Benefactoribus in genere?

R. Missam Conventualem applicari debere pro obligatione Capituli, seu pro Benefactoribus, teneri Fraxinellus, & Donatus apud Felicem Potestatem to. 3. part. 1. c. 2. c. n. 262. Item Bonacina disp. 4. quest. ult. pu. 7. prop. 3. q. 2. docet, prædictam Missam applicandam esse iuxta onus, obligationemque Capituli, regulariter loquendo: quod addit, quia ubi non constet

O 2 de

de hujusmodi obligatione, concedit, posse illam applicari cuilibet.

Missam vero prædictam posse simpliciter applicari cuilibet, & pro ea recipi stipendum, docet Peyrinus, quem refert, sequiturque Diana to. 2. edit. coord. tr. 1. R. 55. §. 1. ubi dicit Fraxinellum, & Bonacianum non esse audiendos, & alios adhuc laudat Auditores pro hac sententia; quam etiam videtur sequi Felix l. cit., eamque tenet Pellizarrius sect. 2. qu. 9. nisi extet, inquit, consuetudo in contrarium legitime inducta.

Dicendum est: Missam Conventualem applicandam esse quotidie pro Benefactoribus in genere in Patriarchalibus, Metropolitani, Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis: pro Benefactoribus, inquam, in genere earumdem Ecclesiarum; ita ut non satisfiat oneri applicationis, si Missa Conventualis in præfatis Ecclesiis applicetur pro aliquo Benefactore in particulari, vel aliis Benefactoribus in genere, a quibus aliqua Missa celebranda fuisset imposita; & consuetudinem quamlibet licet immemorabilem in contrarium damnandam esse: amquam merum abusum, & corruptelam. Ita plures declaravit S. C. Concilii, confirmavitque Benedictus XIV. Const. Cum semper. allegata sup. Et vero Canonici Cathedralium, & Collegiatarum accipiunt fructus suorum Canoniciatum sub onere inseruendi Ecclesie in celebratione divinorum officiorum; que celebratio non importat solum horas Canonicas, sed etiam Missam Conventualem, tamquam præcipuam partem; & proinde ad applicationem ejusdem Missæ Conventualis tenentur pro illis, ex quorum dispositionibus distributiones, &

emolumenta percipiunt. S. C. Concil. 17. Martii, & 9. Junii 1714. apud Caval. to. 3. c. 8. d. 8. & apud Merat. in Gavant. par. 3. tit. 11. n. 4. decr. 30. Ubi autem Præbendæ fuerint tenues, fieri potest recursus ad S. C. Concilii pro restrictione oneris prædicti ad sola Festa de præcepto. Videatur laudata Constitutio Bened. XIV. & ejusdem Pontificis tractatus de Missa Sect. 2. c. 2. §. 1. alias l. 3. c. 8. & to. 2. Notific. 107. §. 2. n. 14. & 15. Videri etiam possunt significatae declarationes S. C. apud cumdem Benedict. de Missa cit. c. 8. & apud Lautium Ferrar. in sua prompta Biblioth. to. 8. edit. 3. Bonon. in prima append. pag. 181. col. 1. fine, §. In una Ferrarien. n. 1. & pag. 183. col. 2. §. In una Velitern. n. 2. & in primo supplemento, in secundo Verbo Missa. pag. 289. col. 2. numero 15.

Quod si Sacerdos designatus ad celebrandam hodie Missam Conventualem, inveniretur ligatus alia obligatione applicandi hodiernam Missam: ut esset in casu, quo hujusmodi Missam Conventualem celebraret aliquis habens curam animarum: (qui ideo teneretur in diebus ex præcepto festivis applicare Missam pro populo sibi commisso) in hoc casu Sacerdos hujusmodi non posset per unicam Missam utriusque obligationi satisfacere. Quapropter deberet applicare Missam Conventualem solum pro Benefactoribus in genere; eodem autem die oporteret substituere alium Sacerdotem, qui celebraret pro sua obligatione priori, puta pro populo sibi commisso. Ita statutum esse ab Ecclesia, redatur laudatus Benedictus XIV. cit. Notific.

fic. 107. n. 15. & videri potest e-
jusdem Pontificis laudata Constit.
Cum semper. super qua constit. vi-
deri potest Cavaler. to. 3. c. 8. a
decr. 7. ad 15. & Ferraris l. cit.
pag. 179. col. 2. §. In *Balneoreg.*
n. 6. & pag. 182. col. 2. §. In *Comen.* n. 5.

Ex dictis facile est, arguere: Per Missam cantatam in suffragium aliquius Benefactoris, vel Benefactorum in genere, quæ foret imposta, non satisficeri oneri Missæ Conventualis. Quod etiam pluries declaravit S. R. C. Vid. Caval. c. 8. & laud. Constit. *Cum semper*.

An autem in diebus, quibus Missæ plures Conventuales sunt celebrandæ, debeant singulæ applicari similiter pro Benefactoribus in genere? Dicetur tr. 2. l. 4. par. 1. c. 4. q. 3. n. 19.

22 Interr. VIII. Qua hora diei celebrari debeant Missæ Solemnæ, seu Conventuales; & an ea sit sub præcepto servanda?

R. De tempore, seu hora celebrandi Missas Solemnæ, & Conventuales, manifestæ sunt Rubricæ generales Missalis Romani tit. 15. Videri etiam potest pro hac re Suarez supra cit. disp. 80. sect. 4. §. Ultimo. & Pelliz. loco supra cit. qu. 3. n. 31. Merat. to. 1. par. 3. tit. 11. n. 4. in decr. 22. Interim notamus, S. Congregationem Episcoporum in Castellaneta an. 1602. 27. Julii declarasse: Missam Conventualem in Festis dicendam esse tempore æstivo hora decima quar- ta, tempore vero hyemali hora de- cima septima apud Meratum in Gavant. par. 3. tit. 11. n. 4. decr. 27. (computantur autem hic, & denominantur hujusmodi horæ jux-

ta rationem a nobis explicatam c. 1. art. 1. sect. unic. subf. 1. n. 12. ut ibi etiam indicavimus). In Fe- riis vero dici posse paulo maturius, dummodo non valde diluculo, ea- dem S. C. 20. Febr. 1701. in *Altiss.* & 17. Sept. 1702. in Castel- laneta apud Merat. l. cit. d. 28. Confer aliud Decretum statim al- legandum de anno 1611. Item die 3. Decembris an. 1602. declara- vit, in Ecclesia Collegiata posse divina persolvi maturius, quam in Cathedrali, apud Luc. Ferrar. V. Resolut. SS. CC. in priori indice n. 47. edit. 3. Bonon. Item, teste Joanne Alcozer in suo *Cæremonia- li*, si ob terræ frigiditatem, popu- lus veniat ad Ecclesiam tarde pro solemni Missa: decrevit S. C. præ- stare, quod recitetur tardius Hora Tertia, quam quod cantetur Missa de Festo post Sextam; ut refert Meratus in suo ind. Decret. Miss. n. 246. & in *Gavant.* par. 3. tit. 11. n. 4. d. 24.

Quoad obligationem vero atten- dendi horam in Rubricis præscri- ptam, dico: ex Suarez cit. sect. 4. fine, quem sequitur Pellizarius l. cit. esse sub præcepto, Solemnem seu Conventualem Missam fieri tem- pore consueto, pro populi commo- ditate; quamvis anticipari, vel post- ponni aliquantulum possit ex causa rationabili. Huc etiam faciunt al- legata modo decreta S. C. R. qui- bus addere juvat & sequens: *Cano- nici tenentur ad cantandam Missam Conventualem de Officio occurrenti, ut lucentur distributiones; nec ad sa- tisfactionem sufficit Missa in Aurora.* S. R. C. 25. Junii 1611. in *Urbina- ten.* apud Merat. Ind. decr. Miss. n. 117. Confer decretum, modo su- pra

pra allegatum de an. 1701. 20.
Febr. in Altiss.

23 Quæres VII. An qui obligatur celebrare quotidie ex institutione Missæ quotidianæ , teneatur per alium supplere, si infirmetur ita, ut celebrate non valeat ? quod si non suppleat , obligetur ad restitutio- nem?

R. Et dico : 1. Si in institutione Missæ habita est ratio principaliter personæ celebrantis ita ; ut Fundatoris Mens fuerit , quod talis Sacerdos electus , aut eligendus , quotidie per seipsum celebrareret: non tenetur supplere, si infirmitas sit brevis; secus supplere tenetur. Ita Azor. Inst. Moral. par. 1. l. 10. c. 24. qu. 7. Franc. de-Lugo de Sacram. l. 5. de Miss. c. 11. qu. 3. n. 33. Bonac. to. 1. disp. 4. quæst. ult. pu. 8. prop. 2. n. 17. Cavaler. to. 5. c. 28. n. 29. & Doctores communiter.

Insinuatur primo ex eo , quia non est credibile , Fundatorem voluisse tam stricte Sacerdotem prædicto modo electum ad celebrandum , pro modico infirmitatis tempore obligare ad supplendum , vel ad restituendum partem stipendii juxta numerum Missarum paucarum , quas non putuerit celebrare . Nec pietas quidem id permittit , nec est conforme juri ipsi civili : nimirum l. Arboribus §. de illo. ff. de usufruct. Ubi Glossa dicit : Salarium non esse denegandum famulo , qui ægrotaverit tempore exiguo : quod etiam docent multi contra alios . Vid. La Croix lib. 3. p. 2. qu. 194. §. 12. Deterioris autem conditionis habetur Sacerdos , si ei denegaretur , quod famulo non denegatur in casu simili .

Secundo insinuatur exemplo , seu

Decreto Concilii Provincialis VII. Mediolanensis , titulo de Missis , ubi conceditur Capellano utenti prava valetudine ad breve tempus (quod infra explicabimus) ut judicio Episcopi recipiat eleemosynam integrum , si saltem per annum magis illud obierit . Ergo &c. Vide tamen di- cenda q. 8. inter. 5. n. 38. fine .

Dico 2. Si in institutione Missæ quotidianæ habita est ratio principaliter Missæ celebrandæ ita , ut Fundatoris mens fuerit , quod Missa singulis omnino diebus celebraretur per quemlibet Sacerdotem ; Sacerdos electus ad celebrandam Missam hujusmodi institutionis , si infirmitur , aut alio simili impedimentoa e. g. carcere &c. removeatur a celebrazione ; tenetur supplere per alium ; sive impedimentum longum fuerit , sive breve , ita ut nec per unicum diem , quo licet celebrare , possit Missæ sacrificium intermitteri ; quia secus fraudaretur mens Fundatoris , & debito suffragio privateatur . Ita Franc. de-Lugo l. cit. nū. 32. Azor. Bonac. ll. cit. Castropal. par. 2. tract. 13. disp. 1. pu. 6. n. 25. Bened. XLV. de Miss. sect. 2. c. 1. §. 2. & alii communiter .

Sed interrogabis hic J. Quomodo cognosci possit , in Institutione Missæ habitam fuisse principaliter rationem Missæ ; vel contra , principaliter rationem personæ electæ ad celebrandam Missam quotidianam ?

R. Id cognoscendum ex verbis ipsis , si hæc perspicua sint ; aut cognoscendum ex adjunctis antecedentibus , vel consequentibus : ita Azor. l. cit. Sint autem exempla : si Fundator in Institutione dicat : volo ut eligatur Sacerdos , qui quotidie præ anima mea celebret : quod si aliquo die

die ob infirmitatem , vel aliud impedimentum celebrare nequaiverit , alterum substituat , seu substituatur alter . Volo Missam quotidie celebrari in tali Ecclesia , vel Altari . Obligo Sacerdotem ad providendum de Missa per se ; vel per alium . Eligatur Sacerdos , qui Missam quotidie sive per seipsum , sive per alium celebret . In his , & similibus exemplis haberetur ratio principaliter Missæ ita , ut Sacerdos electus ad celebrandam Missam quotidianam hujuscemodi Institutionis , teneatur quotidie celebrare , nec per unum quidem diem possit Missæ Sacrificium intermittere , sed debeat per alium suppleri , occurrente etiam infirmitate , aut alio quovis impedimento : secus si fiat , erit obligatio restituendi stipendium . Vide Bonac . & Azor . I . 1 . citat . Chiavet . Instit . Jur . Canon . I . 2 . c . 8 . § . 3 . 35 . Tambur . Meth . celebr . Miss . I . 3 . cap . 3 . § . 1 . nu . 3 . & alios , qui similibus uruntur exemplis , ad rem hanc explicandam .

Idem erit , si electa fuerit Ecclesia , seu Rector Ecclesiæ alicuius , aut Monasterium , seu Superior Monasterii , ut curaret , quod Missa diceretur quotidie in sua ipsius Ecclesia , aut etiam in tali Altari ; scilicet in hoc etiam casu habita fuit in institutione Missæ quotidianaæ principaliter ratio Missæ , aut etiam loci ; non item personæ celebrantis . Tambur . I . cit . n . 6 . & c . 5 . § . 1 . n . 3 . Pelliz . in Man . Regul . tract . 5 . cap . 9 . sect . 4 . qu . I . n . 103 . Lezan . V . Miss . n . 40 .

Similiter si Monialis relinquat Missam perpetuam in Ecclesia sui Monasterii : in hoc enim casu Monialis legat Monasterio Missam pro Anima sua celebrandam : adeo-

que in institutione hujus Missæ habetur ratio solius Missæ , aut etiam loci ; non autem personæ Sacerdotis . Ita Felix Potestas to . 3 . par . 1 . nu . 276 . Qui etiam notat hujusmodi institutionem improprie vocari Capellaniam , quia Monialis non fundat Ecclesiam , aut Altare cum deputatione Clerici , ut ei inserviat , assistat &c . quod est proprie Capellania . Vid . etiam Azor . § . 1 . Instit . Moral . par . 2 . I . 3 . c . 8 . qu . 2 . fine . La-Croix I . 4 . qu . 41 . § . 1 .

Contra vero si in Institutione dicitur : Volo ut talis Sacerdos quotidie celebret per seipsum . Volo , ut Sacerdos Sacrae Theologiae Doctor eligatur , qui Missam quotidie dicat . Volo ut talis ad hanc Capellaniam electus quotidie celebret : Eligatur Sacerdos , qui Missam quotidianam dicat . In his , & similibus exemplis habetur principaliter ratio Personæ celebrantis ita , ut si ad breve tempus infirmetur , non teneatur per alium supplere . Vide laudatos Auctores . Quod si ex Fundatoris verbis mens illius cognosci nequeat , spectandam esse cuiuslibet Ecclesiæ Constitutionem : rite monet Franciscus de Lugo nu . 29 . Nam explicare modum satisfaciendi Fundatorum voluntati , pertinet ad Ecclesiæ Prælatum , ut notant Abbas , & Layman apud Eumdem .

Interrog . II . Quodnam reputandum erit breve tempus sufficiens ad excusandum in prædicto casu a substitutione , vel restitutione ?

R . Id morali judicio , & prudenti exstimatione erit computandum , nisi aliunde ex aliqua legitima consuetudine inveniatur præfixum , aut fuerit constitutum per aliquam constituta-

stitutionem synodalem Provincialem, seu Episcopale decretum: ut quidem statutum fuisse pro Diaœcœsi, & Provincia Mediolanensi, testatur Bonacina l. supra cit. ubi refert, quod supra etiam ipsi significavimus: ex Decreto Concilii Provincialis VII. Mediolanensis, titulo de Missis, concedi Capellano utenti prava valetudine per Mensem, ut recipiat integrum elemosynam judicio Episcopi, si Capellanus saltem per annum munus illud obierit.

Ubi autem quid simile constitutum, atque præscriptum minime fuerit, prudenti judicio definiendum erit: quod facile formare poterimus, si Doctorum sententias, et si varias, ut in hujusmodi judiciis accidit, audierimus.

Itaque tempus breve in præsenti esse duos vel tres dies respectu unius anni; judicavit Joannes de Cruce apud Lezan. n. 40. Alii volunt esse octo, vel decem dies. Ita Molles. Riccius, Graffius, Fraxinellus, Barbosa, Homobon. apud Dianam edit. coord. to. 2. tract. I. R. 59. §. 1. Alii concedunt quindecim dies. Ita Diana l. cit. §. 2. Bonac. l. cit. Chiav. nu. 36. Cavalier. t. 5. c. 28. n. 29. Cui sententia favet declaratio S. C. Concilii edita 17. Novembr. 1695. ex qua non tenetur Capellanus, per alium supplere tempore infirmitatis non excedentis quindecim dies, apud Cavalier. l. cit. & ex Pitton. refert etiam Ligorius in sua theolog. moral. lib. 6. tr. 3. c. 3. dab. I. n. 333. posterioris edition. 3. Neapolitanæ. Alii permittunt unum Mensem; Ita Gayantus io. rubr. Miss. par. 3. tit. 12. n. 18. Petrus a Navarra, Nal-

dus, Layman, Hurtadus; quod etiam admittit Diana R. 55. fine & R. 60. Et quamvis hoc nimis late dictum aliquibus videatur, huic tam sententiae favet Concilium Provinciale Mediolanense VII. supra laudatum, ut patet ex illius decreto, cuius ibi meminimus; ex quo nimirum tempus breve reputatur spatium unius Mensis, quo Capellanus ob infirmitatem a sacrificando vacaverit, si saltem per annum minus illud objerit.

Et præter Auctores allegatos pro hac sententia, pro eadem quoque a fortiori stant alii, qui putant adhuc amplius extendi posse; enim vero alii extendunt ad duos Menses; ita Franciscus de Lugo n. 33. & 34. Peyrinus, Barbosa, & alii. Quam sententiam, dicit, esse etiam probabilem Tamburinus c. 5. §. 1. nu. 3. quia, inquit, in jure tale tempus judicatur breve. Item Pelliz. sect. 4. qu. 11. nu. 104. & hanc dicit esse satis probabilem sententiam; maxime, inquit, ex auctoritate Doctorum, qui eam sustinent, quorum aliquos ipse citat.

Adhuc addunt aliqui: ex æquitate, tale nonnumquam esse posse impedimentum, ut pie præsumatur, omnino deobligari Capellarium a celebratione Missarum non solum duorum mensium, sed etiam plurium; Ita Franc. de Lugo n. 34. Et favet sententia illorum, qui apud La-Croix l. 3. p. 2. qu. 194. §. 12. sustinent, quod, si famulus conduxus ad servitium anprorum; ageret v. g. trimestri, non teneatur anno evokato id supplere; nec ideo possit ei aliquid detrahi de stipendio. Deterioris autem conditionis haberetur Sacerdos præfatus, si ei de-

denegaretur in casu simili; quemadmodum supra quoque notavimus.

Est etiam qui sentiat, obligatum ad Missam quotidiana per seipsum celebrandam, si infirmetur, aut alio simili non voluntario impedimento cogatur, quotidianas Missas intermittere; nunquam teneri per alium satisfacere, quantocumque tempore legitime impediatur: ita Castropalaus par. 2. tr. 13. disp. 1. pu. 6. n. 25. Si enim, inquit, legitimum impedimentum unico die existens extinguit illius diei obligationem; cur non valebit aliis diebus extinguere, si idem impedimentum existat? Confirmat ex Præbendis, Canonicibus, aliisque Beneficiis Residentiam exigentibus, quorum fructus Beneficiati legitime impediti lucrantur, tametsi non resideant. Et ratio, inquit, est, quia fructus non dantur ob Residentiam actu exercitam, sed ob Titulum Beneficii, & sub obligatione residendi, si fieri possit.

Hanc Castropalai sententiam refert etiam La-Croix l. 6. par. 2. qu. 21. §. 3. & videtur illam absolute intelligere de quacunque Capellania. Verum ego puto, Castropalaum loquutum de Capellania collativa, quæ est quoddam Beneficium Ecclesiasticum; & sic illum explicare videtur Chiavetta l. supra cit. n. 37. qui judicat hanc sententiam esse probabilem. Quam etiam admittunt Layman, & Henao, teste La-Croix l. cit. dummodo Capellaniæ redditus ita tenues sint, ut alendo Capellano languenti vix sufficiant, nec ipse habeat alia bona, ex quibus honeste sustentetur: cum qua limitatione admissit etiam Franc. de-Lugo n. 30. & 33. quia, inquiunt,

TOM. I.

æquus Dominus ægrotanti famulo debet alimenta præstare: faveat insuper C. cum percussio. de Clerico ægrotante, & Glossa ibi. Vide etiam dicenda qu. 8. inter. 5. n. 38.

Ea, quæ haðenus dicta sunt, militant etiam pro Regularibus, & contra eosdem. Videlicet, si in Institutione Missæ quotidianæ, ad hanc celebrandam in Ecclesia etiam Regularium electa fuerit aliqua Persona ipsius Monasterii in particulari, E. G. Prior, Regens, Lector &c. si ad breve tempus infirmetur ita; ut Missas intermittere cogatur; non tenetur supplere, nec quidem Superior Monasterii tenetur curare, ut suppleatur per alium. Vide tamen dicenda qu. 8. interrog. 5. n. 38.

Contra vero, si institutio Missæ quotidianæ fuerit pro toto Conventu, prout regulariter contingit: ita, quod Missa celebranda sit per quemlibet ex Sacerdotibus Regularibus talis Monasterii; tunc impedito quomodounque uno ex Religiosis designatis ad celebrandum pro hujusmodi Institutione, tenetur Superior curare, ut suppleatur per alium Religiosum sui Monasterii; ita, ut nec per unicum diem Missæ Sacrificium omittatur. Sic Pelliz. in Man. trac. 5. c. 9. sect. 4. qu. 11. n. 103. Lezan. V. Missa n. 40. Tambur. Metho. celebr. Miss. lib. 3. c. 3. §. 1. n. 6. & c. 5. §. 1. n. 3. & 4.

Sed postulabis hic I. Quid? Si Capellaniæ plures sint, & tot Sacerdotes Religiosi infirmentur, ut cæteri, qui remaneant, non sufficient ad splendum pro infirmis, seu pro impletis omnibus Capellaniis, seu Legatis Missarum: Numquid in hoc casu debet Superior Monasterii supplere per alios Sacerdotes extranos?

P. Et

R. Et dico 1. Superior, quando videt suos Sacerdotes infirmari, seu quovis alio impedimentoo impediri, quominus celebrent pro institutione Missarum, quarum cura Monasterio commissa est, & acceptata; debet esse sollicitus, ad alios evocandos Religiosos sui Ordinis in subsidium; æquitas enim postulat, quod si id possit, non negligat; ut monet Tambur. c. 5. n. 6. Idem dic, si in Monasterio deficiat numerus sufficiens pro implendis dictis obligatiobus Missarum. Peliz. n. 104. fine.

Dico 2. Si infirmitas, seu defecus Sacerdotum Regularium in posito casu fuerit ad tempus breve, non improbat videri, inquit Pellizarius n. 105. Regulares in tali casu non teneri per Sacerdotes extraneos supplere onera Missarum: & hoc ex præsumpta Fundatorum voluntate, qui in talibus circumstantiis non censentur velle obligare cum tanto rigore. Igitur qui sani remanent, si ad omnia onera Missarum, quæ habet Monasterium implenda, in dicto casu non sufficient, quæ possunt, onera solvant. Hoc ipsum docet Tambur. num. 4. fine. Sed vide dicenda qu. 8. interrog. 5. n. 38. Secus vero, inquit Peliz., si spatium illud temporis futurum esset longius; aut certe si in fundatione Capellaniæ caveretur, ne unquam omitteretur Missa in tali Altari, aliove loco; tunc enim per alios, scilicet etiam exteros impleri deberent illa onera. Alioquin defraudaretur voluntas Testatorum, & animæ Defunditorum debitibus suffragiis privarentur: ita Pelliz. cum aliis viris doctis, quos testatur se consuluisse. Vide dicenda n. 29.

Postulabis hic II. In eo casu, 28 quo juxta datam responcionem, conceditur Regularibus ad breve tempus infirmis, ut impleant, & celebrent per alios socios Sacerdotes e-iudsem Monasterii eas Missas, quas poterunt ex variis oneribus, seu legatis Missarum ex diversis personis, seu Fundatoribus; & eas Missas, ad quas celebrandas non sufficient, omittant: quænam Missæ in casu proposito, aliove simili omitti debent, si non sit major ratio, cur potius omittantur Missæ debitæ ex hac intentione, quam quæ debentur ex illa alia?

R. In talibus casibus, docet Peliz. n. 106. omitendas esse Missas ad ratam singularum obligationum: ita ut decursu temporis, quo ex omnibus adæquate adimpleri non possint, non magis damnificetur una intentio, quam alia: sed damnum æquali proportione dividatur: & hoc discreti judicio Superioris, aut Sacristæ, qui habita ratione omnium, & singularum obligationum, quibus tenetur Monasterium, & Sacerdotum in eo tunc degentium, coram Deo statuant, qualiter bac in re procedi debeat; ita Pellizarius: qui assertionis hujus rationem assignat, dicendo: quod remissio Missarum, quas affirmat, posse in casibus præfatis omitti, nonnisi in eorum præsumpta voluntate fundetur, quibus præfatæ Missæ debentur; hi autem non præsumuntur remittere, nisi eo modo, quo dictum est: ut scilicet talis omissione Missarum fiat cum damno ipsorum quam minimo; quod tamen non evenit, nisi Missæ omittantur ratione explicata; præterquam quod hoc idem postulat lex æquitatis; ut patet.

tet. Hæc Pelliz. Similia habet Tam-
burinus c. 5. n. 5. ubi ad casum
propositum respondet dicendo: Mis-
sas celebrandas esse ad ratam singu-
lorum; quibus debentur; ita ut
omnes aliqua Missa careant, ali-
quam habeant, juxta majus vel mi-
nus legatum a singulis relictum Ec-
clesiæ pinguiori plures Missas; mi-
nus pingui pauciores tribuendo. Sed
vide dicenda quæst. 8. Interrog. 5.
n. 38.

29 Postulabis III. Quid? Si omnes
Sacerdotes Monasterii infirmentur,
aut deficiant: num in hoc alio ca-
su tenetur Superior, supplere per
Sacerdotes extraneos?

R. Videri similiter dicendum,
quod si impedimentum fuerit bre-
ve, Religio, seu Monasterium in
hoc etiam casu non teneatur sup-
plere per Sacerdotes extraneos: quia
etiam pro hoc alio casu videtur
militare eadem ratio, quæ n. 27.
militat pro casu illo priori; (vide
tamen dicenda qu. 8. interrog. 5.
n. 38.) cum eadem vero exceptio-
ne, videlicet, nisi in fundatione
Capellaniæ caveretur, ne umquam
omitteretur Missa in tali Ecclesia,
aut Altari: tunc enim per alios
Sacerdotes etiam extraneos supplen-
dum esset, etiamsi infirmitas, aut
aliud quodlibet impedimentum uni-
versale omnium Religiosorum Mo-
nasterii ad breve tempus duraret.

Si electum fuisset Monasterium,
seu Superior Monasterii, ut sim-
pliciter curaret, quod Missa dica-
tur quotidie in sua ipsius Ecclesia,
aut etiam in tali Altari; in hoc ca-
su censeri debere, habitam fuisse
tantummodo rationem Missæ quoti-
dianæ, non item Personæ alicujus
determinate: docuimus n. 24. At-

que ade in dicto casu Monasterium,
seu Superior, acceptato onere præ-
dicto, tenetur curare, ut Missa quo-
tidie dicatur sive per suos Religio-
sos, sive per quoslibet etiam Sæcu-
lares Sacerdotes, ita ut nunquam
Missæ Sacrificium omittatur.

Nota hic: quod cum in Decretis 30
S. C. Concilii de celebrat. Missar.
ab Urbano VIII. & Innoc. XII. con-
firmatis prohibeatur Sacerdoti, qui
Missam suscepit celebrandam cura
certa eleemosyna, ne eamdem Mis-
sam alteri, parte ejusdem eleemosy-
nae sibi retenta, celebrandam com-
mittat, etiam consentiente altero
Sacerdote, cui Missa committitur;
quod item confirmavit Benedictus
XIV. Const. *Quanta cura adhibenda*
fit. 30. Jun. 1741. Quæsitum fuit:
An hoc Decretum habeat locum in Be-
neficiis, que conseruntur in Titulum:
idest an Rector Beneficij, qui potest
per alium celebrare, teneatur Sacer-
doti Celebranti dare stipendium ad ra-
tionem reddituum Beneficij? Responsum
fuit: Non babere locum; sed satis
esse, ut Rector Beneficij, qui potest
Missam per alium celebrare, tribuat
Sacerdoti celebranti eleemosynam con-
gruam secundum morem Civitatis,
vel Provinciæ; nisi in fundatione ipsius
Beneficij aliud cautum fuerit. Quod
confirmavit Innocentius XII. Con-
stit. de celebrat. Miss. incip. *Nuper*
a Congregat. 23. Decemb. 1697. Quæ
Constitutio legi potest apud Cavaler.
to. 5. c. 28. & apud La Croix 1.6.
par. 2. qu. 8. a n. 63. Rursus ea-
dem S. C. C. an. 1725. 14. Apr. in
Neapolitana, ad qu. *An Capellani*
pro aliqua die cujuslibet hebdomadæ
legitime impediti, qui Missarum cele-
*brationem per alium Sacerdotem sati-
faciunt, debeant huic Sacerdoti perfol-*

vere stipendium pro Capellanis statutum, vel solam eleemosynam Manualem? Respondit: Negative quo ad primam partem: affirmative quo ad secundam. Apud Lucium Ferrar. to. 8. Biblioth. edit. 3. Bonon. in prima append. pag. 186. col. 2. in Neapolit. n. 2. Attamen eadem S. C. C. interrogata: An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missæ, debeant dare eamdem integrum eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt; an vero satis sit, ut dent Celebrantibus eleemosynam consuetam? Respondit: Debere absolute integrum eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse. Quam declarationem approbavit, confirmavitque Innocentius XII. Constit. Auper. supra allegata.

31 Quæres VIII. Utrum Capellanus, seu qui obligatur, quotidie celebrare per seipsum, possit simili privilegio frui, a celebratione Missæ vacandi, si ei occurrat aliquod negotium grave; ita ut in hoc etiam casu possit, ad explicatum breve tempus a sacrificando vacare, absque eo quod teneatur ad restitutionem?

&. Videtur concedere Azorius cit. qu. 7. & expresse concedit Tamburinus cit. c. 5. §. 1. n. 6. quia, inquit, negotium grave reducitur ad necessitatem. Sed negat Navarra de restit. l. 2. c. 2. n. 211. item Bonacina cit. n. 17. §. Secundo. Negotium enim, inquit, superveniens Capellano non debet obesse Fundatori contra fundatoris voluntatem.

Cum his posterioribus ego sentio. At ab iisdem dissentio in eo, quod sentiunt, aut sentire videntur, solam infirmitatem posse excusare, ut

non suppleatur per alium: eo quod ex hoc tantum impedimento præsumi possit fundator consentire. Sed contra est: non enim magis prudenter præsumitur Fundator consentire talem omissionem Missarum, quando Capellanus ægrotet, quam cum detineatur in vinculis apud Infideles, vel alio simili detineatur involuntario impedimento gravi: ut observat Franciscus de-Lugo n. 34. Unde ipse, & Tamburinus cit. §. 1. & Hurtadus apud Dianam cit. R. 6. ac Doctores communiter in hac quæstione non ex sola infirmitate, sed etiam ex quocunque alio similiiter gravi, & non voluntario excusant impedimento. Cæterum vide dicenda quæst. seq. Inter. 3. n. 38.

Docet item cum Tamburino La-Croix l. 1. qu. 134. §. 9. n. 790. quod Capellanus, qui hodie obligatur celebrare, si sit infirmus, carcere clausus &c. non tenetur propter obligationem prædictam procurare liberationem ab infirmitate, vel carcere; tenetur tamen procurare liberationem ab excommunicatione, suspensione, & interditio: eo quod hæc sunt directa, & proxima impedimenta Sacrificii; ad quæ tollenda cogit eum titulus justitiæ, quo tenetur sacrificare. Quod si Ecclesia egeat reconciliatione, & ipse met possit reconciliare: ad hoc tenetur, ut sic possit satisfacere obligationi celebrandi.

Qu. IX. An qui obligatur ex institutione Missæ quotidianæ Missam quotidie celebrare, nihilominus possit aliquando a celebratione vacare, absque eo quod teneatur, per alium supplere, aut compensare?

&. Et dico 1. Si in institutione Missæ quotidianæ habita sit ratio prin-

principaliter Missæ celebrandæ ita , ut Fundatoris mens fuerit , quod Missa singulis omnino diebus celebraretur per quemlibet Sacerdotem : in hac suppositione nullo umquam die , quo liceat celebrare , poterit Sacrificium Missæ vacare ; ita Sylv. V. Missa 1. qu. 7. fine , Azor. Inst. Moral. par. 1. lib. 10. c. 24. qu. 7. Diana to. 2. edit. coord. tr. 1. R. 61. §. 1. & R. 63. §. 5. Lezana V. Missa n. 42. Pelliz. Man. Regul. tr. 5. c. 9. fœt. 4. qu. 12. n. 107. Tambur. Meth. celebr. Miss. I. 3. c. 3. §. 1. n. 5. Versu : *sed quoad vacationem* : & n. 6. Felix Potestas to. 3. par. 1. c. 2. n. 273. Bonac. t. 1. disp. 4. qu. ult. pun. 7. prop. 3. §. 2. n. 17. Gavan. in Rubr. Miss. par. 3. tit. 12. n. 17. & communiter Doctores : atque S. C. Concilii 18. Septemb. 1683. in Collensi declaravit : Sacerdotes ratione Capellaniæ , stipendii &c. obligatos celebrare quotidie absque onere celebrandi per seiplos , minime posse a celebratione Missæ aliquando vacare . apud Cavaler. to. 5. c. 28. n. 28. decr. VI. Atque adeo si quolibet impedimento vacaverint , supplere tenentur per alium Sacerdotem . Ratio est , quia secus fraudaretur pia Testatoris voluntas , & debito suffragio privaretur : secundum dicta qu. 6. n. 23. Quomodo autem cognosci possit in institutione Missæ habitam fuisse rationem principaliter Missæ celebrandæ ? explicavimus cit. qu. 6. Interrog. 1. n. 24.

Dico 2. Si in institutione Missæ quotidiane habita fuerit principaliter Personæ ratio ita ; ut Fundatoris mens fuerit , quod Sacerdos electus , aut eligendus celebret quotidie per seipsum : hunc posse aliquando

vacare , etiam ita , ut non teneatur per alium supplere : docent Auctores supra laudati . Etsi Benedictus XIV. de Missa fœt. 2. c. 1. §. 2. significet , sibi dubium esse : an obligatus quotidie celebrare per seipsum , teneatur supplere diebus illis , quibus licite vacet a celebratione ? Sed & Sacra C. Concilii interrogata ab Episcopo Collensi , an Sacerdotes obligati ratione Beneficii , Capellaniæ , Legati , aut stipendii celebrare quotidie Missam per seiplos , possint aliquando a celebratione vacare ? Et quatenus affirmative : an diebus , quibus licite vacent a celebratione , teneantur , Missam , curare , per alium celebrari , juxta intentionem Fundatorum ? Respondit : posse aliquando vacare . Questionis autem alterius , de obbligatione supplendi , distulit resolutionem , in supra allegato decr. 28. Septemb. 1683. apud Caval. I. cit. Videantur etiam dicenda inferius Interrog. 5. n. 38. Non teneri autem supplere , desumunt communiter Doctores ex C. *Significatum* . *De præbend.* & ex consuetudine orta , ut dicunt , ex tali Jure . Vide Azor. Sylv. , Pelliz. Lezzan. II. cit. & Dian. R. 62. ac Bonac. cit. prop. 3. n. 6. At vero Tamburinus I. cit. n. 5. non vult inniti fundamento huic , utpote quod ei videtur infirmum . Putat itaque ex laudato capite juris non posse colligi facultatem vacationis a sacrificio in casu præsenti : si quidem ibi sic loquitur Pontifex Alexander III. de quotidiano quodam Beneficiato . . . *Affidue debeat obsequium suum impendere Ecclesiæ memoratæ , & quanto frequentius potest , (salva honestate sua , & debita devotione :) Missarum solemnia celebrare : Ubi Glossa hæc*

hæc habet : *hoc ideo dicit, quia non effet honestum, ut bis, vel ter Missam in die celebraret. Vt salva: id est sine peccato mortali, quod effet in honestum.* Cum ergo, ait Tamburinus, sic explicari textus recte possit, ut de facto explicatur a Glosso: non possumus nisi huic textui ad probandam illam vacationem in Beneficiato vel Legatario annuali. Ipse itaque Tamburinus petit, atque presumit hanc vacationis facultatem ex mente ipsius Fundatoris: cum enim celebrare toto anno sine ulla intermissione, onus nimis grave sit; prudenter presumitur, Fundator noluisse illud imponere Sacerdoti, cuius Personam in institutione Missæ quotidianæ dicitur respexit; sed solum voluisse, morali modo obligare, seu gravare ejus personam ad quotidianam Missam, non vero physice; ita Tamburinus. Cui etiam fundamento innititur Felix Potestas l. cit. Id tamen intellige, nisi ipse Sacerdos libere predictum acceptaverit onus; ut monet idem Tamburinus ibi versu: *sed quoad vacationem*. Quod evenit quando in institutione Missæ quotidianæ mens Fundatoris sit, ut quotidie sine intermissione celebretur a Sacerdote, qui Capellaniam acceptet, seu ad celebrandum pro praedicta fundatione se obliget. Sed in hoc casu revera habetur ratio principaliter Missæ celebrandæ, adeoque procedunt ea, quæ supra diximus, loquentes de hujusmodi casu n. 23. fine, & 24. initio.

Capellatum autem obligatum celebrare quotidie per seipsum, dicit Tamburinus, regulariter posse, quando velit, satisfacere per alium; similiter Benedictus XIV. l. supra cit.

testatur, aliquos velle: Sacerdotem obligatum celebrare quotidie etiam per seipsum, posse a celebratione vacare, sed teneri per alium supplerre.

Dico 3. si in institutione Missæ quotidianæ habeatur principaliter ratio loci ita; ut mens Fundatoris sit decorare, seu providere talem locum quotidiano Sacrificio: e. g. celebretur quotidie Missa in Capella Carceris Regiae; vel eligatur Capellanus, qui quotidie celebret in Capella Hospitalis Infirmorum. Si itaque in institutione Missæ habeatur principaliter ratio loci nullo unquam die vacare potest Missa per Sacerdotem electum; quod si hic nequiverit, aut noluerit, supplendum est per alium; ita Diana cit. R. 61. §. 1. Franciscus de-Lugo de Sacram. l. 5. de Missa c. 11. quæst. 3. n. 29. Pelliz. n. 107. Cavaler. to. 5. c. 28. n. 28. Bonac. cit. prop. 3. §. 2. n. 17. & alii quamplures apud eum.

Tamburinus tamen nu. 4. citans alios, putat, probabile esse, quod non solum si electa sit sola Persona, verum etiam si tum Persona, tum locus, vel etiamsi solus locus electus fuerit, Sacerdos Beneficiatus, Capellanus, sive alio quovis titulo obligatus toto anno Missas quotidie celebrare, possit intermittere, seu vacare aliquando ab oblatione sacrificii, absque eo quod tenetur supplerre per alium. Enim vero si in electione habitus est respectus tum loci, tum Personæ celebrantis; si hic ratione electionis loci obligaretur, ad celebrandum in eo quotidie sine intermissione ulla: jam gravaretur onere illo gravi, quo supra dictum est, non esse presumendum Testatorem, seu Fundato-

tem voluisse gravare illum : posito quod in fundatione Missæ habuit respectum ad ipsius personam . Si autem electio principaliter solum respexerit locum , seu illius honorem : sicuti quando in institutione Missæ electa est Persona , hæc excusatur , eique conceditur , ut possit aliquando vacare , eo quod præsumatur fundator voluisse morali modo gravare Personam ad Missam quotidiana , non vero physice ; ita similiter , inquit Tamburinus , credendus est voluisse modo tantum morali , & non physice locum honorare , quem Missa quotidiana decorandum elegit . Verum hæc saltem posterior assertio recipiens solum locum , mihi non probatur , & in eam inclinare omnino non valeo ; nam ideo in electione Personæ præsumitur Fundator , morali modo tantum eam voluisse gravare ; quia , ut Tamburinus ait , celebrare toto anno sine intermissione , onus grave nimis est , adeoque præsumi potest , Fundator minime voluisse Personæ illud imponere , quam specialiter respergit in institutione Missæ quotidianæ . Non appetet autem , unde prudenter præsumi possit , voluisse similiter morali modo decorare locum principaliter electum , ut quotidie celebretur in eo ; ita ut Missa aliquando vacare possit omnino , diebus , quibus liceat celebrare . Imo dicendum est ; quod si ob aliquod justum impedimentum occurrens (confer dicenda qu. 15. n. 49. & 50.) aliquando Missa celebrari non valeat in loco per Fundatorem electo , tunc non ideo Missa plane est omittenda (confer dicenda cit. n. 50.) sed in alio Altari ejusdem Ecclesiaz celebranda

(itemum confer dicenda cit. n. 50.) si Altare fuit electum , & hoc accidat impediti ; vel in alia Ecclesia , si & hæc tota impedita fuerit ita ; ut in ea celebrari non valeat ; quia talis est præsumenda Fundatoris fuisse voluntas . Omnino videlicet principalius voluisse pro se , suisque frumentum applicari Missarum , & de consequenti venerationem loci pecuniaris illius . Et de hoc dubium esse non debet , si Capellano competens consuetum stipendum fuerit assignatum ; si tamen consueto minus ; esse quidem poterit dubium , a Sacra vero Congregatione Concilii resolvendum , ad quam licebit habere recursum . Videri potest Cavaler. to. 5. c. 28. n. 27. Nullo item modo audiendus est Vidal in Arca Vitali tit. de Justitia . Inquisit. i. in qua contendit ; Sacerdotem obligatum quotidie celebrare , uti posse prædicta facultate vacandi , quounque modo loquatur Testator , ac institutio Capellaniæ . Quæ opinio opponitur rationi , & communī Doctorum sensui .

Ea , quæ hactenus dicta sunt , 33 procedunt etiam quoad Regulares . Itaque si Regularis particulariter , & specialiter , seu personaliter instituatur Capellanus : (quod tamen raro contingit :) potest & ipse aliquando a celebratione vacare , non secus ac possunt Capellani sæculares electi modo prædicto ; ne dicantur Regulares Capellani esse deterioris conditionis . Pelliz. n. 107. Lez. n. 42. Unde tamen infra dicenda interrog. 5. n. 58.

Si autem non instituatur ipse Religiosus , Capellanus hoc modo , sed Monasterium , vel Ecclesia ; tunc tales Missæ supplendæ sunt per alios

Ilos , ut dictum est n. 26. 27. & 29. cum tunc non fuerit electa Persona Sacerdotis , sed habita solum ratio Missæ celebrandæ in tali Ecclesia , vel Monasterio . Lezan. loc. cit. Tambur. n. 6.

Pellizarius concedit quidem : Missam non posse vacare , si Fundator voluerit , in tali Capella , vel Altari quotidie celebrari : at vult , probabile esse , quod si Regulares obligentur ex præscripto Prælati Regularis , eos ad quotidie celebrandum adstringentis , ut sic satisfaciant oneribus Missarum , ad quas Monasterium teneatur ex titulo variarum Capellaniarum , quæ fundatæ sint in eorum Ecclesia : si in eo non adsint nisi tot Sacerdotes , quot simpliciter requirantur , ad dicta onera implenda , possit unusquisque illorum uti facultate vacandi ; ita tamen , ut talis vacantia non plus præjudicet uni obligationi , quam alteri ; quod , inquit , fiet , omissionem prædictarum Missarum dividendo ad ratam obligationum singularum , juxta ea , quæ ex eodem Pellizario diximus n. 28. sed vide dicenda Interrog. 5. num. 38. Si tamen adsint in majori numero , quam ad talem effectum requirantur ; fatetur , non habere locum vacantiam supradictam ; nimicum quia cum ex una parte onus sit Monasterii : & ex alia parte his vacantibus Religiosis , possint alii socii supplere ; sine ulla justa ratione Fundator debito suffragio privaretur , & fraudaretur voluntas ejusdem . Confer dicta numero 26.

34 Interrog. hic I. Ex qua causa uti possit prædicta facultate vacandi ab oblatione sacrificii Missæ , obli-

gatus cæteroqui celebrare quotidie per seipsum ?

R. Aliqui putarunt posse quacunque de causa , itineris , incommodi , oblationis etiam , curiositatis ec. Ita Leandrus , quem refert , & videtur sequi Diana to. 2. edit. coord. tr. I. R. 63. fine ; eidem opinioni vacationem concedenti prædictam causa voluptatis , se adhærere significat Cavalerius to. 3. commentar. in Decr. S. C. R. c. 1. in Decr. 6. n. 5. Vide dicenda l. 3. 2. Novemb. n. 47. Sed contradicunt Navarrus tom. I. consil. I. 3. de præbend. consil. 6. fine , Lezana V. Missa n. 42. Pelliz. nu. 110. Tambur. c. 5. §. I. nu. 6. Bonac. cit. prop. 3. §. 2. n. 16. Benedict. XIV. de Missa sect. 2. c. I. §. 2. aliquie . Præfatæ insuper opinioni adversatur Alexander III. in C. significatum de præben. ut mox patebit ; nec non declaratio quædam Sacrae Congreg. Concilii relata ab ipsomet Cavalerio to. 5. c. 28. n. 28. ubi castigatius loquitur , non exprimens causam voluptatis (quemadmodum expenserat to. 3. l. cit.) sed honestatis titulum , rationem reverentiae debitæ Sacramento , aut aliam justam causam . Nimirum concedit Capellano præfato licere a Missæ celebratione vacare aliquando honestatis titulo , vel ratione reverentiae debitæ Sacramento , aut alia , inquit , justa de causa ; allegatque Decretum S. C. Concilii in Collensi ; quæ videlicet interrogata ab Episcopo Collensi : An Sacerdotes obligati ratione Beneficii , Capellaniæ , Legati , aut stipendii celebrare quotidie per seipos , possint aliquando a celebratione vacare ? & quatenus affirmative : Quando , & quoties a di-
cta

Ita celebratione vacare possint? Respondit affirmative, concurrente aliqua rationabili causa. Ita 18. Septemb. 1683. Porro vacandi praedita facultas qualibet ex causa, vel petitur ex Jure, vel ex Fundatoris voluntate presumpta, vel ex consuetudine. Non ex Jure: ex eo enim potius expresse veratur. Profecto in C. significatum de præbend. sic habetur ex Alexandro III. Significatum est nobis, quod cuidam Sacerdoti præbendam unam in Ecclesia vestra, communis voluntate, dedistis; ita quod Missam de S. Maria (nisi corporis infirmitate gravatus sit), debet quotidie celebaret quam siquidem institutionem eatenus confirmamus, ut praedictus Sacerdos, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assidue debet obsequium suum impendere Ecclesie memorata, & quanto frequentius potest, (salva honestate sua, & debita devotione): Missarum solemnia celebrare, nec sibi liceat hoc illi subtrahere, save causa voluntatis, save se ad aliam Ecclesiam transferendo. Itaque ex Jure non licet Capellano supradicto a Missa vacare causa voluntatis. Ex voluntate autem Fundatoris non potest recte presumi facultas vacandi ex causa oblationis, simplicis incommodi &c. imprudentissime enim judicatur, Fundator Missæ quotidianæ, scilicet voluisse privare Sacrificiis pluribus ob solam Sacerdotis acediam, oblationem &c. Denique consuetudo, si qua contenditur esse, hæc profecto inniti deberet vel Juris permissioni communis, vel Fundatoris voluntati presumptæ. Atqui, ut probatum est, ex Jure Communis hujuscemodi non est facta permissione; nec ex voluntate Fundatoris

TOM. I.

poteat ea rite presumi. Ergo neque ex consuetudine, oblationis, simplicis incommodi &c. ratione vacatur. Ergo posse aliquando a celebratione vacare Sacerdotem electum ad celebraadum quotidie per seipsum, conceditur sola ratione honestatis, puta ob defectum involuntarium dispositionis, ex causa involuntaria indevolutionis, quam in seipso accidat experiri: unde ob reverentiam, & timorem judicet sibi expedire, aliquando abstinere: secundum dicta superius qu. 3. n. 5. & habetur in allegato Jure Significatum.

Interrog. II. Obligatus quotidie 35 celebrare per seipsum, quoties posse ratione honestatis omittere Sacrificium, absque eo quod teneatur supplere per alium?

R. Vult Navarrus supra citato consil. 6. n. 3. cum posse unam, vel interdum alteram Missam in hebdomada omittere. Navarri sententiam hanc rejici communiter ab aliis Doctoribus testatur Naldus in Sum. V. Missa. n. 6. & Pelliz. Man. Regul. tr. 5. cap. 9. sect. 1. qu. 2. n. 5. & sect. 1. qu. 2. n. 5. & sect. 4. qu. 12. n. 110. Qui ait, merito rejici, cum concedatur Sacerdoti facultas subtrahendi quotannis Missas centum Fundatori Capellaniæ. Verum ego, ad excusandum aliquo modo Navarrum, animadverto, cum non dixisse simpliciter: licitum esse Capellano prædicto, omittere in quavis hebdomada unam vel alteram Missam: sed limitate loquuntur quoad alteram Missam: dicendo nimis: interdum alteram Missam. Ergo non semper, sed raro, ut significat; atque adeo non in qualibet hebdomada Missas duas

Q

omit-

omittere, concessit Navarrus, sed unicam; *interdum* licet condeſſerit alteram. Posſe autem ſemel tantum vacare hebdomada quavis, condeſſunt plerique Doctores; ita, praeter ipſoſmet Naldum, & Pellizarium, etiam Lezana V. *Miſſa*. num. 42. Tamburinus c. 3. §. 1. n. 4. Bonac. l. cit. Diana R. 61. Felix Pe- testas to. 3. par. 1. num. 273. Ga- vant. in Rubr. *Miſſ.* par. 3. tit. 12. numero 17. contra alios, quos tacito nomine allegat, & ſequi- tur Benedictus XIV. de *Miſſa* ſect. 2. cap. 1. §. 2. ubi ſimpliciter, & indeterminate concedit: Sacerdo- tem obligatum per ſeipſum celebra- re quotidie, a celebratione vacare ex legitima cauſa poſſe aliquando. Cæterum vide dicenda interrog. 5. num. 38.

36 Interrog. III. Stando in illa ſen- tientia, quæ facit facultatem vacan- di ſemel per hebdomadam: an fa- cultas hujusmodi concedatur tantum obligato ad celebrandum per an- num integrum: vel extendatur quo- que ad eum, qui obligetur puta per Mensim, vel etiam per hebdomadam integrum; ita ut poſſit & hic vacare ſemel a Sacrificio in ea hebdomada, qua obligetur celebrare per ſeipſum?

R. Communi-ter Doctores vel ex- preſſe dicunt, vel ſaltem ſignificant, prædictam facultatem vacandi ſemel per hebdomadam, intelligi confeſſam ei, qui obligetur quotidie cele- brare ſaltem per unum integrum annum; ita Tambur. Felix, & aliis. Nihilominus Pellizarius cit. ſect. 4. n. 109. ait: Sacerdotem obligatum ex ſtipendio manuensi etiam per u- num menſem ad celebrandum, pro- bable eſſe, & iplum poſſe vacare

ſemel in qualibet hebdomada. Tam- burinus item n. 3. refert aliquos ta- cito nomine, qui idipſum confeſſerunt, quando eleemosyna tota ſi- miūl prouina hebdomada detur. Sed tum pro una hebdomada, tum pro Mense uno contradicit ipſe Tam- burinus ibi: ex eo quod non poſſit hic praefumti facultas largientis ſti- pendium: enimvero per unum con- tinuum annum physice quotidie ce- lebrare, eſt ex ſe difficile, ideo ex- plicare potuimus, inquit, non ſuiſ- ſe Fundatoris intentionem, ad id obligeare; at per unum menſem, vel hebdomadam continuo physice celebrare, non eſt certe ex ſe dif- ficulte, quare ad intentionem lar- gientis eleemosynam, quaſi volue- rit concedeſſe tunc vacationem, re- currere nequaquam poſſumus. Ita Tamburinus. Cujus ſententiam ego ſequens, eam hac altera ratione conſirmo: nimirum quia in hoc ca- ſu haberi communiter ſolet principi- paliter ratio Miſſæ; vacatio autem prædicta conceditur, quando a pe- tentibus Sacrificium habetur principi- paliter ratio Personæ celebrantis, ſecundum dicta ſuperius; adeoque non ſumus in caſu. Ob quam ratione idipſum dicendum in caſu, quo Sacerdos recipiat ſtipendium manuale a pluribus, puta duode- cim, ut pro ſingulis per unum menſem ſeorsim celebeat: atque adeo per annum integrum debeat celebra- re; quia & hic habetur principali- ter ratio Miſſæ; & Sacerdos confeſſetur, ſe libere obligare, ad ſubven- dum onus celebrandi quotidie phy- ſice per annum integrum.

Interrog. IV. An die, qua li- ret vacare a ſacrificando pro Fun- datore Miſſæ quotidianæ, poſſet ce- le.

lebrari ad intentionem alterius , & ex accepto stipendio?

R. Etiam hoc concessit Vidal I. supra cit. n. 12. sed ejus opinio est contra sensum communem omnium Doctorum , & contra ptaxim , teste Diana to. 2. edit. coord. tr. 1. R. 63. §. 4. & 5. qui illum reiicit , & illius infibstientes rationes refellit : videri etiam potest Pelliz. n. 108. Lezana n. 42. fine . Felix Poteſtas n. 275. Tambur. c. 3. §. 2. Bonac. n. 16. Gavant. in Rubr. Miss. par. 3. tit. 12. n. 17. Benedictus XIV. de Missa sect. 2. c. 1. §. 2. apud quem , & apud Cavaler. to. 5. c. 28. n. 28. decr. 6. adeſt responſio negativa etiam Sacrae Congregationis Concilii : quæ interrogata ab Episcopo Collensi : an Sacerdotes obligati ratione Beneficii , Capellaniæ , Legati , aut stipendiū celeb̄rare quotidie Missam per ſeipſos : poſito quod poſſint aliquando a celebratione vacare : diebus licet vacatioñis poſſint Missas pro ſeipſis , vel aliis , præterquam pro Fundatoribus celeb̄rare , & accipere etiam ſtipendium ab aliis , pro quibus celeb̄raverint ? Respondebit : non poſſe p̄dictis diebus licet vacatioñis celeb̄rare pro aliis : quod si celeb̄raverint , teneri applicare sacrificium pro Fundatore , atque adeo non poſſe ab aliis recipere ſtipendium ; ita 18. Septemb. 1683. Porro falſitatem ſententiæ affirmatiue poterit quilibet facile argumentari ex dictis interrogatione prima . Nec eſt admittendus Cavalierius , qui to. 3. c. 1. comment. in Decr. 6. n. 5. opinatur , a p̄dicto Capellano poſſe in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum applicari Missam pro omnibus defunctis , etiam accepto ſtipendio .

Quem refutabimus I. 3. 2. Nov. art. 1. ſect. 3. ſubl. 2. qu. 2. num. 47. Quamvis idem Auctōr deinde to. 5. c. 28. num. 28. concedat , ac doceat , conſirmetque allegato Sacræ Congregat. Concilii decreto : quod p̄fatus Capellanus diebus tamen , quibus ſe abſtinere poſt a celeb̄ratioñe , Missam nec pro ſeipſo , nec pro aliis , præterquam pro fundatore applicare poſt; & multo minus ſtipendium aliquod accipere . Vide tamen infra dicenda qu. 14. & ſequentib. interrogat. a n. 44.

Interrog. V. An Capellani , qui 38 certis diebus ſacrificare ratione ſui muneris debent , niſi id p̄fitterint , jure mulcentur? Solent enim Āeditui iuſſu Epifcopi , Abbatis , alteriusve Præfetti in tabella quadam , ubi fūnt Capellani deſcripti , noſtare eos , qui aliquo die ad celeb̄randam non accedant , ut poena aliqua mulcentur , ſeu parte ſtipendiū animalis priventur pro rata Missarum omissarum ; Quæritur itaque , quoniam recto id jure fiat ?

R. Recto quidem jure , ſi Capellani ſint ex institutione Missæ quotidiane , in qua habita fuerit a Fundatore ratio principaliter Missæ celeb̄randæ , vel loci ; non autem principaliter celeb̄rantis : hujusmodi enim institutionis Capellani coguntur celeb̄rare quotidie vel per ſe , vel per alium ; ita ut Missa nunquam vacare poſſit diebus , quibus liceat celeb̄rare : ut jam ſuperius ſtatutum eſt . Adeoque qui ſunt hujusmodi institutionis ; jure priuantur ſtipendio pro rata Missarum omissarum : quæ celeb̄randæ ſunt , & compensandæ per alios Sacerdotes .

Si autem Capellani ſint ex institutione Missæ quotidiane , in qua habita a Fundatore fuerit ratio prin-

cipaliter Celebrantis, & non Missæ, nec loci; etiam in hoc casu Capellani, qui alterius hujusmodi sunt institutionis, possunt jure multari pro diebus, in quibus ad celebrandum non accesserint: puta eo quod semel in hebdomadibus singulis non accesserint ad celebrandum. Enimvero id fieri potest ab Episcopis, aliisque Prælatis ad evitandas quorumdam Sacerdotum fraudes, qui sordida quadam lucri cupiditate alio se conferunt ad Sacrum faciendum ob pinguiorem eleemosynam, cuius rei gratia conducuntur interdum. Quo quidem casu jure multari, patet ex dictis in Responsione ad præcedentem interrogationem: ubi statuimus: obligatum quotidie ad celebrandum per seipsum, si diebus, quibus ei ex Doctorum sententia a celebratione Missæ vacare posse permittitur, tamen celebret; debere Missam applicare pro Fundatore Institutionis, cuius est Capellanus; quapropter si celebret, & Missam applicet ad intentionem alterius, debet per alium Sacerdotem Fundatōri suo satisfacere. Hoc ergo faciunt, & hanc Capellani præfati obligationem supplent laudati Superiores in casu prædicto. Item illud fieri potest ad diligeatiorem, & exactissimam observantiam Decretorum Urbani VIII. & Innocentii XII. Constit. incip. Nuper. de celebrat. Missar. superius allegata n. 30. in qua inter alia, hæc leguntur: Meminerint igitur, & satagant Ordinarii, ut a Personis, & in Ecclesiis quoquomodo etiam in vim Decretorum Concilii Tridentini sibi subjectis, Missæ ea, qua pars est, fide, & diligentia celebrentur; & cuncta, & singula Decreta bujusmodi omnimoda executioni

demandentur, nedium iustitiam recurrentibus, seu instantibus reddentes, sed ex Officio, tum in Visitacionibus, tum in aliis actibus, & modis, quos expedire, & convenire toties quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, & singulis Decretis adveretur.

¶ Caveant etiam respective omnes Regulares tum subditi, tum Superiores quaecunque, nedium locales, sed etiam Provinciales, & Generales, ne Missarum celebratio, & omnium Decretorum premissorum executio cum pernicie propriarum animarum, cum prejudicio illarum, quibus Missæ sunt applicanda, & cum magno Christifidelium scandalis quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur; atque ultra propria conscientia onerationem, paenam privationis, vocis activæ, & passiva, ac graduum, & Officiorum, que obtinent, nec non inhabilitationis ad hujusmodi gradus, & Officia obtinenda, prorsus incurant.

Curent properea præfati Superiores Regulares in omnes, & singulos contravenientes debitum paenam diligenter, & prompte etiam per inquisitionem animadvertere; & insuper teneantur omnes, & singuli Superiores locales in Provincialibus Capitulis, seu Congregationibus exhibere attestationem, scilicet fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii, seu cuiuscunque Domus Regularis subscriptam, & juratam, quod omnibus, & singulis tunisperpetuis, tum manualibus Missarum oneribus, seu obligationibus, ad limitas & tenorem præsentium Decretorum, tempore eorum regiminis fuerit omnino. & integraliter satisfactum: vel, deficiente aliqua modica satisfactione, proficit etiam bujusmodi residuali implemen-

to Missarum , distincte referendarum , intra breve tempus moraliter satisficeri : ea adjecta , & omnino adimplenda conditio ne , quod ante præfatae attestationis exhibitionem quicunque Superiores locales prædicti vocem activam , seu passivam in memoratis Capitulis , seu Congregationibus omnino babere non valent.

Præterea Provinciales , Vicarii , & Visitatores Provinciarum , seu Congregationum debebunt in fine eorum regiminis Superioribus in forma probante ostendere , quod executioni presentium Decretorum sedulo invigilaverint , & ad eorum tenorem in omnibus , & singularis Conventibus , seu Monasteriis , vel Domibus Regularibus Provinciae , seu Congregationis de omnibus , & singularis oneribus , & obligationsibus , ac insimul satisfactionibus Missarum exactam , & diligentem rationem exegerint , ac contra delinquentes , ad declarationem , & executionem respective penarum , in Decretis contentarum , processerint , & de adimplemento circa ea quæ in præmissis ad ipsos spectant , legitime docuerint ; alias ad vocem activam , & passivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittantur : Hæc in Constitutione allegata . Ubi etiam similis cura imponitur , &onus Rectoribus , seu Administratoribus , vel Directoribus &c. aliarum quarumlibet Ecclesiarum , Archiconfraternitatum , Confraternitatum , Societatum , Congregationum , Hospitalium , &c.

His ergo pressi Superiores Ecclesiarum , quibus cura est commissa , ut exactissime adimpleantur onera Missarum , quæ in sua ipsorum Ecclesia adsunt , præfatamque rigidam rationem reddituri , minime patiuntur , Capellanos designatos ad cele-

brandum quotidie etiam per seipso , ullo unquam dñe , qualibet de causa a celebratione vacare . Et licet Azorius Inst. Mor. par. I. l. 10. c. 24. qu. 9. dicat : Capellanos hujusmodi non debere affici poena , seu multari , ubi constet , eosdem a sacrificando vacasse aliquando justa , ac debita causa ; nihilominus Superiores præfati non tenentur sequi sententiam illorum Doctorum , qui , ut supra vidimus n. 32. & 34. docent : obligatum ex institutione Missæ quotidianæ Missam quotidie per seipsum celebrare , posse aliquando justa de causa a celebratione vacare , etiam ita , ut Missas non teneatur omissas celebrare per alium : Hujusmodi , inquam , sententia Superiores præfati nequaquam adhærere tenentur . Adde quod , ut etiam cit. n. 32. notavimus , Sacra Congregatio Concilii interrogata : an Sacerdotes obligati ratione Beneficii , Capellaniæ , Legati , aut stipendiij celebrare quotidie Missam per seipso , possint aliquando a celebratione vacare ? & quatenus affirmative : an diebus , quibus licite videntur a celebratione , teneantur Missam curare per alium celebrari , juxta intentionem Fundatorum ? Respondit : posse aliquando vacare ; questionis autem alterius de obligatione supplendi ; distulit resolutiōnem : significans utique , rem esse valde dubiam , & rigidiori subjiciendum examini .

Si tamen aliquarum Missarum omissionis , constaret in forma probante , fuisse ex causa infirmitatis , aut similis impedimenti gravis & involuntarii Capellani electi ad celebrandum quotidie per seipsum : si vacantia fuerit brevis , seu paucarum Mis.

Missarum ; non videtur esse juxta mentem æqui , ac benevoli Fundatoris Capellaniæ , qui talem Capellaniū elegit ad celebrandum quotidie per seipsum ; illi minuere stipendium constitutum , atque detrahere pro rata illarum paucarum Missarum , quas infirmitate præpeditus non valuerit celebrare : quemadmodum Auctores docere communiter vidimus supra n. 23. & 31. & de hoc , videtur , dubitari maxime posse , ubi adesset Synodale statutum , disponens , ne stipendium subtrahatur hujuscemodi Capellano , qui infirmitatis causa , aut simili impedimento gravi , involuntarioque coactus intermisserit celebrationem ad modicum tempus . Tempus autem modicum in hac materia quodnam poterit reputari ? examinavimus supra n. 25. ubi varias Doctorum proutius opiniones , & declarationem quoque ipsiusmet Sacrae Congregationis Concilii , ex qua non tenetur Capellanus per alium supplere tempore infirmitatis non excedentis quindecim dies . Decretum insuper laudavimus ibi Concilii Provincialis VII. Mediolanensis , ex quo conceditur Capellano utenti prava valetudine per mensem , ut recipiat integrum eleemosynam judicio Episcopi , si Capellanus saltem per annum munus illud obierit . Cæterum post supra allegatam Constitutionem Innocentii XII. videndum quid praxis habeat , & consuetudo permittat ? quæ optima est legum interpres . ex C. cum dilectus . de consuet. Et l. 37. ff. de Legibus .

40. Qu. X. An obligatus celebrare quotidie ex institutione Missæ quotidiane , teneatur celebrare tres Missas in Natali Domini ?

R. Negative . Vide dicenda 25. Decemb. n. 23. & 42.

Qu. XI. Utrum , si nihilominus + celebret prædicto die Missas tres , teneatur pro Fundatore singulas applicare ?

R. Negative ; fed applicata una pro Fundatores , duas reliquas potest applicare cuilibet , & etiam recipere stipendium manuale pro prædictis duabus Missis . Vide dicenda 25. Decembr. n. 42.

Qu. XII. An obligatus celebrare 42 quotidie pro aliquo Fundatore , pos sit nihilominus in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum applicare Missam pro aliquo alio particulari defuncto , aut debeat applicare in communi pro omnibus defunctis ?

R. Neutrū posse , sed debere adhuc illa die applicare pro Fundatore . Vide dicenda l. 3. 2. Novembr. art. 1. sect. 3. subl. 2. qu. 2. a. n. 46.

Qu. XIII. Utrum obtinens Capellaniā , de cuius fundatione nullo modo constet , cum nulla reperiatur Scriptura , sed solum constet ipsum Capellaniū teneri quotidie celebrare in tali Ecclesia , vel in tali Altari ; teneatur Missæ valorem applicare pro Fundatore Capellaniæ ? 43

R. Ad hujusmodi questionem affirmative cum aliis respondet Bonacina to. R. disp. 4. quæst. ult. pu. 7. prop. 3. §. 2. n. 13. quem sequitur Busemb. lib. 6. par. 2. tr. 3. c. 3. dub. 1. Resol. 11. Ratio est , tum quia Fundator censemur voluisse sibi consule re omni meliori modo ; quoties enim dubitatur de voluntate Testatoris , præsumendum est , quod verisimilius est , & quod ipse interrogatus responderet : Testator autem de hac

re:

re interrogatus responderet utique, velle sibi Missæ valorem applicari, cum agatur de salute animæ, de qua, præsumendum est, unumquemque curam habere. Tum quia Capellaniæ regulariter loquendo, solent institui cum onere applicandi Missæ sacrificium pro Fundatore. Ergo etiam in proposito casu præsumitur Capellania hoc modo instituta, cum fortissima præsumptio desumatur ex consuetis, & communiter accidentibus. Itaque in prædicto casu Capellanus tenetur Missæ sacrificium applicare Fundatori; secus autem ubi clare constaret; Testatorem in institutione Capellaniæ respxisse solum Ecclesię, vel Altaris cultum, & venerationem: ut cum aliis Bonac. n. 14. Videatur etiam Benedictus XIV. de Missa sedt. 2. c. 2. §. 1. & Caval. to. 5. c. 28. n. 27. ubi varias Sacræ Congreg. Concilii Responsiones allegant huic resolutioni faventes; & nonnulla adducunt exempla, in quibus potest præsumi prudenter: Testatorem, seu Fundatorem Missæ reliquissce celebrantis arbitrio applicationem illius.

Qu. XIV. Utrum obligatus ex institutione Missæ quotidianæ celebrazione per seipsum quotidie pro Fundatore Capellaniæ, nihilominus possit aliquando offerre sacrificium pro seipso, vel etiam pro aliquo alio?

¶. Affirmant Pelliz. in Man. tr. 5. c. 9. sedt. 4. qu. 14. num. 112. Lezana V. Missa nu. 41. Tambur. Meth. celebr. Miss. I. 3. c. 3. §. 1. nu. 8. Felix Potestas to. 3. par. 1. nu. 274. Diana to. 2. edit. coord. tract. I. R. 63. §. 4. & alibi. Naldus, Fraxinel; Homob. & alii; sed recole dicta quæst. 9. interrog. 4. num. 37.

Inter. I. An id concedatur pro 45 necessitate propria quacunq; & alio qualibet?

¶. Communiter Auditores significant necessitatem propriam esse debere gravem; alterius autem debere esse alicujus valde conjuncti, amicissimi, Benefactoris, & similis. Sic Naldus in Sum. V. Missa n. 7. concedit prædictam facultatem Capellano pro seipso, vel sibi valde coniuncto ad specialem gratiam Dei obtainendam; similiter Diana I. cit. dicit: non esse negandum, Sacerdotem, sive Capellanum ad quotidie pro aliis celebrandum obligatum, posse aliquoties in anno, pro seipso, vel pro aliquibus sibi valde coniunctis ad specialem aliquam gratiam obtainendam; vel pro anima sui Patris, vel charissimi Amici, aut Benefactoris celebrare; similiter Lezana I. cit. eamdem facultatem concedit Capellano pro seipso, vel sibi valde coniuncto, v. g. vel quia è vita discessit, vel quia in aliqua valde gravi necessitate est constitutus: similiter Pellizarius I. cit. concedit posse pro seipso, aut etiam pro aliquo sibi coniuncto; Idem significant Tambur. Felix, & alii.

Hinc colliges rationem pro prædicta sententia, quam quidem rationem assignant Auditores: videlicet prædicta facultas præsumitur, & conceditur, tum quia credibile est, quod pius quotidianæ Missæ, vel Capellaniæ institutor, si de tali casu præcogitasset, vel interrogatus fuisset, hoc minime negasset. Tum quia nimis grave, ac intolerabile onus esset Sacerdoti, si obligationem naturalem, & charitatem in seipsum, vel in proprios Parentes, & in præcipios Amicos, aut Benefactores omni-

omnino ei precluderet; & toto tempore vite sue, quotidie pro aliis celebrare deberet; pro se autem, aut pro iis, quibus plurimum debeat, nunquam posset sacrificium offerre; ita Diana, Naldus, Lez. Felix, Tambur. & alii communiter. Ceterum recole dicta qu. 9. interrog.

4. n. 37.

46. Interr. II. Prædictus Sacerdos obligatus ad celebrandum per seipsum quotidie ex institutione Missæ quotidiane, quoties possit celebrare pro seipso, aut suis?

R. Autores communiter concedunt quater, vel sexies in quolibet anno; ita Naldus, Lezana, Felix, Tamburinus, Pellizarius, & alii. Diana vero l. cit. concedit quater, vel septies. Nimirum hec in morali, & prudenti exstimatione habetur parva Missarum privatio respectu unius integri anni, in presenti quidem casu, & in prædictis circumstantiis & propter speciales explicatas rationes; Vide tamen dicta qu. 9. interrog. 4. n. 37.

47. Interr. III. In presenti casu, in quo conceditur Sacerdoti prædicto celebrare pro aliis; utrum possit recipere stipendium ab his aliis, pro quibus applicat sacrificium?

R. P. Vidal, ut diximus qu. 9. Interrog. 4. n. 37. affirmat, posse celebrari ad intentionem alterius, & ex accepto stipendio semel in quacunque hebdomada a Sacerdote obligato ex institutione Missæ quotidiane ad celebrandum quotidie e. g. pro Fundatore; a fortiori itaque idem affirmat in presenti casu, in quo, tantum quater, vel sexies conceditur celebrare pro aliis. Verum quoad illam sententiam priorem, cum esse rejiciendum, ibi docui-

mus. Quoad presentem casum Tamburino c. 3. §. 2. n. 4. videtur respondendum etiam negative; quia sumeret pro eadem Missa duo stipendia, quod est prohibitum. Felix Potestas item to. 3. par. I. n. 275. indubitanter negat posse recipi stipendium ab aliis quibus in prædicto casu Missæ sacrificium applicatur. Nos quoque superius cit. n. 37. rejecimus Cavalerium opinantem to. 3. hujusmodi Capellatum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum pro his celebrare posse, etiam ex stipendio. Notavimus tamen ibidem Autorem eundem aliter deinde loquutum to. 5.

Nota hic: ea, que hactenus in 48 questione presenti, & sequentibus interrogationibus dicta sunt, procedere etiam quoad Regulares, propter rationes easdem, si specialiter deputentur ad implendum omnis annum alicujus Capellanie, secundum ea, que in superioribus sepius repetita, & explicata sunt. Pelliz. & Lez. ll. cit. sed etiam pro his recole dicta qu. 9. interrog. 5. n. 38. Secus autem esset, si obligatio dicendi tales Missas, non foret specialiter pro aliquo Religioso in particulari, & specialiter, seu personaliter electo, sed foret pro toto Conventu; quia tunc, ut etiam in superioribus dictum est, & monet adhuc Lezana cit. nu. 41. talis defectus suppleri deberet per alios Sacerdotes.

Qu. XV. An Sacerdos obligatus 49 quotidie celebrare in tali Ecclesia, vel Altari, si sine necessitate quidem, sed raro celebret alibi, possit excusari a mortali? Porro mortale esse, non celebrare in loco a Fundatore specialiter designato, si sine ne-

necessitate fiat , videbimus l. 3. 2. Novemb. art. 1. sect. 3. subs. 2. q. 3. nu. 54.

R. Affirmative ; Hujusmodi enim obligatio admittit parvitatem materię , sicut alie communiter , quemadmodum advertit Franc. de-Lugo l. 5. de Miss. c. 11. qu. 5. nu. 55. & de hoc non esse dubitandum , dicit Tambur. Meth. celebr. Miss. lib. 3. c. 2. §. 1. n. 2. Unde Franciscus de-Lugo assert Cardinalem de Lugo , & Aversa dicentes : fore veniale , si raro mutetur locus . Ab ipso etiam veniali , est , qui excusat in dicto casu . Et quidem Tamburinus nu. 4. assert eumdem Cardinalem de-Lugo dicentem : Capellatum quotidianę Missę ex rationabili causa celebrare raro alibi , quam in designato ; neque esse veniale : quia non censetur Fundator cum tanto rigore suum Capellatum obligare voluisse .

Profecto ob meram parvitatem materię excusari non posse a veniali , definies , si huic materię applicaveris ea , quę docuimus c. 1. nu. 29. & 44. Poterit itaque in positio casu etiam a veniali excusari , solum si huic etiam excusationi favere credatur pia Testatorum voluntas ; quę quidem est ratio , ex qua hoc insinuat Cardinalis de-Lugo , & Tamburinus , non autem ex sola parvitate materię , quę a mortali tantum excusare potest .

50 Interr. hic : quoties omitti posset locus designatus pro celebratione ad excusandum a mortali , aut etiam veniali ?

R. Diana to. 4. edit. coord. tract. 1. R. 15. veniale reputat , si Capellanus bis , aut ter in anno non celebret in Altari , vel facello desi-

TOM. I.

gnato . Dianam sequitur Chiavetta . Instit. Juris can. l. 2. c. 8. n. 38. & consult. 159. n. 2. La-Croix autem l. 4. de Benef. qu. 117. §. 1. magis extendit : dicit enim excusari a mortali , si tantum quinques , vel sexies per annum negligat locum , aut tempus ; dummodo celebret alibi , aut alias ad intentionem debitam . Confer dicta qu. 9. nu. 32. prope fin. Etiam plus concedit Tamburinus cit. nu. 2. nam dicit : se non judicare , in gravi materia delinquere , si uno , vel altero die feriato singulis mensibus alibi quis celebraret . Fatetur tamen sententiam Dianę esse communem Doctorum . Monet item Tamburinus , obligatum celebrare in Altari privilegiato , si alibi celebret , facilius attingere posse gravitatem materię , quam obligatum in communibus Altaribus ; ut ipsa , inquit , naturalis ratio dictat : quia nimirum ibi magis inviti sunt Fideles , quam hic : Vid. dicenda 2. Nov. n. 54. Rursus nu. 3. excusat facilius cum de Lugo celebrantem in alio Altari , quam in designato , sed in eadem Ecclesia ; quam celebrantem in alia Ecclesia a designata , quia scilicet tunc minus receditur a voluntate Missam exposcentis . Tandem n. 4. ut supra dixi , insinuat ex Cardinali de Lugo , tam raro posse locum variari , ut etiam a veniali possit excusari , quia non censetur Fundator cum tanto rigore suum Capellatum obligare voluisse .

Quænam vero causę censi possent rationabiles , mutandi aliquando celebrandi locum ? videri possunt apud la-Croix cit. qu. 117. §. 2. n. 824. , & apud Franc. de-Lugo l. cit. a n. 49.

R

Al-

Altare privilegiatum quotidianum concedi ad septennium Ecclesis singularis Parochialibus notabimus 2. Nov. nu. 97.

51 Quæst. XVI. Quænam Missa quotidie legi debeat?

R. Per se loquendo, communiter quotidie est Missa etiam privata legenda, de quo fit Officium, prout præscribitur in Rubr. gener. Miss. initio *Missa quotidie dicitur secundum Ordinem Officii*: & rursus tit. 4. fine: *quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat*. Non solum in genere, verum etiam in specie. Confer dicenda lib. 2. in Sabbato nu. 40. versu: *His postis*. Sunt enim correlative, ut explicat Meratus in Rubr. gener. Miss. par. 1. in præliminar. n. 17. qui videri potest. Et quidem quoad Missam solemnem **Conventualem**, id esse sub gravi, constat ex dictis superius, ubi de Missis Conventualibus. Quoad Missam vero privatam, an eadem ad sit obligatio gravis? Videantur dicenda tr. 2. loco infra cit.

Dixi: per se loquendo, communiter: quia aliquando licet, aut etiam debet, juxta Rubricas, Missa etiam solemnis, seu Conventualis esse diversa ab Officio occurrenti; de qua re, aliisque dubiis pertinentibus ad ritum varium legendi Missam, videri possunt Rubricæ generales Miss. Rom. tit. 4. de Miss. Votiv. & tit. 5. de Miss. Defun. La-Croix lib. 6. par. 2. qu. 51. & duab. sequ. Diana edit. coord. to. 2. tr. 1. resol. 80. & 163. Tambur. Meth. celebr. Miss. l. 2. c. 5. §. 2. a n. 14. & c. 6. §. 2. n. 7. Gavant. in Rubr. Miss. par. 3. tit. 10. nu. 16. Merat. tom. 1. par. 1. tit. 4. a nu. 5. Dicenda lib. 2. in

Sabbato n. 40. versu: *profecto Missæ Votive*. Et pro Missis privatis videantur etiam dicenda lib. 3. 2. Novembr. nu. 81. & videri etiam possunt dicenda tr. 2. in Domin. Palm. a nu. 107. Interim notentur sequentia.

Sacerdotes etiam Regulares, diebus, 52 quibus propria officia recitant sub ritu duplice, celebrantes in alienis Ecclesiis, quando peragitur Festum cum solemnitate, & concursu populi, debent celebrare Missam, conformando se ritui, & colori earumdem Ecclesiarum. In aliis vero diebus possunt; sed quando prohibentur Missæ votiva, vel Defunctionum, debent se conformare saltem quoad colorem. S. R. C. 11. Junii 1701. in una Tertiæ Ordinis S. Franc. apud Cavaler. to. 3. c. 12. d. 3. Dummodo alia Missa, quæ celebretur, exigat, juxta Rubricas, colorem eundem, qui exposcitur ab Officio, & Missa Ecclesiæ, in qua celebratur: aliter tenenda est conformitas etiam quoad Missam ejusdem Ecclesiæ, ut constat ex Declaratione ejusdem S. C. R. a qua cum fuerit quæsitus: Recitantes Officium de Martyre, & celebrantes in Ecclesiis, ubi dicitur de Confessore: Utrum debeat se conformare in colore illis Ecclesiis; etiam si ibi nulla sit solemnitas? Responsum fuit affirmative etiam quoad Missam, quæ non poterit celebrari de Sancto Confessore, si color fuerit rubeus. S. R. C. 7. Maj. 1746. in Varsavien. apud Caval. tom. 3. in append. ad c. 9. d. 2. Debent se conformare etiam quoad Missam: non obstante quod, per se loquendo, Rubrica de legenda Missa conformi Officio occurrenti, magis urgeat, quam Rubrica de adhibendis paramentis coloris conformis Missæ, quæ celebra-

bratur ; quemadmodum docebimus 2. Novembr. n. 77. *Quæ non poterit celebrari de Sancto Confessore , si color fuerit rubeus :* Ita quidem per se loquendo : Vide tamen dicenda 2. Novembr. cit. n. 77. & 78.

Sacerdotes exteri confluentes ad Ecclesiæ etiam Regularium , & celebrantes de Sanctis etiam Ordinis , quando festum celebratur cum solemnitate , & concursu populi , debent in Missis se uniformare cum Sacerdotibus illius Ecclesiæ , etiam Regularibus , quoad Creedo , & numerum Orationum , more duplicum . In aliis vero diebus possunt . S. R. C. 11. Junii 1701. in eadem supradicta Tertiæ Ordinis S. Franc. apud Caval. to. 3. c. 12. d. 4. Quæ confirmata fuere an. 1752 in Responsi. ad hæc quæsita : Utrum Sacerdos secularis , vel Regularis habens Officium duplex , etiam primæ , vel secunda Classis , celebrans in aliena Ecclesia ex devotione , ubi celebratur festum solemnne , debeat celebrare Missam conformando se illi Ecclesiæ , ubi celebra , etiam quoad solemnitatem , & colorem paramentorum ? Utrum etiam Sacerdos secularis , vel Regularis habens Officium duplex , etiam primæ , vel secunda Classis , celebrans in aliena Ecclesia ex obligatione in sepultura solemnii alicujus Cadaveris , vel exequiis solemnibus , debeat se conformare illi Ecclesiæ , celebrando Missam de Requiem ? Responsum fuit : serventur Decreta alias edita in una Tertiæ Ordinis Sancti Francisci 11. Junii 1701. Sacerdotes tam sacerulares , quam Regulares conformare se debent ritui Ecclesiæ , in qua celebrant . S. R. C. 29. Januar. 1752. in una Ordinis Carmelit. Excalceat. Prov. Poloniæ ad X. & XI. dub. apud Caval. to. 5. in Colect. recentior. Decretor. Con-

fer. dicenda 2. Novembr. art. 2. n. 103.

Hinc rejicimus opinionem Pisarti apud Merat. to. 1. par. 1. tit. 1. n. 1. docentis : Sacerdotem habentem Officium æque solemnne ac illud alienæ Ecclesiæ , in qua celebret , posse Missam legere conformem Officio proprio , in colore tamen conformi Officio alieno : atque adeo posse legere Missam e. g. de Sancto Confessore paramentis rubeis . Sed ex allegatis modo decretis , Sacerdos habens Officium etiam duplex primæ Classis celebrans in aliena Ecclesia , in qua celebratur Festum solemnne , debet se conformare Ecclesiæ , in qua celebrat tum quoad colorem , tum quoad Missam : quæ non poterit celebrari de Sancto Confessore , si color fuerit rubeus , requiritus videlicet in eadem aliena Ecclesia , puta eo quod occurrat Festum in ea de aliquo Sancto Martyre ; ut declaratum vidimus in altero ex allegatis decretis , etiamsi solemnitas non adsit in eadem præfata Ecclesia aliena .

Missa tamen de Requiem a Sacerdote recitante Officium duplex debet in aliena Ecclesia celebrari , si habeantur in illa Exequæ solemnies ; secus locum habet Decretum S. C. R. 7. Maii 1746. in Versavien. in quo declaratum fuit : Sacerdotes recitantes Officium de festo duplice , confluentes ad Ecclesiæ sive Regularium , sive aliorum , ubi dicatur Officium de semiduplici , non posse ibi dicere Missas privatas de Requiem ; vid. dicenda lib. 3. 2. Novembr. n. 103. §. Cum continget . Et quamvis , etiam in casu quo non sit solemnitas in aliena Ecclesia , possit ex eodem superius ab-

R 2 le-

legato Decreto de anno 1701. dici Missa conformis ritui , colorique Ecclesiae , in qua celebratur : attamen per id conceditur tantummodo Missa conformis Officio occurrenti in aliena Ecclesia , puta Martyris , Confessoris ec. Quod utique patet ex posteriori modo laudata Declaratione S. C. in *Versavien*. confer dicenda 2. Novembr. n. 104. §. *Hinc etiam docet secundo.*

Consequenter dicimus : ab eodem Sacerdote praefato in aliena Ecclesia in casu praedicto non posse legi aliam Missam votivam : sed simpliciter ei esse permisam illam conformem Officio occurrenti in aliena Ecclesia , in qua celebrat : etsi hæc respectu ejus sit votiva ; quæ una permittitur utique in favorem Ecclesiae , in qua celebrat . An autem possit , adeoque debeat , celebrare Missam de Requiem , si in casu praefato celebret ex obligatione in Altari privilegiato ? Vide 2. Nov. cit. n. 104. §. cit.

Animadvertisendum insuper est : concessionem Missæ Ecclesiae alienæ , etiam in solemnitate intelligendam esse , dummodo de illo festo , de quo agitur a Clericis addicatis tali Ecclesiæ , sit per se etiam concessum , ut legatur Missa ab aliis quoque Sacerdotibus exteris tali saltem die celebrantibus in ea . Sunt enim Festa nonnulla , quæ non permittuntur a quibuslibet celebrari . Porro Missæ de Beatis , quæ fuerint indulta certis Personis , nemp̄ Presbyteris Regularibus , vel Secularibus alicujus loci , vel Monasterii , seu Presbyteris alicujus Ecclesiæ servitio præcipue addicatis , a confluentibus Sacerdotibus , quavis dignitate , etiam Cardinalatus insignitis minime ce-

lebrari possunt ; quemadmodum statuit S. R. C. 27. Septembr. 1659. præsente , & approbante Alexandro VII. in Decreto generali , quod publicatum fuit 3. Febr. 1660. Quo quidem Decreto plura ad cultum Beatorum nondum Canonizatorum pertinentia a S. C. statuta sunt ; Videri potest La-Croix l. 3. par. 1. qu. 3. §. 4. Meratus in thesaur. sacr. Rit. par. 1. tit. 4. n. 16. & in ind. Decretor. Miss. a n. 361.

Canonizatio autem differt a Beatificatione partim accidentaliter , eo quod ad Canonizationem adhibentur plura examina , plures invocationes Spiritus Sancti , major pompa exterior ; partim etiam veluti substantialiter ; nam per Beatificationem solum permittitur cultus publicus , & quidem cum multis restrictionibus , quæ videri possunt in laudato Sacræ Congregat. decreto . Per Canonizationem vero definitur , talem cultum Sancto deberi ab omnibus ; & plura alia in Sanctorum Canonizatorum favorem ab Ecclesia statuuntur , quæ indicat Belarminus to. 1. Controvers. gener. 7. de Ecclesia triumphan. l. 1. c. 7. Dicit cum Gob. La Croix l. 6. par. 2. quæst. 53. §. 4. omnes Santos , quorum nomina exprimuntur in Martyrologio Romano , esse canonizatos , vel ab Ecclesia communi , vel a Papa , vel ab Episcopis : hinc posse de illis in eorumdem Festo legi Missam . Accedit Quarti par. 1. tit. 4. dub. 7. ubi docet , de Titulari alicujus Capellæ Sancto Canonizato , vel in Martyrologio Romano descripto posse in ejusdem die Festivo dici Missam , etsi de eodem non fuerit concessum Officium ; & hanc esse sententiam communem inter

Do-

Doctores , tradit Meratus tom. I. par. I. tit. I. n. 2. Sed contra est ; quia observante Cavalerio comment. in descr. S. C. R. to. I. c. 4. in descr. 2. n. 17. *Introducta in ipsum* (Martyrologium) *fuere quamplurima Nomina Beatorum , quemadmodum videre est in ipso Martyrologio Romano.* Et licet verum sit , ex pluribus Decretis S. C. R. Summorum Pontificum auctoritate firmatis , apud eundem Cavaler. I. cit. num. 15. & 21. *In Martyrologio Romano non nisi Sanctos tantum Canonizatos describi posse , & apponi debere.* Nihilominus ex speciali concessione summi Pontificis possunt Beati in Martyrologio Romano describi : ut idem Caval. observat , & de facto testatur , ut diximus , quod ex huiusmodi speciali concessione , *introducta in ipsum* *fuere quamplurima nomina Beatorum .* Quod confirmamus ex Benedicti XIV. Litteris Apostolicis de nova Martyrologii Romani editione n. 7. ubi Pontifex haec scribit : *Etsi vero in Romano Martyrologio , juxta Regulas a Sac. Rituum Congregatione statutas , atque a Summis Pontificibus pluries confirmatas , enumeranda non sunt nomina Servorum Dei , qui in Beatorum dumtaxat numerum , non etiam in Sanctorum Canonem relati sunt , nihilominus aliquando contingit , ut Romani Pontifices , gravibus , justisque causis ita suadentibus , vel ipsa Beatorum nomina in Romanum Martyrologium intulerint ; resque patet exemplis bene multis Pari œconomia , & Nos aliquot nomina Beatorum Martyrum , de quorum Martyrio , Miraculis , ac cultu aliquibus Ecclesiis , & Diœcesibus permisso , diligentibus habita discussione , plane constat , nova*

buic Martyrologii editioni duximus ad- jicienda . Id autem benigniori quadam dispensatione a Nobis gestum est ; &c. Hæc laudatus Pontifex . Et quamvis Cavalerius to. 2. par. 2. c. 37. in descr. 2. num. 13. fine dicat : se credere , Beatos in Martyrologio Romano descriptos universalem in Ecclesia cultum habere , permisum tamen , non præceptum ; unde eosdem nil vetet canonizari : nihilominus non ideo putandum est , posse de iisdem in eorumdem etiam Festo legi Missam ubique . Porro de scriptum est in Martyrologio Romano die 12. Junii nomen Sancti Onuphrii Confessoris , & nihilominus , ut sub ea die notabimus , Sacrorum Rituum Congregatio anno 1632. 17. Novembr. declaravit , quod ubi Festum S. Onuphrii celebratur cum Officio , & Missa ante Bullam Sancti Pii V. potest continuari ; post Bullam nequaquam introduci potest . Rursus in eodem Martyrologio Romano die 16. Augusti recensetur nomen Beati Rochi Confessoris : & tamen eadem S. R. C. ut etiam sub die prædicta videbimus , pluries declaravit , quod Officium , & Missa S. Robi conceditur tantum in Ecclesiis ad ejus honorem dicatis .

Sunt itaque , ut dicebamus , nonnulla Festa , quæ non permittuntur , a quibuslibet celebrari cum Missa de iisdem : quod sæpe accidit in Ecclesiis Regularium , quibus tantum concedi solet , ut possint legere Missam de tali Sancto suæ ipsorum Religionis ; licet aliquando extendatur privilegium ad alios eadem die , qua Festum recurrit , celebrantes in ipsa Regularium eorumdem Ecclesia : ut satis notum est , & in hoc Diario occurrent exempla . Ubi ergo non ade-

aderit hujusmodi privilegium , non est in dicto casu a Sacerdotibus exteris legenda Missa de tali Festo : nequidem legi poterit a Regularibus ext ris , etiamsi Ecclesia sit Regularium . Profecto Regulares absque speciali privilegio , sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum , non possunt recitare Officium , & legere Missas concessas aliis Religionibus , ex Declaratione S. C. R. 20. Martii 1706. in Decreto generali apud Caval. to. I. c. 7. d. 4. Quod si foret solemnitas , & ratione diversitatis Missæ parere possent admirationem in populo ; expediret , ut ea die in illa Ecclesia non celebrarent .

Si autem tantummodo non sit permisum , legere talem Missam propriam : sit vero concessum legere Missam de tali Festo : (advertendum enim : quod Missæ certis Regularibus concessæ non possunt ab aliis dici , etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis : ut declaravit S. R. C. 29. Novembr. 1622. in una Conventualium Siciliæ , apud Merat. ind. Decr. Miss. n. 190.) tunc qui celebrat Missam in aliqua Ecclesia Regularium , aut etiam Monialium , in qua sit de Festo dupli habente Missam propriam , Missam quidem dicat de Festo , sed cum Missali Romano , ut etiam pluries decrevit S. R. C. apud La-Croix lib. 6. par. 2. qu. 53. §. 3. Zacchar. ibi , Benedictus XIV. de Sacrif. Missæ l. 3. c. 23. n. 1. & apud Ferrar. V. Missa art. 12. n. 3.

Capellanos sacerdotes in propriis Ecclesiis Monialium , quæ Breviarium Romano nequaquam utuntur , dicere posse Missam de Sancto Ordinis , de quo Moniales Officium

recitent , sed cum Missali Romano , ut in proprio de Sanctis , vel de communi : declarasse Sacrorum Rituum Congregationem , refert Meratus in ind. Decret. Miss. n. 238. & Ferraris V. Missa art. 12. n. 4. & V. Offic. divin. art. 3. n. 76. & 77. Dispositionem prædictam celebrandi cum Missali Romano Missas præfatas pro Capellanis Monialium , procedere insuper quoad omnes , & singulos , qui ex debito tenerentur celebrare in Ecclesiis eorumdem Monialium : declaraverat S. R. C. 11. Febr. 1702. in Tarvisana apud Merat. indic. Decret. quo ad Ruar. Miss. n. 561. Sed etiam anno 1717. 20. Nov. approbante Clemente XI. die 1. Decembr. in Decreto generali contento in ejus Bullario particulari par. 3. declaravit , quod Confessario , & Capellanis tantum quarumcumque Monialium servitio additum licitum est , Missas Sanctorum , de quibus ipsæ recitant Officium , celebrare , & cum Missali Romano , & de communi , non vero Missas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus concessas . apud Merat. l. cit. n. 634. & apud Benedictum XIV. l. cit.

Quod si nulla sit Missa in Missali Romano , quæ concordet cum Officio Monialium , puta de Spina , vel Corona Domini : tunc præfatos Capellanos dicere posse Missam de Cruce , vel de Passione , ut in Votivis ad calcem Missalis ; docet Meratus tom. 1. par. 1. tit. 14. numero 1.

Missæ etiam solemnis celebranda erit in casu prædicto cum Missali Romano , & de communi , si in eodem Missali Romano non aderit propria ; quamvis Introitus , Grada-

duale , & Offertorium , quod Chorus cantat , discreparet : ut cum Silv. animadvertisit La-Croix l. cit.

54 Dénique nota hic : quod etiā concessum fuerit privilegium Monachis Congregationis Vallis-Oletanæ Ordinis S. Benedicti , canendi singulis diebus Missam Votivam de B. Virgine ex D. S. C. R. 19. Novembr. 1633. teste Merato tom. 1. par. 1. tit. 4. n. 14. initio ; & licet idem Meratus in suo Indice Decret. Mis. ex hoc arguat ; statuatque nu. 273. quod ubi adeſt consuetudo immemorabilis cantandi singulis diebus immediate post Primam , Missam Votivam de B. V. potest , exceptis solemnioribus Festivitatibus D. N. J. C. tolerari , prout tolerat S. R. C. 19. Novembr. 1633. in Vallis-Oletana Congreg. Ordinis S. Benedicti : Subdatque , quod festa prædicta , in quibus non toleratur hæc Missa , sunt Dominica prima Quadragesimæ , Dominica Palmarum cum sota Majori hebdomada , Dominica Resurrectionis , & Pentecostes cum duobus sequentibus diebus , dies Nativitatis Domini , Epiphanie , Ascensionis , Corporis Christi

stī , & omnes dies , in quibus celebrari debet peculiare Festum in honorem B. M. V. juxta præscriptum in Calendario , ac dummodo diebus , in quibus celebratur dicta Missa Votiva , præter eamdem celebretur etiam Missa Conventualis , seu diei Festi currentis : Hæc Meratus ; at vero cum in Cathedrali Vilnensi in Lithuania plures fundatæ sint Missæ quotidianæ Votivæ in cantu de B. M. V. interrogata Sacrorum Rituum Congregatio : quando per Rubricas , ac Decreta sacrae Congregationis , videlicet per Octavas Nativitatis , & Epiphanie , Feria IV. Cinerum , & Dominica Palmarum usque post Octavam Paschæ , per Octavas Pentecostes , & SS. Corporis Christi prohibentur Missæ Votivæ private ; an etiam hæc Votivæ in cantu prohibeantur ? Respondit Affirmative , & quod pro Votivis substituantur Missæ de Festo , seu die occurrenti in cantu ; vel saltē lectæ , ex rationabili causa ab Ordinario dignoscenda . Ita in una Vilnen. 22. Decembr. 1753. ad 6. 7. & 8. dub. apud Caval. to. 5. in Collect. recentior. Decret.



C A.

C A P U T III.

D E C O M M U N I O N E Q U O T I D I A N A .

ETSI Fidelium crescente numero, deficiente vero, ac refrigerante charitate multorum, opus sit communiter christianum populum adhortari ad Communionis SS. Corporis Christi frequentiam, ultra obligationem annuam praecepti paschalis; non desunt tamen, qui divina praestante gratia, tam devoto studio erga hujusmodi sanctissimæ Communionis frequentiam teneantur, ut etiam quotidie illam sumere cupiant, & sibi a Sacerdotibus præberi, seu ministrari quotidie velint.

Qu. I. An sit prohibita Communio quotidiana?

R. Negative. Vide Suar. to. 3. in 3. par. disp. 69. sect. 4. initio. Imo non defuerunt Autores, qui putarent, Communionem quotidianam esse de jure divino; & quamvis in hoc erraverint; (Vid. Decret. Innoc. XI. de commun. quotid. infra adducend. & Cardenas in 1. Crisi Theol. disp. 66. c. 7.) nihilominus tantum abest, communionem quotidianam esse prohibitam, ut potius optaret Ecclesia, quod fideles omnes quotidie communicarent. Id quidem habemus ex Concilio Tridentino sess. 22. c. 6. de Sacrific. Miss. ubi sic ait: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis omnes fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramenti etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi bujus Sacrificii fructus uberior proveniret.* Super quem locum, & verba Tridentini, Cardinalis de-Lugo de Euchar. disp. 17.

sect. 1. n. 2. & Franciscus de-Lugo de Sacram. lib. 4. de Euchar. c. 9. quæst. 6. n. 50. testantur, adesse quoque declarationem Sacrae Congregationis Cardinalium 4. volumine Decisionum Rotæ hujus tenoris: *Obstat Concilium Tridentinum Episcopo volenti prescribere certa tempora, ut dies Dominicos, quartam, & sextam feriam, quibus tantum licet viris laicis, Conjugatis, Negotiatoribus, & Mulieribus etiam non conjugatis Sanctissimam Eucharistiam sumere; etiam ob irreverentiam, quam potest quotidiana hujus Sacramenti sumptio in sua Diœcesi parere.* Hoc fuit decisum in mense Januarii 1587. obstat: quia antiquo tempore, peracta consecratione omnes adstantes sumebant Eucharistiam: & ideo licitum est, quotidie Eucharistiam sumere. Cap. Quotidie de consecr. dist. 2. Quapropter exhortandi sunt fideles, ut, sicut quotidie peccant, ita quotidie medicinam accipiant. Cap. si quotiescumque de Consecr. dist. 2. Profecto, quod olim fideles communicaverint quotidie etiam ex præcepto Ecclesiæ; hæc est non paucorum opinio Doctorum; ut videre est apud Autores citandos pro hac re tr. 2. lib. 5. par. 2. in ejus 1. par. c. 3. sect. 1. n. 1. Licet itaque etiam Laicis communicare quotidie; idque est adhuc consultius, & laudabilius: ut cum communi Theologorum docet, probatque Suarez. to. 3. in 3. par. disp. 69. sect. 4. §. Dico secundo.

Verum etsi, per se loquendo, quotidianus usus Eucharistiae perfectior fit,

Sit, quam rarior, ac proinde cunctis enitendum sit ad frequentiam item quotidianam Eucharistie, si possunt; nihilominus, re in particuliari considerata, respectu talis individui, vel talis generis personarum, potest hujuscemodi frequentia non expedire: quippe, ut notat supra laudatus Franciscus de-Lugo n. 53. & Cardinalis de-Lugo n. 3. s^epe contingit, aliquid esse secundum se perfectius, & tamen huic, vel illi non esse utilius, quamvis alioquin non sit illicitum. Sic e. g. Tridentinum Sess. 24. can. 10. definit, perfectiores esse virginitatem, & celibatum, quam nuptias; & tamen huic, vel illi s^epe magis expedient nuptiae, ut constat ex Apostolo 1. ad Cor. 7. 9. *Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uni.* H^ac sententia sic explicata est communis Doctrinum: est juxta proxim Ecclesie, & usum Confessoriorum: teste Diana to. 2. edit. coord. tr. 2. R. 36. §. 4. Et quamvis alii aliud senserint, atque docuerint; jam audiri non debent post Decretum Innocentii XI. de Commun. quotidiana, ex quo, ut videbimus, propofita sententia facta est certa; opposita autem omnino falsa, & rejicienda. Vid. Cardenas l. supr. cit. c. 3.

3 Itaque animadvertisendum est 1. Tepidis, & imperfectis non expedire quotidie communicare. Enimvero ut Cardinalis de-Lugo de Euchar. disp. 17. sect. 2. n. 25. Franciscus de-Lugo num. 67. & alii, quorum sententiam dicit, esse communiorum, & probabiliorem, La-Croix lib. 6. par. 1. qu. 104. §. 10. docent: quoties veniale concomitans impedit debitam præparationem, at-

TOM. I.

tentionem, vel devotionem communionis, committitur sacrilegium veniale. Regulariter autem in tepidis, & imperfectis impedit; nam qui complacent in culpis venialibus, vix poterunt quotidie continere suos inordinatos affectus, quin aliquo modo deordinent, vel impedian præparationem Communioni debitam. Deinde præscindendo a statu tepiditatis, & imperfectionis; evidens est, quod singulis Eucharistie sumptionibus debeatur certa quædam sua debita præparatio: quotidiane ergo Communioni quotidiana competit præparatio; unde S. Isidorus Hispal. Episcopus de eccl. offic. lib. 1. c. 18. inquit, quod ii, qui volunt communicare quotidie, quia Sacramentum Eucharistie est panis ille quotidianus, quem in oratione Dominica petimus, nobis dari; bene dicunt, si hoc cum religione, & devotione, & humilitate suscipiunt. H^ac autem debita præparatio in paucissimis est, ex sententia S. Bonaventuræ in 4. dist. 12. par. 2. art. 2. quest. 2. Rationem dat D. Thomas 3. par. qu. 80. art. 10. corp. dicens: *Quod circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari, unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris. Et ideo utile est, quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat . . . Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione, & reverentia ad hoc Sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie sumat . . . sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurruunt, propter corporis*

S

in-

indispositionem, vel animæ; non est utile omnibus hominibus, quotidie ad hoc Sacramentum accedere; sed quotiescumque se ad illud homo invenerit preparatum. Ecce ex D. Thoma ratio, ob quam in paucissimis invenitur debita quotidiana dispositio ad Communionem Corporis Christi quotidie sumendam: nimurum quia ordinarie tot sunt humanæ vitæ impedimenta animam distrahentia, ut præsertim Secularibus difficile sit, se debite præparare quotidie ad sumptionem Sanctissimi Corporis Christi. Quam rationem significat etiam Tridentinum, ubi in testimonio superius laudato inquit: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis &c. Optaret, dixit, non optat: ut bene observat Cardenæs num. 122. quia Concilium non optavit absolute, sed inclinavit quodammodo ad optandum. Non optavit autem absolute; quia vidit, non omnes habere eam animi devotionem, & reverentiam, quæ requiriatur ad Communionem quotidianam, propter plura impedimenta, quæ in pluribus hominum occurunt. Inclinavit vero ad optandum, quia desiderabile est, omnes homines ea devotione, reverentiaque disponi. Hoc ipsum etiam notavit, & ita laudatam Tridentini locum declaravit S. Congregatio ipsius Tridentini in decreto de Communione quotidiana, quod approbavit Innocentius XI. ubi sic: *Etsi frequens, quotidianusve Sacrosancta Eucharistia usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; numquam tamen, aut sepius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi certos singulis mensibus, aut bebiadibus dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum prescripsit,**

sed quasi humanam infirmitatem faciem reputaret, nihil præcipiens; quid cuperet, tantum indicauit, cum inquit: Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistie perceptione communicarent. Idque non immrito; multisplices enim sunt conscientiarum recessus, varia, ob negotia, spiritus alienationes &c. Itaque ob respectum, & reverentiam erga tantum Sacramentum, non expedit omnibus indifferenter omnino fidilibus cæteroqui justis communicare quotidie.

Verum non solum propter hujusmodi reverentiam, sed etiam propter propriam utilitatem non expediat; ut modo audivimus ex D. Thoma, ubi dixit: *Non est nile omnibus hominibus, quotidie ad hoc Sacramentum accedere. Rationem assignavit idem Sanctus Doctor; quia nimurum in pluribus hominum multo-ties occurunt impedimenta multa, ex quibus non possunt ad Eucharistie Sacramentum accedere cum magna devotione, & reverentia, quemadmodum requiritur, propter corporis indispositionem, vel animæ. Et ratio ulterior est, quia, cum effetus Eucharistie proveniat major, vel minor, etiam ex opere operato, juxta majorem, vel minorem dispositionem sumentis; certe qui communicaret quotidie tepidus, aut parum dispositus, variis curis distrahitus, culpis venialibus irretitus, parvum fructum ex communione perciperet; si tamen interdum abstineat, ut discat revereri, purgari, fervere, percipiet fructum multo majorem:* ita Franciscus De-Lugo nu. 65. & repetit n. 69. fine, & Cardinalis De-Lugo supra cit. sect. 2. n. 17. Qui

Cap. III. De Communione Quotidiana: 139

Qui etiam id confirmant auctoritate S. Bonaventuræ l. supra cit. docentis, quod *Majorem efficaciam recipit homo in una Missa, vel manducatione cum bona præparatione, quam in multis, si non se præparet diligenter.*

4. Præterea plerisque, etiam sa-
stissimi sunt, ac perfecti, adhuc non
expedit communio quotidiana ob ali-
quas circumstantias, puta quia, si de-
bitæ præparationi tempus impendant,
debeant consequenter deesse officiis
necessariis; unde famulus e. g. He-
rum offendat, Ancilla Dominam,
Conjux Comparem, Discipulus Præ-
ceptorem. Hinc etiam in regulis Re-
ctoris Collegii Societatis Jesu sic
præscribitur: *Non permittat, nostros
Scholasticos frequentias, quam oœsso
queque die communicare, nisi particu-
larer ob causas, habita magis ratio-
ne necessitatis, quam devotionis.* Et
Denique saepissime quidam accidunt
casus, ex quibus consultius est, com-
munionem eo die omittere. Vide
Franciscum de-Lugo n. 68. & 69.

5. Attamen animadvertendum est 2.
cum Suarez to. 3. in 3. par. disp.
69. sect. 4. prope fin. Dilationem
Communionis, ad conciliandam ma-
jorem reverentiam, debere potius
esse raram, & extraordinariam,
quam frequentem; nec tantam esse
debere dilationem, ut plus nocere
possit, quam prodeesse; ne forte ali-
cui contingat illud Psalm. 101. 5.
*Percussus sum, ut fœnum, O aruit
cor meum: quis oblitus sum comedere
panem meum.* Consonat S. Isidorus
Hispal. Episc. de Ecl. Offic. l. 1.
c. 18. ubi monet; timendum esse
*Ne dum diu quisque separatur a Chri-
sti corpore, atiens permaneat a salu-
te, ipso dicens: Nisi manducaveritis*

Oc. Faciunt etiam hic verba S. Fran-
cisci Salesii, quæ ex par. 2. Intro-
duct. ad vitam devotam c. 21. lau-
dat, recitatque La-Croix lib. 6. par.
1. qu. 104. §. 8. ait autem lauda-
tus S. Franciscus: *Si mandani a te
petant, cur tam sœpe communices?*
dic eis, quod id facias, ut Deum ama-
re discas; ut te purges a tuis imper-
fectionibus, ut te liberes a tuis misera-
riis ut te confortes in tuis
infirmitatibus. Dic eis: quod duo bo-
minum genera sœpe communicare de-
beant: perfecti, quia omnino bene dis-
positi, injuriam facerent, si ad fontem
perfectionis non accederent; & imper-
fecti, ut jus ad perfectionem præten-
dere possint; fortes, ut non infirmen-
tur; infirmi, ut fortificantur; ægro-
ti, ut sanentur; fani, ne morbo
corripiantur Dic eis: quod
hoc S. Sacramentum accipias, ut di-
gne suscipere discas, quia raro benefit,
in quo se raro quis exercet. Hæc S.
Franciscus Salesius. Porro plurimos,
& mirabiles effectus Communionis
Sacramentalis optime, & breviter
explicat La-Croix cit. lib. 6. par. 1.
qu. 125., a n. 666. qui videri po-
test. Interim hic notamus: Alexan-
drum VIII. damnasse has proposi-
tiones n. 22. *Sacrilegi sunt judican-
di, qui jus ad Communionem percipi-
endam prætendent, antequam condignam
de delictis suis pænitentiam ege-
rint.* & n. 23. *Similiter arcendi sunt
a sacra communione, quibus nondum
ineft amor Dei purissimus, & omnis
mixtionis expers.* Vide dicenda qu.
3. n. 10. in respol. ad object. 1.

Animadvertendum est 3. Concio- 6
natores regulariter debere ad Com-
munionis frequentiam incitare; tum
quia populus magis se inclinatum
ostendit, ad non frequentandam

communionem ; ita ut ecclesiastico præcepto oportuerit incitari ad communicandum saltem semel in anno : quapropter si frequentia reprehendatur ; facile fiet , ut plures suam ve-
llint reverentia velamine desidiam protegere : tum etiam quia , ut bene observat Cardinalis de-Lugo de Euchar. disp. 17. sect. 4. fine ; multo plura inconvenientia ex raritate communicandi nascuntur , quam ex frequentia ; nam ut plūrimum ad frequentiam non declinabunt , nisi timorati , & pii . Cum enim Eucharistia sit cibus carni insipidus , & super quo carnalis homo quotidie nauseat ; quantumvis frequentia prædicetur , nonnisi per pauci ad quotidianam Communionem accedent ; ut experientia probat quotidiana . Hinc addit Franciscus de-Lugo de Sacram. lib. 4. de Eucharist. c. 9. q. 6. n. 51. graviter illos peccaturos , qui generaliter in Concionibus dissuaderent Communionis frequentiam , etiam quotidianam : nam averterent populum fidem ab eo , quod secundum se perfectius est .

⁷ Animadvertisendum 4. Eos , qui ad Communionem quotidiana , aut similem ejus frequentiam devoto studio excitantur ; infirmitatem suam agnoscere debere , & nequaquam proprio iudicio fidere , aut ex motu fervoris sui seipso regere : quod maxime reprehendi solet a Sanctis , aliisque spiritualis vitæ Magistris ; Ne fidendo de justitia , superba præsumptione id faciant : monet S. Isidorus Hispal. Episc. de eccl. offic. lib. 1. c. 18. Ut enim animadvertisit Walafridus Strabo lib. de reb. eccles. c. 20. hoc Sacramentum eo dignius percipitur , quo percipientes , per humilitatis custodiam substrati ,

numquam se ad ejus perceptionem fas-
tis dignos arbitrantur . Quod si dicant : se communicare velle quotidie propter hoc ipsum , quod pro-
priam infirmitatem , & necessitatem quotidianam agnoscant ; nihilominus adhuc stare debent consilio spi-
ritualium medicorum : quemadmo-
dum dicebamus , graviterque monet
etiam laudatus Walafridus , subdens
post recitata verba : Qui autem tar-
dius secundum judicium spiritualium
medicorum ipsi admittuntur medelæ ,
ideo ad tempus abstinere debent , ne
præpropere incongrua suis valetudini-
bus ingerentes medicamina , gravius
ægrotent , & quod aliis est reparatio ,
illis fiat damnatio . Et videri quo-
que potest Cardinalis de-Lugo de
Euchar. disp. 17. sect. 3. ubi ex
professo id pluribus comprobat ne-
quisitum . Accedit , quod hujusmodi
facultatem Superioris sui , seu Con-
fessarii proprii sententiam , appro-
bationemque præfatam requirere ,
eique stare , & acquiescere præscri-
batur , aut certe ea sit Pontificis
mens in Decreto de Communione
quotidiana inferius describendo . Vi-
de Cardenam supra cit. disp. 66. c.
4. Franciscum de-Lugo 1. c. n. 66.
72. & 73. La-Croix lib. 6. par. 1.
qu. 121. §. 1. & 5. & statim di-
cenda qu. sequu.

Quæst. II. An ergo sit culpabile , ⁸
communicare quotidie sine direcção-
ne , consilio , & approbatione pro-
prii Superioris , seu Confessarii ?

& Franciscus de-Lugo supr. cit.
nu. 66. monet quidem cum Fagun-
dez , requiri iudicium prudentis Con-
fessarii , ne quis in re tam gravi
vel excedat , vel erret , vel a Dœ-
mone facile decipiatur . Id tamen
facere sine iudicio Confessarii , sup-
po-

Cap. III. De Communione Quotidiana. 141

posita legitima dispositione, docet, nec ex se, nec ex objecto fore peccatum; quamvis aliunde propter periculum illusionis, concedat, esse posse peccatum grave, vel leve, juxta majus, vel minus periculum; quod prudenter immineat. Sed post Decretum Innocentii XI. de communione quotidiana, videtur dicendum: etiam praeciso periculo illusionis, fore culpabilem venialiter talem frequentiam Communionis sine approbatione proprii Superioris, seu Confessarii: cum fiat contra obedientiam, que in re hac debetur predicto Decreto; aut saltem distorme sit menti summi Pastoris Ecclesie, ex qua, ut dictum est, & videre licet in prefato, & inferiorius describendo Decreto, usus communionis quotidiane, aut similis frequentie pro singularibus personis relinquitur, & committitur iudicio Episcoporum, spiritualium Superiorum, Parochorum, & Confessiorum. Nostre sententie facient Cardenas c. 4. & c. 7. numero 67. fine, & La-Croix lib. 6. par. 1. quest. 121. §. 5. qui videri possunt.

Nota hic S. C. Conc. an. 1725. die 14. Aprilis in Januen. ad qu. An, & de cuius licentia sacram Eucharistiam recipere debeant Moniales, quae eam recipere volunt, ultra dies statutos a Constitutionibus, vel a consuetudine Monasterii, ut in illis omnes Moniales communicent: Respondeisse: *De licentia Confessarii Ordinarii, & non Directorum, prævia participatione Prælati Ordinarii.* Apud Lucium Ferrar. to. 8. Biblioth. edit. 3. Bonon. in prima append. pag. 186., col. 1. §. in Januen. num. 1.

Qu. III. Quibus personis concedi 9 possit communio quotidiana?

R. Hoc facile colligi potest ex dictis qu. 1. n. 3. Cæterum hic expressius dico: Confessarium concedere posse quotidianam communionem illis, qui puritate mentis enteant, ex fervore spiritus ita incaluerint, ut digni quotidiana SS. Corporis Christi perceptione videri possint: ex Innocentio XI. in decreto de communione quotidiana, ubi in specie sermo est de Monialibus. Item communio quotidiana concedenda iis, qui experimentaliter cognoscerent, ex quotidiana sumptione fervorem amoris in se magis augeri, & reverentiam non minui: ex D. Thoma in 4. dist. 12. q. 3. art. 1. questiunc. 2. Navarr. in Man. c. 21. n. 59. Rursus communio quotidiana concedenda iis, qui habuerint magnam puritatem, ferventem devotionem, fervorem, continuum, quæ vere requiruntur, ut homo possit quotidie mentem, & animum rite componere, ad utilius communicandum, quam abstinentem: ex Francisco de-Lugo n. 68. Similia habent alii Doctores, similem requirentes dispositionem in eis, qui quotidie communicare voluerint.

Sed dices I. Alexandrum VIII. 10 damnasse has propositiones nu. 22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam pretendunt, ante quam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint: & n. 23. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum ineft amor Dei purissimus & omnis mixtionis expers. Ergo ad communionem quotidianam Concedendam, non opus est, attendere ad petentis conscientię puritatem.

tatem , ferventem devotionem , fervorem continuum &c.

R. nego consequentiam . Primo in objectis propositionibus non est sermo de communione *quotidiana* , sed de communione *absolute* , ut patet ; absolute enim , simpliciterque illæ contendunt , denegandam esse communionem iis , qui nondum condignam de delictis suis egerint pœnitentiam : & judicandos esse sacrilegos , si nihilominus ad communicandum accesserint . Nec esse communionem *simpliſter* concedendam iis , quos noverimus , nondum habere amorem Dei purissimum , & omnis mixtionis expertem . Quod hic non afferitur ; sed & easdem damnatas propositiones nos ipſi animadvertisimus supra , esse cavendas , ubi communionis raritatem monimus esse vitandam qu. 1. n. 5. fine . Immo vero & illius frequentiam insinuavimus etiam pro non valde perfectis , atque adeo pro iis quoque , qui nondum condignam de delictis suis pœnitentiam egerint : vel quibus nondum inest amor Dei purissimus , & omnis mixtionis expertis . Profecto de simplici communionis usu inter fideles fere actum esset ; si ea non nisi iis concedenda esset , qui ultimum condignæ pœnitentiæ , & divini Amoris gradum attigerint . Videatur Viva in allegatas propositiones . Deinde nec dicitur hic , communio quotidiana iis tantummodo concedenda , qui de delictis suis condignam egerint pœnitentiam , quibusve inſit amor Dei purissimus , & omnis mixtionis expertis ; nulloque modo prorsus afferitur , eos judicandos esse sacrilegos , si nihilominus quotidie communicaverint ; immo vero affirmata

mus , communionem etiam quotidianam minime denegandam iis , qui nondum de delictis suis condignam egerint pœnitentiam : dummodo pro viribus agere studeant ; ceterisque significatis non careant requisitis . Similiter nec est deneganda communio etiam quotidiana iis , quibus nondum amor Dei purissimus inest , & omnis mixtionis expertis ; cum sufficiat , quod puritate mentis eniteant , & fervore spiritus ita incaluerint , ut digni (pro modulo suo) videri possint quotidiana SS. Corporis Christi percptione , quemadmodum decernitur ex Innocentiano Decreto , uti supra significavimus .

Dices 2. Fere omnes Sacerdotes ^{II} quotidie celebrant , atque adeo communicant ; & tamen ex una parte est valde laudabilis talis frequentia celebrandi , secundum ea , quæ ipſi docuimus c. 2. de celebr. Miss. qu. 3. n. 3. ex alia parte vero non in omnibus Sacerdotibus observamus tamē , ac tantam animæ dispositiōnem , quam dicimus expedire ad communionem quotidianam ; cum ceteroqui ad celebrandum eo major puritas requiratur , quo major est dignitas Sacerdotis celebrantis , quam Laici communicantis . Ergo ad simpliciter communicandum quotidie , non est , cur exigatur prædicta conscientia puritas magna , devotio fervens , spiritus fervor continuus &c.

R. Hæc objec̄tio manet soluta allegato c. 2. nu. 4. ceterum conformiter ad ea , quæ diximus ibi , assertimus hic , Sacerdotes ex Officio habere per se majorem apertitudinem ad communicandum quotidie , utpote quos ipsem̄ status separat a curis fæcularibus , a negotiis , a filiis

liis &c. Quod si nihilominus inter-
pescant , adhuc possunt cum pari
dispositione frequentius celebrare ,
quam laici communicare ; quia de-
fodus puritatis in Sacerdotibus com-
penatur per maiorem utilitatem
communem Ecclesie ; per maiorem
necessitatem satisfaciendi vel Benefi-
cio , vel stipendio , quo vivunt ; per
majorem obligationem muneris : quippe
Ministri sunt ab Ecclesia depu-
tati , ut ejus nomine Deum nobis
concilient . Quapropter ipsius Eccle-
sie paritas reddit eos magis accep-
tos Deo , magisque aptos celebra-
tioni etiam quotidiana . Ita Cardi-
nalialis De-Lugo de Euchar. disp. 17.
sæc. 4 n. 45. & Franciscus de-Lu-
go n. 84. Similia habet Suarez , ut
vidimus cit. nu. 4. Quod si Sacer-
dos aliquis experiatur in se , pro-
pter nimiam frequentiam celebrandi ,
atque adeo communicandi ,
minui reverentiam non parum ,
& fervorem minime augeri : jam
concessimus cit. c. 2. n. 5. melius
& ipsum facturum , abstinendo non-
numquam .

12 Qu. IV. An possit negari facul-
tas communicandi quotidie iis , qui
cæteroqui judicentur hujuscemodi fre-
quentia digni ?

R. Negative , si non impediant cir-
cumstantiae illæ , quas indicavimus
supra qu. 1. n. 4. Neque deterrei
debent a tam sancto proposito , &
piissimo desiderio . Patet ex Decre-
to Pontificio de quotidiana Com-
munione , ut notat La-Croix lib. 6.
par. 1. qu. 121. §. 2. & 4. osten-
ditque Cardenas c. 2. a n. 13. &
recole dicta cit. qu. 1. n. 5. & 6.
Exemplum autem cuiusdam Abba-
tissæ a Deo punitæ eo quod vetue-
tit Sanctæ Lutgardæ Moniali Ordin-

nis Cisterciensis communicare quo-
tidie , habes in vita laudatae Sanctæ
Virginis apud Petrum Ribadeneira
de vit. Sanctorum extravag. Sub die
16. Junii .

Nihilominus præter illas non in-
frequentes circumstantias sup. cit.
n. 4. indicatas , quæ quotidianam
Communionem reddunt etiam di-
gnis minus expedientem , docet ad-
huc ipse La-Croix §. 5. probabilius
videri posse , esse & alias , (raro
tamen) , in quibus Superior , vel
Confessarius prudenter prohibeat pœ-
nitenti , vel subdito Communionem
aliquam ; imo & pro pœnitentia
imponat , abstinere , e. g. ad au-
gendum in pœnitente sacram fa-
mem , vel curam se melius dispo-
nendi ; aut etiam aliquando ad re-
tundendam voluntatem hominis ni-
mium adhærentis proprio judicio ;
vel semper volentis concedi , quod
petit ; ita La-Croix . Monet etiam
cum aliis Diana , to. 2. edit. coord.
tr. 2. R. 36. §. 12. Confessarios in
hoc magis caute debere procedere
cum fœminis : tum quia facilius se-
ducuntur illusionibus Dœmonum ;
tum propter vanam gloriam , quas
multum prævalere solet in ipsis ; &
videri etiam potest Cardinalis de-
Lugo de Eucharistia disp. 17. sæc.
2. n. 14.

Qu. V. Utrum Parochus tenea-
tur ex justitia administrare quotidie
Communionem Parochiano suo vo-
lenti quotidie communicare : qui
cæteroqui habeat haec tenus requisita ,
& sufficientia ad hujusmodi frequen-
tiam Communionis ?

R. Negarunt quidam , putantes
solum teneri , quando fideles tenen-
tur communicare ex præcepto , at-
que adeo non plus quam lemel ia-

an-

anno Paschali tempore , & in mortis articulo . Quod autem sane per se statim apparet improbabile , & absurdum , ut observat Suarez to. 3. in 3. par. disp. 72. sect. 3. post initium : cum quo , & aliis Theologis apud eumdem tenendum est , proprium Pastorem obligari , & quidem ex justitia , ad hoc Sacramentum ministrandum , quoties Oves rationabiliter , & opportune petunt . Itaque tenetur Parochus , per se loquendo , Communionem administrare potentibus Parochianis suis etiam quotidie , quos hujusmodi frequentia , juxta regulas traditas , dignos agnoscat ipse , seu potius suus ipsorum Confessarius . Et ratio est , quia Parochi , ut laudatus Doctor eximiens animadvertisit , non aluntur a fidelibus solum , ut sibi ministrent necessaria , ad implenda præcepta ; sed etiam quæ sunt valde utilia , & animarum opportuna saluti , & perfectioni Christianæ conformia . Imo hoc maxime pertinet ad Pastorum munus : alioqui non satis esset omnium saluti provisum . Dixi autem , teneri per se loquendo : quia ut idem Suarez notat , poterit per accidens excusari Parochus , vel propter rationabilem occurrentem causam ; vel certe , quia habent alios Coadjutores , ad quos possint Parochiani sui sine ullo dispendio , vel difficultate accedere , & ideo poterit eos ad illos remittere , sequi excusare , etiamsi illi voluntarie , & ex privilegio Sacraenta ministrent , ut Regulares . Recte tamen subdit , monetque Suarez idem , regulariter Parochos teneri cavere , ne se ostendant difficiles in hoc ministerio , ne animos suorum subditorum remittant , sed ad piam po-

tius frequentiam allicant ; recole dicta qu. 1. num. 5. & pro hic dictis videri etiam potest . La-Croix lib. 6. par. 1. qu. 28. §§. 1. & 2.

Qu. VI. An Confessarius teneatur quotidie audire proprium prænitentem pro confessione , quotidie volentem communicare , & volentem præmittere quotidie Confessionem , alioquin non communicatum , vel ob teneritudinem conscientiæ , vel ob aliam rationabilem causam ?

&. Affirmat La-Croix lib. 6. par. 1. qu. 121. §. 4. qui rationem assignat , & obligationis explicat qualitatem , dicendo , quod Possunt , per se loquendo , Confessarii emanare de Confessionali , aut Saceriores ordinare , ut certis tantum diebus ad illud accedant ; quia per hoc nequidem indirecete impeditur Communio , nam personæ volentes communicare quotidie , censentur esse tales , quæ non indigeant quotidiana Confessione ; si tamen judicentur dignæ , & alia quam designata die petant Confessarium , cui solent , & nunc vellent confiteri , alioquin ob teneritudinem conscientiæ , aut aliam rationabilem causam non communicaturæ , audiri debent , etiamsi quotidie peterent : alioquin deterrentur , imo quod plus est , reipsa detinentur a Communione : nolle enim audire his potius diebus , quam aliis , est nolle , & causam esse , ut his diebus non communicent , cum tamen judicentur , esse dignæ ; ergo est contra Decretum (Innocentii XI. de Commun. quotid. infra describend.) Hinc n. 133. dixi cum communi : illum , qui obligatus est ad curam , peccaturum etiam contra justitiam , si nollet audire talem Parochianum , etiam quotidie volentem confiteri . Alius , qui non obligatur ex

Of-

Officio, attamen curam suscepit, agit saltem contra consilium, inquit Jo. Sanchez d. 31. n. 12. cuius tempore si hoc decretum (de Communione quotidiana) extitisset, proculdubio disiisset, agere contra illud; tum quia ipsa impedit paenitentem a Communione; tum etiam quia sine justa causa defraudat incremento duplicitis gratiae sacramentalis. Nec obstat, quod Confessarius nequidem nunc post Decretum teneatur praestare, quidquid talis paenitens, alioqui non communicatus, fieri vellet; Nam Confessarius tenetur paenitenti, cuius curam suscepit, non negare saltem hoc, quod est optima, & ordinaria, dispositio ad Communione; optima autem, & ordinaria dispositio ad Communione, praeferunt apud Laicos, est Confesso, nam plerique, quoties communicant, tates confitentur. Ergo. Hæc La-Croix.

16 Qu. VII. An habens facultatem, & approbationem sui Confessarii, communicandi quotidie, possit etiam communicare Feria VI. in Parasceve, in qua tamen non videamus, solere ministrari populo Communione? Et idem quæri posset de Sabbato Sancto.

R. Negative: Sed hanc quæstionem fuse tractabimus tamquam suo loco in Feria VI. Parasceves a n. 272. & in Sabbato Sancto n. 365. & sequ. vide ibi dicenda. Interim hic subjicimus Decretum Innocentii XI. de Communione quotidiana, quod sæpe allegavimus, & ante oculos ponere promisimus: seu Decretum S. C. Cardinalium Interpretum Concilii Tridentini, quod Decretum laudatus Romanus Pontifex approbavit, iussitque promulgari in tota Ecclesia, ea solemnitate, qua

TOM. I.

Constitutiones Pontificiæ promulgantur. Est autem tenoris sequentis.

DECRETUM

CIRCA COMMUNIONEM QUOTIDIANAM.

Datum Romæ 12. Februarii 1679.

CUM ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio pervernerit, in quibusdam Diaecesisbus vigere usum quotidiane Communionis, etiam in feria sexta Parasceves, & simul affirmari eamdem quotidianam Communionem præceptam esse a jure Di-vino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse; videlicet, quod aliqui, non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & domi, immacubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secreto illis. deferunt Sacerdotes sæculares aut regulares, aliique in Communione accipiunt plures formas ac particulas, vel grandiores solito, ac tandem quis. confiteatur peccata venialia simplici. Sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit S. Congregationi Cardinalium Concil. Trid. interpretum, eadem S. Congreg. prævia matura discussione super prædictis, unanimi sententia ita censuit: Ethi frequens quotidiane Sacrosancta Eucharistiæ usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, numquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus aut hebdomadibus dies statuerunt, quo nec Concil. Trident. prescripsit, sed

T

qua-

quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid excepere, tantum indicavit, cum inquit: Optaret quidem Sacrosancta Synodus in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiae perceptione communicarent; Idque non immerito: multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variae ob negotia spiritus alienationes, multæ e contra gratie, & Dei dona parvulis concesfa, quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cujusque dignitate atque integritate, & consequenter de frequentiore aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea, quod ad negotiatorum attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiae fructu, & ad pietatem processu laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod prospicient eorum salutis profuturum, id illis prescribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius animadverterent, cum Beatus Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vident orationi, eos serio admoneant tanto magis ob Sacratissimæ Eucharistiae reverentiam continentiae vacandum, puriorique mente ad cœlestium epularum Communionem esse convenientendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana sacra Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur; sed magis quid singulis permittendum per se aut Parochos seu Confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino prevideat, ut nemo a Sacro Convivio, seu frequenter seu quotidie ac-

cesserit, repellatur, & nibilominas det operam, ut unusquisque digne pro devotionis, & præparationis modo rarius aut cerebrius Dominicis Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie sacram Communionem petentes admonenda erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis comunicent. Si quæ vero puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiores, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatorum sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut ex dignitate Sacramenti ac Divini judicis formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri. Et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparacionem accingere. Episcopi autem, in quorum diocesis viget hujusmodi devotione erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipse adhibito prudentia, & judicis temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labore aut diligentia parcendum, ut omnis irreverentia, & scandali suscitio in veri, & inmaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque ac dona in sumentibus augeantur

tur. *Quod abunde continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio divina præstante gratia tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentius refici cupiunt, suis vires expendere, seque probare cum timore, & caritate assuerint.* Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in Cœlesti Regno se præmium est datus, precatur Sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur. Porro Episcopi, & Parochi seu Confessarii redarguant afferentes, Communione quotidianam esse de jure divino; doceant, in Ecclesiis seu Oratoriis privatis, ex dispensatione seu privilegio Pontificis, de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam; nec eamullo modo deferenda in crumena, aut secreto ad existentes domi, vel cubantes in lecto, præterquam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca predicta accedere non valeant: & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publice & cum pompa juxta formam Ritualis Roma-

ni; si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Current etiam, ut circa Communione in feria sexta Parasceves, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanae usus serventur. Insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiae formas seu particulas, neque grandiores, sed consuetas. Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarii, etiam Regulares, aut quicunque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defutaram Episcoporum, & Ordinariorum justam ac rigorosam animadversionem, in contrafaciens, etiam Regulares, etiam Societatis JESU, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specie-liter attributa.

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præsens Decretum typis dari ac publicari voluit. In querum, &c.



C A P U T I V.

DE INDULGENTIIS PLURIBUS QUOTIDIANIS.

A G I T U R §§. VII.

- §. I. *Indulgencie pro Rosario, & Coronis.*
- §. II. *Indulgencie pro Litanis.*
- §. III. *Indulgencie pro salutatione fraterna per invocationem, & laudem, aut etiam pro simplici invocatione SS. Nominis Jesu, & Marie.*
- §. IV. *Indulg. pro Salutatione B. Virginis.*
- §. V. *Indulgencie concessae comitantibus SS. Viaticum.*
- §. VI. *Indulg. pro docentibus Doctrinam Christianam.*
- §. VII. *Indulgencie pro Regularibus.*

§. I.

Indulgencie pro Rosario, & Coronis.

I RECITANTES Coronam Domini nostri Jesu Christi, quam Camaldulam vocant; toties, quoties recitaverint, consequuntur annos ducentos Indulgencie: quæ Defunctis applicati etiam potest. Eam concessit Clemens X. Constit. 160. §. 2. pag. 297. Bullar. Mainardi, & meminit Plaza de Purgator. par. 2. art. 5. §. 10. n. 24. Aliam Indulgenciam plenariam semel in mense notabimus l. 3. par. 1. c. 5. sect. 4. Aliam annuam pro recitantibus eamdem Coronam afferemus in Append. ad Calcem Diarii c. 12. n. 6.

2 Devote recitantes integrum Coronam septem Dolorum B. Virginis, toties, quoties recitaverint, obtinebunt annos septem, & totidem quadragenas Indulgencie, quam concessit Benedictus XIII. Item Clemens XII. Constit. 147. §. 3. pag. 14. tom. 14. concessit annos ducentos Indulgencie, quæ applicari etiam potest Animabus Purgatorii. Plaz. I.

cit. n. 25. Aliam Indulgenciam plenariam semel in mense notabimus l. 3. par. 1. c. 5. sect. 5. Aliam annuam pro recitantibus eamdem Coronam afferemus in Append. cit. cap. 12. num. 5.

Recitantes tertiam Rosarii partem lucrantur quinque annos, & totidem quadragenas Indulgencie ex concessione Sixti IV. Constit. 18. Ea quæ to. 1. Bullar. Cherub. & Benedictus XIII. omnibus utriusque sexus Christi fidelibus Rosarium, vel saltem tertiam pariem ejusdem devote recitantibus concessit Indulgenciam centum dierum pro qualibet oratione Dominica, & pro qualibet salutatione Angelica. Rosaria tamen debent esse, juxta solitum, benedicta a PP. Ordinis Prædicatorum: quemadmodum voluit, & declaravit laudatus Benedictus XIII. uti habetur ex Decreto S. C. Indulg. 13. April. 1726. apud Lucium Ferrar. V. Indulg. art. 6. nu. 8. Cujus Declarationis meminit etiam Meratus to. 2. in Rubr. Brev. sect. 5. c. 2. versus finem. Aliam Indulgenciam plenariam annuam pro recitantibus quo-

tidie per annum integrum tertiam saltem partem prædicti Rosarii notabimus in Appendix ad calcem Diarii c. 12. n. 8. Quid importet annus, dies, quadragena &c. Indulgenciarum? explicat La-Croix lib. 6. par. 2. q. 193. §. 5. n. 1381. qui videri potest.

- 4 Quilibet Fidelis habens Coronam, quæ vocatur S. Birgittæ, potest diebus singulis Indulgencias plures lucrari: nimirum centum dies Indulgenciarum toties, quoties cum prædicta Corona recitaverit Orationem Dominieam, aut Salutationem Angelicam, aut Symbolum fidei, hoc est *Credo*. Quoties autem quis recitaverit integrum Rosarium, sive solus, sive cum socio, lucrabitur annos septem, & totidem Quadragenas Indulgenciarum: quam Indulgenciam consequitur etiam socius; eamque omnes, & singuli prædictum Rosarium recitantes cum præfata Corona, applicare possunt Animabus Purgatorii. Has Indulgencias concessit Leo X. per suas Litteras incipit. *Ex clementi*. VI. Id. Jul. 1515. Aliam Indulgenciam plenariam annuam pro recitantibus quotidie per annum integrum Coronam prædictam, affermamus in cit. Appendix. c. 12. n. 7.

Interim hic animadvertisendum est: quod ad lucrandas præfatas Indulgencias concessas pro Coronis Sanctæ Birgittæ, requiritur, ut Coronæ a PP. Superioribus Monasteriorum, vel ab aliis Religiosis Ordinis S. Salvatoris, seu S. Birgittæ, ad id specialiter deputatis benedicantur. Item S. C. Indulg. 4. Decembris 1714. prohibuit, ne hujusmodi Coronæ S. Birgittæ vendantur, (Vide tamen dicenda tr. 2. in Sab. in Albis n. 18. & duobus sequentibus:) vel alteri

commodentur; & si secus fiat, declaravit, supradictas Indulgencias cessare, & nullius esse roboris, vel momenti. Apud Lucium Ferrar. V. Indulg. art. 4. n. 24.

Insuper animadvertisendum est: quod Indulgencias concessæ Coronis Sanctæ Birgittæ ab Alexandro VI. declaratae sunt apocryhæ, & nullius roboris, ac momenti: sine præjudicio tamen Indulgenciarum a Leone X. dictis Coronis concessarum VI. Id. Julii 1515. Ita in Indice lib. prohibit. Benedicti XIV. iussu edito, tit. de Decretis de libris prohibitis. §. 3. n. 10. edit. Rom. 1758. ex Typograph. R. Cam. Apostol. Et nota insuper hic, quod ibidem monetur num. 9. hoc est: Indulgencias omnes concessas Coronis, granis, seu Calculis, Crucibus, & Imaginibus sacris ante Decretum Clementis VIII. an. 1597. editum de forma Indulgenciarum, revocatas esse, atque apocryphas habendas, nisi a Summo Pontifice renovatae, ac confirmatae fuerint. Confer dicenda in Appendix. c. 12. §. 2. n. 4.

§. II.

Indulgencie pro Litaniis.

Q

UICUMQUE recitaverit Litanias approbatas SS. Nominis Jesu, lucratur trecentos dies Indulgenciarum. Concessit Sixtus V. Constit. Rededituri. edita 11. Julii 1587. Eamque confirmavit Clemens X. Constit. 131. pag. 219. tom. 7. & affert Plazza l. cit. n. 17. qui addit: hanc ipsam Indulgenciam approbatam fortasse confirmatamque fuisse etiam a Benedicto XIII. apud Amort. in q. q. practicis, post quæst. 52. n. 5.

Re-

150 Tr. I. Lib. I. Not. Quotid. in genere.

6 Recitantes Litanias B. Virginis consuetas , seu juxta morem , & consuetudinem in Romana Curia , & Domo Lauretana laudatæ Dei Genitricis usitatum , consequuntur ducentos dies Indulgentiæ , ex laudatis Pontificibus loc. citatis .

§. III.

Indulgentiæ pro salutatione fraterna , per invocationem , O laudem , aut etiam pro simplici Invocatione SS. Nominis Jesu , O Mariæ .

7 **Q**UIA non est aliud Nomen sub Cœlo datum hominibus , in quo oporteat nos salvos fieri , nisi Nomen Jesu : Act. 4. 12. idcirco omnibus , & singulis Christi fidelibus , qui hoc modo salutaverint alios , nempe suo vulgari , seu latino sermone : *Laudetur Jesus Christus* : & iis , qui sic responderint : *in secula* : vel *Amen* : aut *semper* : ubicumque id factum fuerit , tam salutantes , quam respondentes quinquaginta dies Indulgentiæ consequentur . Concessit Sixtus V. & approbavit , confirmavitque Clemens X. & fortasse etiam Benedictus XIII. locis §. 2. citatis .

8 Sixtus V. in Bulla *Reddituri* . 11. Julii 1587. universis Christi Fidelibus , qui SS. Nomen Jesu , aut Mariæ devote invocaverint , Indulgentiam viginti quinque dierum concessit ; iis vero , qui id agere consuerint , si in articulo mortis constituti , ore , vel si non potuerint , satem corde Sanctissimum Nomen Jesu , & Mariæ invocaverint , insuper Indulgentiam plenariam adjecit . Quas Indulgentias Apostolica auctoritate confirmavit Benedictus XIII. in suo Brev. 12. Januar. 1728. sic tradit Caval. to. 3. c. 9. decr. 3.

Easdem Indulgentias ex iisdem Pontificibus consequuntur Prædicatores verbi Divini , qui inter prædicandum insinuaverint Auditoribus suis prædictam rationem salutandi , invocandi , seu nominandi Santissima Nomina Jesu , & Mariæ , & illa recitandi in Litaniis ut §. 2. n. 5. & 6. & quicunque hac salutationis formam usui esse curaverint .

§. I V.

Indulgent. pro Salutatione B. Virginis .

QUICUMQUE devote intererit Antiphonæ *Salve Regina* . quæ post Completorium solemniter canitur in Ecclesiis Patrum Carmelitarum ; preceque ad Dominum fuderit pro concordia &c. lucrabitur centum dies Indulgentiæ , quam largitus est Clemens X. Constit. 131. §. 9. pag. 220. to. 7. Bullar. Rom. Mainardi , & meminit Plaz. I. cit. n. 21.

De Indulgentiis , quæ quotidie possunt luctari pro Salutatione Angelica ad pulsum campanæ vespere , mane , & meridie : seu pro Antiphona *Angelus Domini* , aut *Regina Cœli* cum erit tempus paschale : agemus c. 5. sequenti , ubi de prædicta salutatione Angelica . qu. 3. & 4. vide ibi dicenda .

§. V.

Indulgentiæ concessæ comitansibus SS. Viaticum .

QUICUMQUE devote comitantur SS. Eucharistia Sacramentum , dum per modum Viatici ad infirmos defertur , orantque pro pace &c. si comitentur lumen deferendo , lucrantur septem annos , & totidem quadragenas Indulgentiæ , si vero absque lu-

Cap. IV. De Indulg. plurib. Quotid. 151

Ilamine , sive cereo in manibus accenso , consequuntur quinque annos , & quinque quadragenias . Concessit hujusmodi Indulgentiam Innocentius XI. Constit. 42. pag. 57. t. 8. Bullar. Mainardi ; & Innocentius XII. addidit , quod , qui legitime impeditus , personaliter comitari non valens San&tissimum Viaticum , mittet in tali casu cereum per alium , consequetur tres annos , & totidem quadragenias Indulgentiaz . Constit. 98. pag. 115. tom. 9. & meminit Plazza l. cit. n. 27. Insuper legitime impediti , qui personaliter comitari nequierint Sacrum Viaticum , recitando semel *Pater noster* , & *Ave Maria* . ad mentem Pontificis , lucratur Indulgentiam centum dierum , ex concessione Pauli V. sub die 3. Novembr. 1606. confirmata a Clemente X. vivæ vocis oraculo per viam S. C. Indulgenc. die 23. Apr. 1676. uti testatur Lucius Ferrar. V. Indulgenc. art. 6. n. 13.

Multo ante laudatos Pontifices , nimirum an. 1429. 26. Maji Martinus V. Constit. *Ineffabile Sacramentum Sociantibus San&tissimum Sacramentum* , quando defertur ad infirmos , concederat , si præcederent , aut subsequerentur cum lumine , seu cereo in manibus accenso , dies centum Indulgentiaz ; si autem absque lumine devote sequerentur , dies quinquaginta . Qui adhuc Indulgentiaz dies duplicati fuerunt ab Eugenio IV. Constit. 6. tom. 1. Bullar. Cherub.

12 Notari hic commode potest : Asociantes Processionem SS. Saramenti , gaudere immunitate Ecclesiastica : ex Decreto S. C. Immunit. in Beneventana . 30. Septembr. 1636. ut ex Pascuccio , & Riccio refert

Meratus tom. 1. par. 4. tit. 12. n. 14. prope fin.

§. VI.

Indulgentia pro Docentibus Doctrinam Christianam.

PATRES , & Matresfamilias in 13 propriis domibus docentes Doctrinam Christianam , seu fidei rudimenta suos filios , famulos , aut familiares utriusque sexus , toties , quoties docuerint , lucrantur centum dies Indulgentiaz , quam concessit Gregorius XV. Brevi dato 27. Septem. 1622. incip. *Pietatis , & Christianæ charitatis* . Hanc Indulgentiam confirmavit Innocentius XI. Constit. 157. p. 392. t. 8. ut notat Plazza l. cit. n. 30.

Præceptores , qui in diebus festis 14 ducent discipulos suos ad Doctrinam Christianam , eamque illos docebunt , consequentur annos septem Indulgentiaz . Quod si in diebus feriatis , seu non festivis eamdem doctrinam explicabunt in proprio gymnasio , centum dies indulgentiaz lucrabuntur . Utramque concessit Pontifex Gregorius XV. in Brevi cit. ut meminiit Plaz. l. cit. n. 34. Videantur etiam dicenda in Domin. Resur. num. 48. Porro alias etiana plures Indulgentias concessit præfatus Pontifex docentibus , discentibus , promoventibus Doctrinam Christianam , quæ videri possunt in Brevi laudato . Interim

Nota hic primo : Congregationem 15 Indulgentiarum 22. Novembr. 1678. declarasse prædictam Indulgentiam a Gregorio XV. concessam non esse revocatam per quoddam Decretum Innocenti XI. 7. Martii 1678. uti testatur La-Croix lib. 6. par. 2. q. 187. §. 1. n. 1357. Hanc etiam In-

152 Tr. I. Lib. I. Not. Quotid. in genere.

Indulgentiam inter certas adscribit Piazza de Purgat. par. 2. art. 5. §. 10. nū. 81. Videri etiam potest Decretum Innocentii XI. de an. 1677. quod recitabimus in Martio
16 parte 1. n. 3.

Nota secundo: Ludimagistros pro simplici Doctrina Christiana pueris tradenda licite exigere mercedem: quia non traduant modo exhortatorio, aut tamquam Ministri verbi Divini: sed tantum doctrinaliter informando rudem intellectum. ita Suarez, Leym. & Ills. apud La-Croix lib. 3. par. 1. qu. 36. §. 4. n. 182.

De Doctrina Christiana populis tradenda, quave ratione, & methodo Fidelium indigentiaz hac in re consulendum sit? agit Benedictus XIV. in sua epist. incip. *Etsi minime*. est n. 8. inter ejus Constit. select. par. 1. & in par. 2. n. 78. legi potest ejusdem Pontificis Ep. encycl. incip. *Cum religiosis*.

§. VII.

Indulgentiae pro Regularibus.

17 PAULUS V. sua Constitutione data 23. Maii 1606. Romanus Pontifex. 21. to. 3. Bullar. Cherub. revocatis omnibus Indulgentiis directe concessis cuiuscumque Ordinis Regularibus, (quæ revocatio confirmatur in Indice librorum prohibitorum, Benedicti XIV. jussu edito, edit. Rom. an. 1758. ex typograph. R. Cam. Apostol. tit. de Decretis de libris prohibitis. §. 3. nū. 9. ubi sic: *Item Indulgentiae omnes concessæ quibuscumque Regularium Ordinibus, Confraternitatibus sacerdotibus, Capi- tulis, Collegiis, aut eorum superiori- bus ante Constitutionem ejusdem Cle-*

*mentis VIII. Quæcumque .. D. 7.
Decembr. 1604. & Pauli V. Ro-
manus Pontifex. D. 23. Maji 1606.
& Quæ salubriter. D. 23. Novembr.
1610. revocatae sunt, atque apocryphe
babendæ; nisi ab iisdem Summis Pon-
tificibus, aut eorum successoribus re-
novatae, & confirmatae fuerint) no-
vas, inquam, idem Paulus V. est
elargitus; inter quas §. 12. & 13.
concessit, ut Religiosi (quorum no-
mine in Bulla prædicta veniunt etiam Moniales, ut expresse declara-
tur ibi §. 18.) degentes intra clau-
stra; quolibet die recitaverint ante
Altare eorum Ecclesiæ; vel, si in-
veniantur extra Claustra, de licen-
tia Superioris sui, legitima de cau-
sa, ante quodlibet Altare recitave-
rint quinque *Pater*, & *Ave*, Indul-
gentiam consequantur annorum quin-
que, ac totidem quadragenarum.*

Nota hic: Religiosos infirmos, 18
aut senio confectos, qui Ecclesiæ
visitare, Eucharistiam sumere eo
die, quo sumenda est, pro asse-
quenda Indulgentia, aut alia exe-
qui non possint: omnes, & sin-
gulas Indulgentias concessas, &
concedendas, aliqua tamen pia ope-
ra, arbitrio Confessarii, diebus sta-
tutis exequendo, consequi valere.
Concessit Paulus V. pro Congrega-
tione Fuliensium, ut in eorum pri-
vilegiis impressis Antuerpiæ 1630.
in Bulla *Splendor*. an. 1609. adeo-
que post Indulgientiarum revocatio-
nem factam ab eodem Pontifice su-
pra relatam: ut notat Lucius Fer-
raris in sua biblioth. edit. 3. Bonon.
V. *Indulgenc.* art. 4. n. 10.

De Indulgentia, quam quotidie
quilibet lucratæ potest orando ad
pulsum campanæ pro Defunctis,
agamus infra c. 6.

C A.

C A P U T V.

D E S A L U T A T I O N E A N G E L I C A ,

Qua quotidie recitatur ad pulsus Campana

I N H O N O R E M B. M. V.

Et ad Incarnationis Dominice Mysterium recolendum.

INTER cætera pietatis exercitia , quæ in honorem SS. Dei Genitricis adhibere Christianus populus consuevit , quotidianum illud annumeratur , quo post finem diei usualis , & sub noctis initium , seu tenebris incipientibus dato per pulsus campanarum signo , Mysterium Incarnationis in utero M. Virginis Verbi Divini recolitur , insimul eamdem Beatisimam Virginem cum Gabriele Archangelo salutando , ejusque salutationem Angelicam ter recitando .

Fit autem prædicti mysterii Divini memoria , & Beate Virginis salutatio in hunc modum : *Angelus Domini nunciauit Mariae , & concepit de Spiritu Sancto . Ecce Ancilla Domini , fiat mibi secundum verbum tuum . Et Verbum caro factum est , & habitat in nobis . Cum tribus Ave Maria . Ita in Decreto Benedicti XIII. de Indulgent. pro hujusmodi Salutatione Angelica , & Benedictus XIV. ubi confirmavit hujusmodi Decretum laudati Prædecessoris sui in Edicto allegando nu. 19. Ita etiam apud Hieronymum Rodriqu. quest. Regul. tom. 2. quest. 87. art. 12. Lezan. sum. quest. Regul. tom. 3. V. Indulgentia , nu. 20. Benedict. Plaza de Purgator. part. 2. art. 5. §. 10. num. 18. Solet autem Ave*

TOM. I.

Maria recitari post singulas prædictas Antiphonas , ut animadvertist Plaz. loc. cit. nimirum sic : Angelus Domini Oc. Ave Maria Oc. Ecce Ancilla Domini Oc. Ave Maria Oc. Et Verbum caro Oc. Ave Maria Oc. In Cæremoniali Carmelitarum apud Lezanam loco cit. post ultimum Ave additur oratio : Gratiam tuam , quæsumus Domine , mentibus nostris infunde Oc. & deinde versus Fidelium Anima . Eamdem Orationem tamquam ex usu populi Christiani præscribit Quarti de bened. tit. 12. seſt. 12. dub. 8. §. 3. qui etiam addit , Angelus Domini nunciauit Oc. repetendum esse ut versum ante orationem. Verum id ab aliis non indicatur ; & item aliquam pareret dissonantiam , cum jam ut antiphona fuerit recitatum . Bene autem potest , consuevitque dici V. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix . & Ut digni efficiamur promissionibus Christi . Subdendo or. Gratiam tuam .

Præter hujusmodi universalissimum usum Beatissimam Virginem Dei Matrem quotidie sub Vesperum salutandi , solet etiam pluribus in locis , & præsertim in Communitatibus Religiosis , idem piissimum exercitium frequentari per duas adhuc vices alias , videlicet in Aurora , & Meridie , dato similiter campagna-

narum signo ; unde Suarez tom. 2. in 3. par. disp. 9. sect. 5. loquens de prædicta salutatione in Meridie, testatur : in Meridie signum salutandi prædicto modo Beatissimam Virginem dari in multis Ecclesiis. Rursum signum salutationis hujusmodi tum pro Meridie , tum pro Mane esse fere universale , significat idem Suarez eodem tom. 2. in 3. par. disp. 23. sect. 3. fine , ac Benedictus XIV. de festis B. M. V. c. 3. §. 2. Usum vero pliissimæ institutionis hujusmodi esse antiquissimum , constabit ex dicendis qu. 1. a. nu. 6. ubi de origine ejus , seu Auctore queremus .

3 In Ceremoniali Carmelitarum supra laudato præscribitur , exceptis Dominicis , genuflexi ad hujusmodi Salutationem Angelicam tempore quoque Paschali ; quo item tempore ad salutationem eamdem genuflexendum esse , alii docuere nonnulli ; sed & Meratus tom. 2. in Rub. Brev. sect. 5. c. 2. num. 11. prope fin. ait : ita declarasse Sacram Congregationem : videlicet esse genuflexendum tempore quoque Paschali , ad lucrandas Indulgencias quasdam concessas recitantibus illam . Attamen nam aliter res ista se habet : nam in primis tempore Paschali ad prædictum pulsus campanæ non est recitanda Antiphona *Angelus Domini* , sed *Antiphona Regina Cœli* , saltom ab iis , qui illam non ignoraverint . Deinde licet ii , qui Antiphonam *Regina Cœli* nesciverint , recitare possint illo adhuc tempore Antiphonam *Angelum Domini* , nihilominus ab hujusmodi quoque fidelibus non est tunc flexis genibus recitanda , ad lucrandas Indulgencias illi præfixas . Con-

stabunt hæc ex dicendis inferius qu. 3. nu. 19. Itaque oratio , sive Salutatio Angelica prædicta flexis genibus est recitanda : vide dicenda loco citato ; excepta Dominica die a primis Vesperis usque ad secundas : hoc est a Sabbato sero usque ad Dominicam sero : videantur iterum dicenda l. cit. & l. 2. in Dominica art. 7. n. 65. & 68. & item excepto paschali tempore , quo genua non flestantur . Vix dicenda tr. 2. lib. 5. par. 1. c. 3.

In eodem laudato Ceremoniali 4 Carmelitarum proponitur quidam modus dandi signum cum campanis ad prædictam Salutationem , nimirum sic : *Pulsatio Salutationis Angelicae post occasum Solis per tres ictus ter factos efficiatur , similiter in Aurora , & etiam in Meridie secundum ritum patriæ fiat .* Hæc ibi . Hunc etiam modum significat S. Antonius Archiepiscopus Florentinus usurpatum fuisse suo ævo , nimirum anno 1445. quo ipse clarebat ; sic enim habet summæ pars 4. tit. 15. cap. 24. §. 3. *Statuis insuper Ecclesia fidelis diebus paschali ter campanas Ecclesiarum de sero , & iterum de mane . Ad quid ? nisi ut honoretur B. Maria , & laudetur ex Salutatione Angelica ?* Hujusmodi quidam modus etiam nunc usurpatur , sed & adhiberi solet hic aliis , nimirum , ut dentur novem pulsus simpliciter , singuli cum æquali medico intervallo . In ultimo aurem triduo majoris hebdomadæ , eo tempore , quo campanæ silent , datur hujusmodi signum tabulari , seu Cnotato , hoc est ligneo instrumento , ut notum est ; de quo more dicitur tr. 2. l. 4. par. 2. c. 8. nu. 13. & in fer. VI. Cœle. n. 136. & 165.

No-

5 Nota hic: quod *Consuetudo immemorabilis aliquibus in locis*, ut campane in Salutatione Angelica non pulsantur ante pulsationem in Ecclesia Matrice, servanda est. S. R. C. 24. Septemb. 1605. in Giennae. apud Merat. ind. decret. Miss. n. 42. Idem nro. Quarti cit. §. 3. fin. ut quidem declaratum a laudata S. C. spud Lezanam. Et etiam generaliter loquendo, eadem S. C. R. 21. Augusti 1601. decreverat: quod si adit consuetuda pulsandi campanas non nisi post Cathedram, seu Matricem, observanda est. apud Gavant. Man. Episcop. par. I. V. Campane - in addit. n. 3.

6 Qu. I. Quare hujusmodi Angelica Salutatio in honorem B. Virginis recitetur, atque incarnati in Deipara Verbi Divini Mysterium recolatur diebus singulis sub Vesperam, aut etiam in Aurora, & Meridie; & quisnam ejusdem devotissime consuetudinis fuerit Autor?

R. Ad priorem questionis partem, dicendo primo: aliquos putare, Salutationem Angelicam in honorem B. Virginis recitari, atque incarnati in ea Verbi Divini Mysterium recoli sub Vesperum, eo quod Annunciatio, & Verbi Divini Incarnatio fuerit post Solis occasum, appetente nocte, peracta. Sed haec responsio non solvit omnem difficultatem, remanet enim dubium pro Aurora, & Meridie; cur videlicet, hisce quoque temporibus diei, similis Salutatio repetatur, similisque memoria recolatur? Deinde quod statuitur de hora Incarnationis, est valde dubium, ut statim videbimus.

7 Hinc alii secundo, dicunt: si praedictum signum ad recitandum

Salutationem Angelicam datur in memoriam Incarnationis Domini-
cæ, fieri diversis horis, fortasse quia non constat de hora certa, qua Incarnatio praedita acciderit; ita Suarez: to. 2. in 3. par. disp. 9. sect. 5. post initium; cui consentit Quarti de benediction. tit. 2. sect. 12. dub. 8. §. 2. Idipsum indubitanter affirmat Benedictus XIV. de Fest. B. V. c. 3. §. 2. Profecto nihil in Sanctis Patribus, & antiquis Autoribus de hac re dictum invenitur, teste eodem Suarez: I. cit. & licet, ut dictum est, aliqui putent, praedictum Mysterium fuisse peractum sub Vesperum, seu post Solis occasum, appetente jam nocte; alii tamen existimant, accidisse in Aurora matutina; pro qua opinione adducitur Sanctus Athanasius serm. de Deipara, ad finem. Alii vero verisimile esse, credunt, factum fuisse mox post medium noctem eadem hora qua Christus creditur natus: ita contendit Azorius Instit. moral. par. 2. lib. I. cap. 17. qu. 4. ac Suarez I. cit. & sequitur Quarti I. cit. At neque haec altera responsio videtur solvere difficultatem; imo potius illam augere; etenim ex eo quod incertum sit, qua hora praedictum mysterium acciderit; non videtur, cur ideo factum sit, ut illud diversis horis recolatur? Hujusmodi quidem similis incertitudo datur in nonnullis aliis similibus Mysteriis: quæ non ideo pluribus vicibus celebrantur, & recoluntur.

Quod si dicatur: cum haec Salutatio, & rememoratio sit quid modicum, visum fuisse in favorem diversarum opinionum praedictarum, facile induci consuetudinem potuisse, repetendi illam secundo saltem,

V 2 aut

aut etiam tertio singulis diebus: Adhuc est difficultas: cur in Meridie recitetur, ac recolatur? Si forte reponatur: quod etiam in Meridie reputetur Annuntiatio fuisse peracta; quam tamen opinionem nec Azorius, neque Suarez afferunt, nec alibi legi; nihilominus etiamsi ea detur, adhuc remanet aliqua difficultas: videlicet, cur prædictum signum Salutationis Angelicæ non etiam, & potius detur mox post medium noctem? qua cæteroqui hora Annuntiatio accidisse, verisimile esse, putatur ab Azorio, & Suarez, ut diximus supra.) Verum ad hoc responderi posset, quod ea hora sit admodum importuna communiter; cæterum, ut accepimus, nocte utique media datur a quibusdam Monachis, utpote quibus importuna non est, ad Nocturnum, seu Matutinum recitandum ea hora surgentibus; communiter autem, ut dicebamus, est admodum importuna.

9 Hinc alii tertio dicunt: si prædictum si, num datur in memoriam Incarnationis Dominicæ: id fieri diversis horis prædictis, nimirum Vespere, & in Aurora, & Meridie, fortasse quia non esset aliud tempus commodum, ut hujusmodi signum posset omnibus Fidelibus dari. Quod verius videtur eidem Suarez cit. sed. 5. ubi quidem dicit: quod, si prædictum signum datur in memoriam Incarnationis Dominicæ, vel id fit diversis horis, quia de hora certa non constat; vel certe quia non esset alia hora commoda, ut hujusmodi signum posset omnibus Fidelibus fieri. Verum hæc responsio non solvit illam difficultatem, quam nos supra tetigimus, videlicet, cur non semel, sed

pluries detur hujusmodi signum? Licet, posito quod pluries dandum sit, solvat quidem data responsio difficultatem, cur prædictis horis potius, quam aliis detur.

Hinc alii quarto, putant, ideo 10 signum dari ad Salutationem Angelicam recitandam ter in die, Vespere, Mane, & Meridie, ut intelligentianus, nobis opus esse, Dei, & Sanctorum auxilium saepius implorare, cum versemur in medio inimicorum visibilium; & invisibilium; & quod non sufficiat nobis arma orationis arripere solo actionum nostrarum initio, sed oporteat id ipsum in progressu, & fine praestare; ita Cardinalis Bellarminus in suo Catechismo, seu Opusculo Doctrinæ Christianæ c. 5. de Salut. Angel. fine. Sed hæc doctissimi, atque eruditissimi viri ratio non videtur satisfacere: etenim non datur signum ad orandum simpliciter, & quomodolibet, sed ad tales determinatae orationes, immo potius Salutationem in Sanctissimæ Dei Genitricis honorem ut supra nu. 4. audivimus a S. Antonino Archiep. Florent. & habet sensus communis omnium Fidelium.

Deinde idem Bellarminus etiam 11 ibidem affirmat, hujusmodi signum Salutationis Angelicæ dari Vespere, Mane, & Meridie, eo quod Ecclesia velit nobis jugiter in memoriam revocare tria ex mysteriis principaliibus nostræ Redemptionis, Incarnationem videlicet Domini, Passionem ejus, & Resurrectionem ejusdem. Ait itaque: Ecclesiam velle, ut mane Beatisimam Virginem salutemus in memoriam Dominicæ Resurrectionis: deinde iterum in meridie, ut recordemur Passionis Christi; Vespre autem, ad Incarnationis Mysteriū

rium recolendum : enimvero quemadmodum constat Dominum Iesum Christum fuisse in meridie crucifixum , & valde mane a mortuis surrexisse ; ita putatur Incarnationis Mysterium nocte fuisse peractum : Sic Bellarminus . Verum hæc quoque ratio mihi non arridet : quia in salutationis hujusmodi recitatione licet appareat Incarnationis Mysterium : non tamen videmus fieri mentionem Passionis , & Resurrectionis Domini . Neque ad hæc mysteria in memoria revocanda , satis esse videatur , quod horis prædictis utcumque oratio fiat . Si autem reponatur : manifeste fieri mentionem eorum in oratione *Gratiam tuam* , quæ recitatur , & subditur post triennam salutationem Angelicam cum consuetis autiphonis superius explicatis : Respondetur , quod oratio prædicta recitata non fuit initio institutionis Salutationis hujusmodi : & licet ea addi possit , & soleat ; tamen ut supra notavimus , nec quidem nunc requiritur ad rectam , & completam formulam Salutationis prædictæ . Moveor ex eo , quia de hujusmodi oratione recitanda nullam faciunt mentionem Hieronymus Rodriquez , & Piazza de hac re agentes , & formulam explicantes , quæ recitanda est pro hujusmodi quotidiana Salutatione Angelica : ut videre est supra n. 1. Sed nec ipsem Summus Pontifex Benedictus XIII. in suo Decreto de Indulg. concessa recitantibus hujusmodi Salutationem Angelicam , mentionem ullam facit Orationis prædictæ : ut etiam constat ex dictis l. cit. Nec item Benedictus XIV. ubi confirmavit prædictum Decretum fidelati Prædecessoris sui in Edicto allegenden. n. 19. Ergo Institutionis hu-

jusmodi ratio non videtur fuisse , in memoriam quotidie revocare , præter Mysterium Incarnationis , alia quoque duo Passionis , & Resurrectionis ; atque adeo nec potest dici : prædictum signum dari mane in memoriam Resurrectionis , & in Meridie Passionis .

Deinde in ratione præfata nulla videtur mentio fieri cultus specialis B. Virginis : cum cæteroqui principalis finis institutionis prædictæ , seu Salutationis hujusmodi fuerit honor illius ; quod quidem ita constat , & per se patet , ut non sit de eo hic ulla quæstio : sed plane eo præsupposito , solum queratur : cur hujusmodi Angelica Salutatio in honorem B. Virginis recitetur , atque Incarnati in Deipara Verbi Divini Mysterium recolatur singulis diebus Vespere , Mane , & Meridie ?

Ad hæc nos credimus , ideo singularis diebus iterum , iterumque Beataissimam Virginem orari , & per Salutationem Angelicam salutari : atque Incarnationis Dominicæ Mysterium recoli : quia congruum est , tantum Dei beneficium quotidie iterum iterumque saltem pro imbecillitate nostra recolere , debitasque Deo gratias agere ; Virginique Matri ex corde gratulari : eamdemque saepius salutare propter excellentiam suæ dignitatis ; eam item saepius orare tum propter multitudinem nostræ necessitatis , tum propter magnitudinem suæ potestatis ; vide dicenda l. 3. 8. Decembr. a n. 3. Quæ posterior ratio est ipsius Suarez cit. sect. 3. ubi affirmat : ideo Ecclesiam frequenter , ac instantius ad Virginem , quam ad reliquos Santos orare : nullus enim , inquit , est dies , in quo non illi publicas orationes offerat ; vel in horis Canonicas , vel in Mis.

Missæ Sacrificio, vel signo publice dato semel, aut bis, aut ter in die, ut universus populus Virginem deprecetur.

Pro ratione autem cur Vespere, Mane, & Meridie detur prædictum signum? admissimus illam, quamdat laudatus Suarez, & supra audiimus, nimirum quia sunt tempora communiter universaliter commoda ad hujusmodi orationem. Commodum quidem est, illam recitare Mane, seu in Aurora, quoniam oportet prævenire Solem ad benedictionem Dei, & ad ortum lucis eum adorare. *Sap. 16. 28.* antequam homo exeat ad opus suum, & ad operationem suam usque ad Vesperum. Vespere autem commodum etiam erit, quando quisque sese in domum suam recipere solet, & quietescere ab operationibus, seu laboribus suis; ut dicitur in *Ps. 103. v. 22. & 23.* *Ortus est Sol . . . exhibet homo ad opus suum: & ad operationem suam usque ad Vesperum.* Similiter & in Meridie, quando quisque negotia aliquantulum intermittere solet, & in domum suam sese recipere ad refectionem corporalem, & prandium. Sunt ergo prædicta tria tempora, communiter, universaliter commoda ad prædictam orationem, & salutationem.

Denique dici etiam potest: singulis diebus, totidem vicibus, prædictisque horis, nimirum Vespere, Mane, & Meridie hujusmodi orationem a Christiano populo recitari, & Incarnationis Dominicæ, atque humanæ Redemptionis memoriam frequentari juxta illud *Ps. 54. v. 18. & 19.* *Vespere, & Mane, & Meridie narrabo, & anuntiabo, & exaudier vocem meam.* Redimet in

pace animam meam. *Oc.* Hanc rationem insinuant Benedictus Piazza Devotion. Vindic. par. 2. c. 15. n. 57. Burius in Brevi notit. Rom. Pontificum, ubi de Joanne XXII. Quarti l. supra cit. Et hæc satis quo ad priorem partem propositæ questio-

nis. Veniamus nunc ad alteram partem questionis ejusdem, in qua quærebatur de Auctore consuetudinis prædictæ: quis nimirum ille fuerit? Et in hac questione nihil omnino certum potuit reperi, quem admodum nec se potuisse, Suarez ipse significat, ut infra dicimus. Itaque nonnulli dicunt: consuetudinem hujusmodi salutandi B. Virginem instituisse pro mane saltem, & Vespere Urbanum II. ad felicem exitum obtainendum Cruciatæ, seu Belli sancti adversus Infideles Terræ sanctæ, ex meritis, & intercessione Santissimæ Dei Genitricis. Cum autem hujusmodi sanctum Institutum post centum trinta novem annos in desuetudinem abiisset, fuisse renovatum a Gregorio IX. quem etiant, dicunt, addidisse repetitionem hujus Salutationis Angelicæ in Meridie, simili occasione: ad implorandum videlicet patrocinium ejusdem B. Virginis contra persecutores Ecclesiae, qui tunc illam vexabant; ita Arnoldus Monachus Benedictinus in suo opere inscripto: *Lignum Vitæ lib. 6. de signis Virg.* Sedit autem Urbanus II. an. 1088. Gregorius vero IX. an. 1227.

Alii tradunt: Seraphicum Doctorum Sanctorum Bonaventuram fuisse auctorem, ut ad Vesperam, dato signo campanæ pulsaretur ad Angelicam salutationem recitandam, & Mysterium incarnati in Deipara Verbi.

bi recolendum; quod existimaret ea hora peractum illud Mysterium; & in eam rem, cum Generalem Ordinis sui Moderatorem ageret, mandasse suis Concionatoribus, ut eniterrentur pium hunc usum fidelibus suadere. Ita legitur in Vita laudati Sancti Doctoris c. 8. teste Theophilico Raynaudo tom. 17. tract. de malevol. & benevol. erga Relig. sect. 2. pu. 3. §. 4. prope finem; ubi etiam scribit: quod Fr. Henricus Sedulius c. 2. §. 3. in ea laudat S. Bonaventurae Vita, quam suæ Seraphicæ historiæ intexit, in unam veluti gloriam, hoc intexit cum aliis sanctis Institutis, quæ proinde videtur, inquit, Sancto Bonaventurae Auctori tribuere. Ex quibus concludit Raynaudus, Sancto Bonaventurae tribuendam esse institutionem pulsandi Vespere campanam, ad recolendum Virginis a Gabriele salutare, & peractæ in ea Incarnationis Mysterium. Florebat autem Sanctus Bonaventura an. Domini 1271. Hujusmodi testimonii tribuentis Divo Bonaventurae consuetudinis hujus originem pro Vespere, meminit etiam Suarez tom. 2. in 3. par. disp. 9. sect. 5. initio; & disp. 23. sect. 3. fine: ubi tamen significat: se de ejus veritate dubitare; simul etenim dicit, se de origine consuetudinis hujus nihil omnino certum reperire potuisse.

Alii scribunt, Vespertinam B. Virginis salutationem ad pulsum campanæ adhiberi cœpisse tempore, quo sedebat Joannes Papa XXII. Quem etiam testantur anno Christi 1318. sui Pontificatus tertio pium istum morem in Ecclesia Xantonensi jam introductum Apostolica auctoritate commendasse, & ad om-

nes ampliasse Fideles. Ita ex Odotico Raynaldo Benedictus Piazza de Purgator. par. 2. art. 5. §. 10. nu. 20. & Devotion. vindic. part. 2^o c. 15. n. 55. Idque constare, ait, ex litteris posterioribus ejusdem Pontificis ad Angelum Episcopum Viterbiensem, suum in Urbe Vicarium, ab eodem Raynaldo exhibitis, quæ sunt tenoris sequentis: *Salutiferum illud verbum Ave Maria, est pium quidem Evangelice Salutationis elogium, orationis loco, quadam a Fidelibus veneratione praecipua est dicendum* &c. *Dudum satie ad reddendam dictæ Virgini gloriam, & per intercessionis ejus praesidium a Distino Numinе gratiam dictis fidelibus implorandam, quod in quolibet noctis crepusculo campanæ pulsatur, & ad sonum ejusdem ipsi fideles præmissæ salutationis verbum dicerent, pie duximus ordinandum* &c. Cujus ordinationis Pontificis observantia inculcatur in Concilio Parisiensi an. 1347. celebrato. Vid. Merat. to. 2. part. 1. sect. 5. c. 2. Tunc temporis auctem salutatio Angelica, tertio repetita, nondum recitabatur cum illis verbis: *Angelus Domini &c. sed & oratio Sancta Maria Mater Dei &c.* neque tunc recitari copta fuisse, intelligetur ex dicendis num. sequenti.

Consuetudo recitandi salutationem Angelicam ad pulsum campanæ Vespere, & Mane, vigebat universaliter anno 1445. ut constat ex testimonio S. Antonini Archiepiscopi Florentini, qui eo anno clarebat: cuius haec verba superius recitavimus: *Statuit insuper Ecclesia singulis diebus pulsari ter campanas Ecclesiærum de sero, & iterum de Mane; ad quid? nisi ut bonoretar B.*

Ma-

Maria, & laudetur ex salutatione Angelica.

Alii volunt Ludovicum XI. alii vero Callistum III. instituisse hujusmodi salutationem Angelicam pro Meridie: ad reprimendum videlicet furorem Turcarum, Regnum Ungariæ obsidentium, implorandum decreuisse auxilium SS. Virginis: quapropter confirmatis prioribus signis Salutationis Angelicæ addidisse tertium signum in Meridie; ita Brovius in suis Annalibus ad an. 1456. & Magri Notit. Ecclesiast. V. Salutatio. Sedit autem Callistus III. an. 1455.

Alii denique testantur consuetudinis recitandæ Salutationis Angelicæ ad pulsus campanæ in Meridie, nullibi fieri mentionem prius, quam in statutis Francisci de Puteo Prioris Carthusiæ majoris, qui vixit initio saeculi decimiseptimi; atque adeo contendunt, sub initium saeculi prædicti cœpisse, & quidem a Gallia; ita Mabillon præf. saecul. 5. Benedictin. cui adhærere videtur Benedictus XIV. to. I. Notific. 12. n. 11. Statutum vero laudati Prioris ita se habet: *In omnibus Domibus Ordinis, que sub Ditione sunt Domini Regis Francie, singulis diebus hora Meridie, ex Ordinatione Apostolica pulsetur campana pro Ave Maria, pro pace dicti Regni conservanda, eo modo, quo pulsatur hora Completorii: & singulæ Personæ earumdem Domorum dicant tribus vicibus Ave Maria, pro quibus, vice qualibet trecentos dies de Indulgentia ex Indulto Apostolico consequentur vere paenitentes, & confessi.* De Salutatione Angelica recitata in Meridie ad pulsus campanæ, præter tempus Vespertinum, & Matutinum, aliud testimonium habemus

ex prædicto eodem initio saeculi decimiseptimi, referente eodem Mabillon ex historia Monasterii Benedict. Parisiensis S. Germani a Pratis; hoc est: *Leonem Papam X. (ab anno 1513.) Guillelmo Episcopo Meldensis, & Lutevensis Civitatum, atque ejusdem Monasterii Abbatii concessisse ad spiritualem utilitatem utriusque Dioecesis suæ, & Suburbii S. Germani indigenarum, atque adventantium, ut quicumque ad pulsum campanæ in aurora, Meridie, & post Solis occasum Salutationem Angelicam ter flexis genibus recitaret, mille, & quingentos indulgentiarum dies singularis vicibus consequeretur.*

Denique notamus hic: quosdam 14 eruditos Scriptores tradere: inter preces populo prescriptas, Orationem seu Salutationem hanc *Ave Maria &c. primum inveniri apud Odonem de Soliaco Episcopum Parisiensem in suis statutis anno 1195. exaratis; sed verba illa: Sancta Maria &c. in nulla precum formula ante annum millesimum quingentesimum octavum reperiri. Tunc vero solunamodo dictum fuisse: Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus. Amen. Subinde Franciscanos addisse: & in hora mortis nostræ. Videri potest Cajet. Merat. I. supradicit. Et haec satis pro quaestione proposita.*

Quæst. II. An hujusmodi consuetudo obligationem inducat ita, ut peccet saltem venialiter, qui Salutationem Angelicam tempore, ac modo prædicto minime recitet? Videtur enim hec consuetudo tam generalis esse, ut hanc saltem obligationem inducat.

& Ex devotione tantum, non vero ex obligatione receptam hujusmodi

modi consuetudinem in populo Christiano esse , dicit Trullench in exposit. Bull. Cruc. l. i. §. 4. dub. 3. n. 4. & Th. Sanch. l. 5. Consil. c. 1. dub. 18. n. 4. Ita quidem per se loquendo : sed ex accidenti , & ex concomitantia vix posse omitti sine aliqua culpa , nisi ex rationabili causa , docet Suarez , quem alii sequuntur. Porro laudatus Doctor de Relig. tō. 2. tr. 4. lib. 3. de orat. vocal. c. 6. ubi generaliter examinat : utrum oratio vocalis privata sit necessaria ex præcepto ? ibi n. 11. descendens ad hunc particularem casum Salutationis Angelicæ ad pulsum campanæ Vespere , Mane , & Meridie , hæc habet : *In primis non credo , tunc (nimirum , quando datur signum prædictæ Salutationis Angelicæ :) esse obligationem orandi vocaliter ; nam privata est oratio ; & potest quis satisfacere orando mente . Item , etiam si quis oret voce , non cogitur ad certam formam orandi , verbi gratia , per Ave Maria , Vel Salve Regina &c. sed potest dicto aliquo hymno , vel pro sua unusquisque devotione orare . Deinde absolute , & per se , non credo , esse obligationem orandi tunc Virginem : nam illa consuetudo generaliter recepta est sub ratione devotionis , non obligationis . Dico autem : per se ; quia ex accidenti , & ex concomitantia vix potest omitti sine aliqua culpa , nisi ex rationabili causa : nam si quis publice illam omittat , aliquod scandalum præbet , & alios perturbat , periculumque est , ne videatur illam contemnere . Si autem omittat private , & sine causa , non fiet sine aliqua otiositate , vel ex nimio affectu ad aliquam commoditatem humanam , vel quid simile . Hæc Suarez , quem sequuntur Raynaudus to.*

TOM. I.

17. l. supra cit. Diana edit. coord. to. 6. tr. 1. R. 7. §. 4. Tancredi de Relig. tr. 3. lib. 3. disp. 3. n. 4. Hanc etiam doctrinam approbare videtur Benedictus Plaza Devot. vindic. par. 2. c. 15. num. 63. Addit Tancredi l. cit. se putare , esse posse mortale talem omissionem , si frequens sit , ratione scandali , quia solent fideles deducere magnam animi inordinationem ex frequenti omissione voluntaria talium orationum , & graviter offenduntur.

Qu. III. An aliqua Indulgentia 16 concessa sit recitantibus modo explicato hujusmodi salutationem Angelicam temporibus prædictis ?

R. Affirmative ; & quidem primo Joannes XXII. anno 1318. cum , ut aliqui scribunt , & nos retulimus qu. 1. n. 13. per universam Ecclesiastim extenderit piam hujusmodi consuetudinem recitandæ sub Vesperam Salutationis Angelicæ : prædicta hora , dato signo , recitantibus illam concessit dies decem Indulgenciarum ; ut constat ex ejusdem Litteris supra laudatis l. cit. post verba enim ibi ex eo recitata subdit : *Et ut prædicti Fideles ad hoc speciali munere inducerentur avidius , omnibus , & singularis prædicta hora (vespertina , ad pulsum campanæ) bujusmodi verba (salutationis Angelicæ ad reddendam B. Virgini gloriam :) devote dicentibus , de Omnipotentis Dei misericordia , & ejusdem gloriose Virginis , ac BB. AA. Petri , & Pauli meritis , & intercessionibus confidentes decem dies de Indulgentia duximus concedendas &c. hujus Indulgenciarum mentio fit in superiorius laudato Concil. Paris .*

Deinde Adrianum VI. qui sedit 17 anno 1522. Indulgentiam plenariam largitum fuisse omnibus Christi fide-

libus recitantibus post occasum Solis Vespere hujusmodi Salutationem B. V. modo superius explicato, testantur Viva in Append. Indulg. §. 2. La-Croix lib. 6. par. 2. quæst. 189. Hieronymus Rodriguez quæst. Regul. to. 2. qu. 87. art. 12. Lezana sum. to. 3. V. Indulg. n. 20. Diana to. 1. edit. coord. tr. 6. R. 10. §. 2. & iterum to. 4. tr. 5. R. 19. 6. 1. Fulgentius Castiglione Instruct. Confessar. Monial. par. 10. c. 3. n. 4. Quarti de Benedict. tit. 2. sedt. 12. dub. 8. §. 4. & alii plures. Nonnullæ Indulgentiæ quibusdam particularibus locis pro hac eadem concessæ ante prædictum annum, videri possunt qu. 1. n. 13. fine.

18 Item in Cærimoniali Carmelitarum, alias hic laudato, monetur Salutatio Angelica explicato modo recitanda ad pulsum campanæ, Vespere, Aurora, & Meridiæ; ut supra notavimus; & deinde subditur, & absolute asseritur sic: . . . *Quibus precibus Indulgentiam plenariam Paulus Papa III. concessit.*

19 Tandem recitantibus hanc salutationem Mane, aut Meridie, aut Vespere, centum dies Indulgentiæ concessit per singulas vices Benedictus XIII. in Brevi dato 14. Septembr. 1724. quod promulgavit per Edictum Cardinalis Paulucci Vicarii, & est n. 32. p. 356. to. 11. Bullar. Rom. Mainardi; sub conditione quod recitaretur flexis genibus ad pulsum campanæ. At vero Benedictus XIV. per Edictum Cardinalis Guadagni Vicarii editum 20. Aprilis 1742. & est n. 21. inter laudati Pontificis Constitutiones selectas par. 1. illam confirmans disposuit, ut a Vesperis Sabbati usque ad totam Dominicam reciteretur stando, juxta Rubri-

cam Romani Breviarii pro Antiphona finali B. Virginis a 1. Vesperis Dominicæ. Ad lucrados itaque prædictos centum dies Indulgentiæ debet hujusmodi salutatio Angelica recitari ad pulsum Campanæ, flexis genibus; vid. Bened. XIV. Instit. 61. n. 3. & 4. exceptis Dominicis diebus a primis Vesperis ad secundas; scilicet post occasum Solis diei Sabbati, usque ad occasum Solis inclusive diei Dominicæ; quemadmodum dicetur lib. 2. ubi de Dominicæ n. 65. & 68.

Ad obtinendos autem tempore paschali prædictos dies centum Indulgentiæ, non est recitanda explicata Salutatio Angelica, sed Antiphona *Regina Cœli*; cum sua oratione: *Deus, qui per Resurrectionem;* & recitari debet stando, quemadmodum recitantibus Horas Canonicas Rubrica præscribit, ut suo loco explicabitur tr. 2. l. 5. par. 1. c. 3. Ita etiam voluit laudatus Pontifex Benedictus XIV. in Edicto supra allegato; qui item permisit prædictam Antiphonam *Regina Cœli* ignorantibus, ut consueto modo, seu stantes explicatam salutationem Angelicam præfato adhuc paschali tempore recitarent.

Deinde idem Pontifex illis etiam, qui laudatas preces nesciant recitare, concessit, ut easdem Indulgentias consequi valeant recitando semel Orationem Dominicam, & simplicem salutationem Angelicam *Ave Maria*: dummodo habeant benedictam ab ipso Coronam aliquam, vel Crucem, aut Numisma; & facultatem addidit applicandi prædictam Indulgentiam fidelibus defunctis. apud Plaz. de Purgator. par. 2. art. 5. §. 10. n. 20.

Lau.

- 20 Laudati insuper Pontifices Benedictus XIII. & XIV. Indulgentiam plenariam confueto modo in perpetuum concessere singulis mensibus semel , die , qua libuerit , consequendam ab iis , qui per mensem integrum quotidie Salutationem Angelicam recitaverint modo , & situ explicatis , ad pulsum Campanæ , aut in Aurora , aut in Meridie , aut Vespere . Constit. supra laudat. apud Plaz. I. cit. n. 43. & Bened. XIV. to. 2. Notific. 61. n. 1. vid. dicenda I. 3. par. 1. c. 5. sect. 7. Benedictus XIII. prædictas Indulgentias a se concessas minime suspendi in Anno Santo , declaravit 10. Januar. 1725. ut tradit Luc. Ferraris V. Indulg. art. 9. n. 19. fine .
- 21 Nota hic 1. prædictis testimoniis Indulgentiarum non obstare : Innocentium XI. approbasse Decretum Sacrae Congregationis Indulg. editum an. 1678. die 7. Martii , in quo declarantur apocryphe quamplurime Indulgentiarum concessiones ; & inter illas annumeratur Indulgentia , quæ dicebatur concessa a Clemente X. recitantibus Mane , Meridie , & Vespere consuetam Antiphonam Angelus Domini Gc. & in fine : Deo gratias , & Marie . Quid Decretum ad verbum dat La-Croix lib. 6. par. 2. qu. 189. a n. 1367. Profecto ex prædicta Declaratione declaratur solum apocrypha Indulgentia illa Clementis X. ut ferebatur ; Non autem reprobantur aliae etiam anteriores præfato Decreto : ut quo ad Indulgentiam , ab Adriano concessam pro hac eadem re notarunt Viva , & La-Croix I. 1. cit. supra n. 17. & ex iis , aliquique Lucius Ferraris V. Indulg. art. 6. n. 18.
- 22 Nota 2. Regulares , aliquique in Regularium Domibus commorantes
- has Indulgentias consequi posse ; etiamsi hujusmodi salutationem B. V. recitaverint privatum alio tempore , quam Vespere , Aurora , & Meridie ; dummodo temporibus hisce inveiantur ab aliquibus regularibus functionibus impediti ; & item dummodo statim ac fuerint expediti ad hujusmodi Salutationem recitandam , mox illam recitent flexis genibus : nimirum , juxta superius dicta , nisi sit Dominica , aut tempus Paschale . Constat ex Indulto Benedicti XIII. die 5. Decembris 1727. emanato , quodque ad verbum dat Massæus Kresslinger in addit. ad theol. moral. Anacleti Reiffenstuel to. 2. tr. 12. dist. 13. quæst. 7. addit. 2. & Lucius Ferraris . V. Indulg. art. 6. n. 20. ac est tenoris sequentis

Litteris in forma Brevis emanatis die 14. Septembris an. 1724. Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XIII. omnibus utriusque sexus Fidelibus ad sonum campanæ consuetas preces Angelus Domini &c. recitantibus , semel in mense , die ab unoquoque eligendo , si confessi , & sacra Communione refecti fuerint &c. plenariam Indulgentiam conceperit . Reliquis vero diebus , prædictas preces uti supra recitantibus Indulgentiam centum dierum . Quia vero Sanctitati Suae expositum fuit , quod sæpe Regulares , aliquique in Religiosis Domibus commorantes , eo tempore , quo Mane , Meridie , aut Vespere campane pulsantur , quibusdam actionibus ad regularem observantium spectantibus detinentur , & ideo easdem preces tunc temporis recitare minime possunt ; ac insimul præfatorum nomine humillime supplicatum fuit , ut Sedis Apostolice dispensatione , prædictas preces alio tempore recitando , easdem Indulgentias lu-

crari valeant. Quapropter Sanctissimus Dominus Noster auditio voto S. Congregationis Indulgentiis, sacrificique Reliquiis præpositæ, benigne indulxit, ut Regulares omnes, aliisque in Religiosis Domibus commorantes sibi, dum, ut supra, campanæ pulsantur, aliquod opus exercent, quod ad Regularem observantiam pertinet, nihilominus supramemoratas Indulgentias acquirere possint, dummodo statim ac opus prædictum expletum fuerit, preces supramemoratas flexis genibus devote recitent. Videri insuper potest laudatus Massæus l. cit. in addit. 3. fine.

23 Interrog. An prædictas Indulgentias obtineant etiam illi qui ignorant, eas hujusmodi operi annexas esse?

R. Hoc pendet ex illa generali quæstione: utrum, videlicet, ad lucrandas Indulgentias, facientibus aliquod certum opus concessas, neesse sit, scire, illas Indulgentias esse annexas? Et in ea quæstione affirmativam sententiam aliqui tenent. Sed satis probabilis est aliorum sententia negativa, quam docet cum pluribus Diana edit. coord. to. 4. tr. 5. R. 19. §. 2. Pluribus etiam citatis approbat La-Croix l. 6. par. 2. qu. 182. §. 2. n. 1325. Hanc etiam sustinet Piazza de Purgator. par. 2. ait. 5. §. 7. n. 13.

In hac secunda igitur sententia dicendum est: satis probabile esse, Indulgentias concessas recitantibus Salutationem prædictam B. V. ad pulsum campanæ lucrari etiam eos, qui illas ignorent.

Pro majori tamen securitate expedit, mane expresse intentionem formare, obtinendi per opera diei præsentis, quidquid per illa potuerit

obtineri; ita recte La-Croix l. cit. & Plaz. l. cit. n. 16.

Qu. IV. An tempore Interdicti 24 possit publice recitari prædicta Salutatio B. V.? Et an possit dari signum, ut solet, campanarum sono, Vespe, Mane, & Meridie?

R. Recitari etiam publice posse, quia non est Divinum Officium, quod unum prohibetur, aut cum certis conditionibus permittitur tempore Interdicti. Unde sequitur, etiam licere, campanarum sono monere fideles pro ea recitanda. Porro prædicto tempore prohibetur campanarum sonus ad commonendos, seu convocandos Fideles ad Officia Divina. Vid. Filliuc. tom. 1. tr. 18. & 8. de censur. c. 3. qu. 3. n. 69. quæst. 8. num. 79. Bonac. tom. 1. disp. 5. de Interd. pu. 4. n. 4. 6. & 7. Avila de Censur. par. 5. disp. 4. sect. 1. dubit. 1. concl. 2. & sect. 2. dubit. 8. Tolet. Instruct. Confess. c. 53. n. 1. Sylvest. V. Interd. 5. qu. 5. n. 7. §. Sextum pro dicen. Lezan. Sum. V. Interd. Regul. n. 20. & 26. Chiavet. Consult. 148. n. 3. & consult. 150. n. 7. & Institut. Jur. canon. lib. 3. par. 2. c. 9. §. 9. n. 37. fine. Tambur. de Censur. tr. 3. de Interd. cap. 1. §. 3. n. 5.

Qu. V. An excommunicati vitandi, cuiusmodi sunt notorius Clerici percussor, & quivis nominatim excommunicatus, & specialiter ac publice denuntiatus; possint orare, seu hujusmodi Salutationem Angelicam cum aliis recitare, quando datur commune signum ad recitationem illius?

R. Affirmat La-Croix lib. 7. qu. 26. §. 7. n. 210. quamvis enim plerique tum orent, tamen unusquisque censetur orare pro se.

C A P U T V I.

DE ORATIONE PRO DEFUNCTIS NOCTURNA AD PULSUM CAMPANÆ.

GREGORIUS XIII. instituit orationem quotidianam pro fidelibus defunctis in Purgatorio existentibus; idque præcepit significari quotidie post Solis occasum, hora prima noctis, pulsatione campanarum, in omnibus Ecclesiis etiam Regularium; indulgentiasque concessit recitantibus pro illis, prima hora noctis, psalmum *De profundis*, vel ter orationem Dominicam, & salutationem Angelicam: uti refertur in Concilio Mediolanensi VI. ubi de iis, quæ ad funera pertinent; & in Cærement. Carmelit. apud Lezan. sum. to. 3. V. Indulg. n. 20.

Deinde Clemens XII. similiter statuit hujusmodi signum dari sub horam noctis; & orationem, quæ recitari beat, præscripsit, & certas quasdam Indulgentias concessit fundentibus illam. Nimirum recitantibus sub horam noctis, ad pulsum campanæ, flexis genibus, Psalmum *De profundis*, vel semel orationem Dominicam, & salutationem Angelicam cum versiculo *Requiem æternam* &c. concessit Indulgentiam quotidianam centum dierum; & semel in anno plenarium; ut constat ex sua Constit. 184. edita 14. Augusti 1736. quæ extat pag. 134. to. 14. Bullar. Rom. Caroli Cocquelines, estque tenoris sequentis.

CLEMENS PAPA XII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

COELESTES Ecclesiæ thesauros, quorum dispensationem Nobis commisit Deus ad Christi-fidelium pietatem fovendam; atque augendam, & Animarum salutem promovendam, liberenter erogamus. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi-fidelibus, qui sub horam noctis ad pulsum Campanæ, Psalmum *De profundis*; vel semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam cum versiculo *Requiem æternam* &c. in Suffragium Animarum Christi-fidelium Defunctorum flexis genibus devote recitaverint, quo die id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis paenitentiis, in forma Ecclesiæ consueta, relaxamus. Insuper eisdem Christi-fidelibus vere paenitentibus, & confessis, ac sacra Communione referatis, qui per annum præmissa peregerint, ac pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam in uno die cuiuslibet anni dumtaxat, per unumquemque Christi-fidem ad sui libitum eligendo lucrificiandam, omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præsentibus perpetuis futu-

turis temporibus valitatis &c. Datum Roma sub Annulo Piseatoris die 14. Augusti MDCCXXXVI.

2 Dicitur in allegato Decreto Clementis : prædictas preces recitandas esse *sub horam noctis*. Cæterum præfatas Indulgencias acquire posse , sive prædictæ orationes recitentur ante , sive post horam noctis , juxta cujusque loci consuetudinem , declarasse eumdem Clementem XII. die 12. Decembris , testatur Lucius Ferraris V. Indulg. art. 6. n. 21. fine ; qui etiam num. sequenti ait : *Indultum concessum a Benedicto XIII.* (relat. c. præc. numero 22.) pro Regularibus , & aliis in Regulare Domibus commorantibus ; quod scilicet , consuetam recitationem Salutationis Angelicæ ad pulsus campanæ , Vespere , Mane , & Meridie , ipsi differre possint , usque dum expediant actus religiosæ communictatis , in quibus occupari contigerit tribus præfatis temporibus ; videri , extendi , & applicari posse pro consimili dilatione recitationis prædictæ orationis nocturnæ pro Defunctis , de benigna interpretatione mentis Pontificiæ ; quia adest , inquit , eadem ratio : ne videlicet interrumpantur , & perturbentur pii , & devoti actus Religiosæ Communictatis ; quod pluribus juris textibus insinuat .

Quarti , (qui scripsit ante laudatum Pontificem Clementem XII.) de Benedict. tit. 2. sect. 12. dub. 9. §. 2. ait , Psalmo De profundis addi pro iisdem Defunctis orationem Deus omnium . Non apparet in Missis , & Officiis Defunctorum oratio ulla incipiens per ea verba ; sed proculdubio per errorem omisum est , verbum *Fidelium* , quod præmittendum

erat ; adest enim pro Defunctis oratio : *Fidelium Deus omnium Conditor , & Redemptor* . Verum quidquid sit de tali determinata oratione recitanda ; congruit quidem Psalmo De profundis præter versiculum Requiem eternam &c. a Pontifice recitari prescriptum , addi præfata vel similem orationem aliam pro Defunctis . Cæterum ad lucrandam Indulgentiam non requiritur ; Pontifex enim de ea non meminit , atque adeo non exigit . Recitandus autem est Psalmus De profundis quando pulsantur campanæ ad orationem hujusmodi , & genibus flexis : ut præmissum est , ac videri potest Benedictus XIV. Instit. 61. nu. 3. ac 4. & quidem flexis genibus recitandus adhuc in Dominicis , & tempore paschali ob rationem assignandam in Dominica n. 70. , ubi allelabimus auctoritatem Quarti pro hac re . Qui item cit. §. 2. fine ait ; quod post preces hujusmodi pro defunctis non sint facienda illæ salutaciones ad invicem , quæ fieri solent post quotidianam salutationem Angelicam ad signum campanæ ; sed cum silentio surgendum sit : quia salutatio ad invicem magis congruit gaudio ; & e contra , silentium mœrori ; (V. dicenda tr. 2. in Triduo ante Pascha n. 21. & 26.) mœroris autem signa congruunt memorie mortis , & peccati ac pœnarum purgantium Animarum , que fit in oratione præfata pro mortuis .

Quæres , an sit peccatum , hujusmodi orationem pro Defunctis omittere ? De ea enim videtur adesse universalis consuetudo .

& eodem modo discurrendum est 3 se , puto , pro ista omissione , ac pro omissione Salutationis Angelicæ ,

ce, quæ ad pulsū campanæ consuevit similiter recitari Vespere, Mane, & Meridie. Vide dicta cap. præc. qu. 2. n. 15.

4 Nota hic quod *Ubi ex dispositione Testatorum singulis diebus canendum est in Ecclesia Responsorium pro Defunctis*, potest quotidie decantari, exceptis festis prima, & secundæ classis, & octavis privilegiatis, nec non tota majori bebdomada; in prædictis autem festis prima & secundæ classis, & octavis privilegiatis, ac majori bebdomada ne pia Testatorum voluntas defraudetur, Responsorium prædictum recitetur privatim in Choro, absolutis horis canonicas. S. R. C. 8. Julii 1741. apud Caval. tom. 3. c. 18. Decr. 3. Hoc autem Decreto editum fuisse in Lamacen. pro Monialibus Monasterii de Chagas: habetur in opere Merati in 2. append. Decr. Miss. nu. 843., & in 2. append. Decr. Brev. n. 419. ubi sic illud describitur. *Responsorium ex Testamento quotidie cantandum pro*

Defunctis a Monialibus Monasterii de Chagas, potest cantari post Missam decantatam, exceptis diebus primæ, & secundæ classis, octavis eorumdem febrorum privilegiatis, nec non tota bebdomada majori: in quibus diebus, ne pia Testatorum voluntas defraudetur, recitetur privatim in Choro a Monialibus prædictis, absolutis horis canonicas. S. R. C. 8. Julii 1741. in Lamacen. Censet Caval. loc. cit. nu. 1. diebus omnibus, quibus non licet publica, & solemnis decantatio officii Defunctorum, abstinentiam esse a decantatione Responsorii, de quo allegatum procedit Decretum; licet eorumdem dierum minime fecerit mentionem; unde diebus, ut supra, exceptis addit etiam dies omnes Dominicas, & festivas de præcepto, & Vigilias Nativitatis, & Pentecostes. Numero autem 3. putat, non esse necessarium, sed solum congruentius, prædictum Responsorium recitari privatim in Choro absolutis horis canonicas.



C A.

C A P U T VII.

DE BENEDICTIONE MENSÆ, GRATIARUM ACTIONE,
ET LECTIONE AD MENSAM.

ICAP. Non licet. 12. dist. 44. dicitur : Nec oportet ali quando Clericos , nisi hymno dicto , comedere panem ; & post cibos gratias Auctori Deo referre . In Romano item Breviario ad calcem traditur formula benedicendi Mensam , & gratias agendi post sumptum cibum . Sumendos cibos esse benedicendos , & post refectionem gratias agendas , tradiderunt multi , & gravissimi Patres , teste Suarez de Relig. to. 2. Tract. 4. lib. 3. de Orat. voc. c. 6. num. 16. Et quidem Tertullianus laudatus a Laurentio Beyerlink in Theatro Vitæ hum. V. cibus . §. de Cib. benedict. Tit. de exempl. hystor. tamquam de re suo jam tempore , atque adeo a primis Ecclesiæ nascientis temporibus nota omnibus , & communiter usurpata loquens , dicit : quod Oratio auspicatur & claudit cibum . Quibus verbis manifeste significat , in primitiva etiam Ecclesia a veteribus illis Christi-fidelibus consueisse Mensam benedici , & gratias agi Deo post sumptam refectionem . Apud vulgatum Clementem Rom. lib. 7. Constit. Apostol. c. 50. ponitur Oratio ad sumendum cibum ; quod opus etsi non sit Clementis Romani , communiter tamen jam creditur esse Auctoris eruditii , qui Sæculo saltem tertio floruerit . Vid. Merat. To. I. in Rub. Miss. p. 1. in Præliminar. n. 26. Item S. Athanasius Serm. de Regulis servandæ Virginitatis , monet , benedicendum esse cibum su-

mendum , ac laudandum Patrem nostrum cœlestem , & gratias ei agendas pro collatis alimentis , & donis ; & gratias iterum agendas esse post cibum ; simulque de hac re brevem aliquam formulam præbet , dicens : Comede panem tuum , Domino gratias agens in mensa tua , ad hunc modum : Benedictus Deus &c. Et ubi sederis ad Mensam , & incœperis frangere panem , ter eum confignans , his verbis gratias age : Gratias agimus tibi . Serva autem ista , & fac glorificationes in Mensa , eritque tibi cibus sanctificatus . Cum igitur surrexeris a Mensa , rursum gratias agendo , trinis vicibus dicas : Misericordia & misericors Dominus escam dedit timentibus se . Gloria Patri , & Filio , & Spiritui Sancto . Hæc S. Athanasius Sermone laudato , qui extat tom. 3. operum ejus pag. 398. edit. paris. an. 1581. interpr. Petro Nonno . Rursus benedicendos cibos , & gratias agendas , post sumptum cibum , tradit etiam S. Hieronymus epist. 22. ad Eustochium de Custodi Virgin. versus finem , ubi ait : Nec cibi sumantur , nisi oratione premissa : nec recedatur a Mensa , nisi referatur Creatori gratia . Deinde in vita S. Pauli primi Eremitæ fit mentione benedictionis ciborum , & gratiarum actionis post sumptum cibum , tamquam de re jam tunc communiter usurpata ; sic enim legitur in lectione secunda secundi Nocturni in ejus festo : Cum gratiarum actione ad fontem capientes cibum

bum (Paulus , & Antonius) , ubi tantisper recreati sunt , iterum gratiis de more Deo actis . &c. S. Hieronymus autem in vita ejusdem S. Pauli his usus est verbis : *Igitur Domino gratiarum actione celebrata , super vitrei marginem fontis , uterque consedit* (Paulus , & Antonius Abbas ad cibum sumendum) *Deinde paululum aquæ in fonte prono ore libaverunt : & immolantes Deo Sacrificium laudis &c.* Alterum referemus ex Vitis Patrum Palæmonis exemplum infra qu. 10. n. 30. Denique institutionem hujusmodi commendant etiam Chrysostomus , Basilius , Ephrem , Cyrus Alexandrinus , Origenes , Theophila&us , quorum loca signat Jo. Lorinus in c. 10. Act. ad v. 9.

Consuetudo ergo benedicendi Mensam , & gratias agendi post cibum , antiquissima est , omnibus Sæculis commendata , & ab ipsis Apostolis dicitur tradita : ut a Paulo ad Timotheum 1. c. 4. ubi Apostolus prænunciat , surrecturos nonnullos Hæreticos , qui suaderent hominibus , abstinere a certis cibis , non quidem abstinentiæ studio , seu temperantia virtute ; sed tamquam a malis , & immundis rebus , quibus comedentium animæ inquinarentur ; ut profecto fuerunt Simoniani , Saturniani , qui Apostolorum tempore vixerunt , aliisque , de quibus qu. 4. n. 14. meminerimus. Hujusmodi itaque Hæretici ab Apostolo prædicuntur , quod suasuri erant hominibus : *Abstinere a cibis , quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus , & iis , qui cognoverunt veritatem . Quamvis Creatura Dei bona est , & nihil rejiciendum , quod cum gratiarum actione percipitur : sanctificatur enim per ver-*

TOM. I.

bum Dei , & orationem . Hæc propozitio nens fratribus , bonus eris minister Christi Jesu , enutritus verbis fidei , & bonæ doctrine , quam affecutus es . Hæc Apostolus ad Timotheum . Quæ ex Augustino de peccator. merit. & remiss. lib. 2. c. 26. & Turrecremata in cit. c. Non liceat. intelligenda sunt de benedictione mensæ : idem significat Jo. Maldonatus in c. 14. Matth. v. 19. in illud verbum *benedixit* . In allegato igitur testimonio , tradit Apostolus usum jam tunc introductum inter fideles , benedicendi cibos : monet insuper Timotheum , ut hujusmodi morem servare , & custodire doceat populum fidem , & ab erroribus Hæreticorum , qui erant contrarium suasuri , cavere . Idem institutum commendare videtur laudatus S. Apostolus 1. ad Corintb. c. 10. v. 30. & 31. ubi sic habet : *Si ego cum gratia percipio . (de cibis videlicet , de quibus ibi sermonem habet) : quid blasphemor pro eo , quod gratias ago ? sive ergo manducatis , sive bibitis , sive aliud quid faciatis ; omnia in gloriam Dei facite . Sed & clarissimum testimonium habemus , & gratissimum ejusdem Apostoli exemplum Act. c. 27. v. 35. ubi dicitur , quod navigationis socios tempestate jactatos volens animæquiores facere , & longa fractos inedia ad sumendum cibum allicere : Sumens panem , gratias egit Deo in conspectu omnium , & cum fregisset , cœpit manducare . Et quidem indubitatum mihi est : omnes Apostolos hujusmodi morem servare consueville , utpote qui Christi Domini Præceptoris exempla , quæ ipsi suis met oculis prospexerant , studabant in omnibus imitari .*

Profecto Christo Domino solempne

Y

ne

ne fuit, sumendos benedicere cibos; & item gratias Patri suo agere pro præstis alimentis, sive post sumptam refectionem. Matth. 14. 19. turbam pascere dignatus quinque panibus, & duobus piscibus divina sua virtute multiplicandis: *Cum iussisset Turbam discubere super sœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in Cœlum benedixit, & fregit, & dedit Eccl.* Et iterum Matthæi 15. 36. præcepit Turba, ut discumberent super terram, & accipiens panes, & pisces, & gratias agens Eccl. Hoc est benedicens. Vid. Jo. Maldonatum in c. 14. Matth. v. 19. in illud verbum benedixit, & Cornel. a-Lapide in c. 15. Matth. v. 36. Item in ultima Cœna idem Christus Dominus, & discipuli ejus expletis epulis, *Et hymno dicto, exierunt &c. ut referunt Matthæus 26. 30. & Marcus 14. 26.* Ubi loquuntur tamquam de re omnibus nota, & fieri consueta post Cœnam saltem Paschalem, & a Christo Domino etiam observata, ut scilicet redderentur Deo gratiae. Unde S. Hieronymus Comment. in Marc. prædicta verba *Hymno dicto*, sic interpretatur: *Idest, Laude Domini: ut est in Psalmo: & Laudabunt Dominum, qui requirunt eum: & manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terre.* Et fortasse recitatus fuit a Christo quidam consuetus hymnus in gratiarum actionem; ut observat Baronius ad an. Christi 34. n. 65. & ante illum Theophilactus allegandus quæst. 4. Cui sententiæ adhæret Benedictus XIV. de Festis lib. 1. c. 6. n. 46. Et quidem Laudatus Baronius in hixus veteri cuidam Rituali Hebræorum, scribit, eos consueisse præter Pascha, in aliis quo-

quoque aliarum solemnitatum Cœnis Psalmos recitare nonnullos, currenti Mysterio convenientes, & in solemnitate Paschali recitasse Psalmum centesimum decimum tertium: *In exitu Israel de Egypto*, cum nonnullis aliis brevioribus. Idem indicare videtur Lorinus Præfat. in Psalmos c. 14. versus finem, ubi scribit; hujusmodi hymnum ab Hebræis sanctis post Cœnam recitari solitum, constasse Psalmis sex. Vide etiam Jacobum Tirinum Comment. in Matth. c. 26. v. 30. Porro ut docet S. Isidorus Hyspalensis Episc. lib. 1. de Eccl. Off. c. 6. Carmina quæcumque in Dei Laudem recitata, hymni vocantur, & Walafridus Strabo lib. de reb. Eccl. c. 25. notandum esse, ait, hymnos dici non tantum, qui metris, vel rhythmis decurrunt, verum etiam cæteras Laudationes, quæ verbis convenientibus, & sonis dulcioribus proferuntur: unde & liber Hymnorum vocatur; & in hoc sensu, & alludendo proculdubio ad præfatum exemplum Christi in ultima Cœna, ad prædicta Evangelii verba: *hymno dicto exierunt*: dicitur in superius allegato Can: *Non liceat. quod Nec oportet aliquando Clericos, nisi hymno dicto comedere.* Ita quidem: licet ex communiori Ecclesiæ usu hymnus strictæ sumptus distinguatur a Psalmis: ut innotescat discrimen inter laudes divinas a Davide concinnatas, seu ex libro Psalmorum desumptas, & alias laudes metricas a Catholicis Auditoribus compositas. Verum quidquid Christus Dominus recitaverit in gratiarum actionem: nobis sufficit, ex prædicto loco intelligere, aliquid recitatum fuisse a Christo Domino, suo, & Hebræorum more post sumptum

ptum cibum , in gratiarum actionem.

In Lege autem veteri receptum fuisse , ut cibi benedicerentur , antequam sumerentur , certasque etiam orationes Hebreos præmittere solitos , certisque benedictionum formulis usos , colligunt nonnulli ex responso dato Sauli , & ejus puero interrogantibus de Samuele 1. Reg. 9. 13. ubi dicitur : *Ingredientes Urbem , statim invenientis eum , antequam ascendat Excelsum ad vescendum ; neque enim comesturus est populus , donec ille veniat : quia ipse benedicit Hostiae , & deinceps comedunt , qui vocati sunt .* Vide Augustinum Calmet , & Joannem Stephanum Menochium Comment. in hunc locum ; & favet etiam versio Chaldaica : ubi enim legimus : *Benedicit Hostia : Chaldaeus legit : Benedict super cibos : teste Gavanto in Rubr. Brew. sect. 9. c. 6. n. 3. & videri etiam potest Theophilus Raynaudus to. 16. sect. 2. pu. 6. §. de Bened. Mensæ inter Iudeos .*

Quem Hebræorum morem , utpote satis laudabilem , sequutus merito creditur Christus Dominus in omni refectione , dum in terris visus est , & cum hominibus conversatus est . Sed & post Resurrectionem suam idem Salvator noster , cum a duobus ex discipulis suis in Emmaus commenantibus fuerit invitatus ad cœnam ; *Dum recamberet cum eis , accepit panem , & benedicit : ut refert Lucas 24. 30. Et licet Maldonatus , & a-Lapide hic , aliquique verbum benedicit interpretentur ; Consecravit in Sacramentum Corporis sui ; Contra tamen Suarez to. 3. in 3. par. de Sacram. disp. 43. sect. 3. prope finem docet : probabilius esse*

cum Jansenio , & aliis , in dicto exemplo Christum non consecrasse ; non est enim , inquit , verisimile , communicasse discipulos non satis dispositos , nec in fide constantes . Item quia ibi nulla fit mentio consecrationis , neque est signum ejus ; unde Eusebius Emiss. homil. in feriam secundam Paschæ dicit ; tunc Christum fecisse solam id , quod facere solebat , cum inter discipulos suos versabatur , panem scilicet benedixisse simpliciter ; & pro hac re videri etiam potest Benedictus XIV. de festis Dom. c. 8. §. 4. Prædictis autem Eusebii verbis , & allegata ipsius testimonio confirmatur etiam quod supra asseruimus , hoc est : Solemne fuisse Christo Domino , sumendos benedicere cibos , dum cum suis versaretur Apostolis per triennium ante passionem suam . Jamvero Christus Dominus etiam in hac re exemplum dedit nobis , ut quemadmodum ipse fecit , ita & nos faciamus ; ut significat Suar. de Relig. 1. superius cit. & expresse affirmat Theophilactus , aliquique laudandi qu. 4. Ubi consuetudinem , quæ viget , maxime apud Regulares , benedicendi mensam , & gratias agendi post illam , a Christo Domino originem habere , docebimus .

Qu. I. Utrum benedicendi Mensam , & gratias agendi post illam , sit per se aliqua obligatio sub onere peccati , si omittatur ?

R. Affirmat Geminianus in cit. C. Non licet . relatus a Raynaudo l. infra cit. Et quidem vult , obli- gari Clericos sub mortali ad benedi- cionem mensæ . Sed hæc ejus opinio est contra communem , ut notat Ga- vantus l. cit. n. 6 Docent quidem

Y 2 etiam

etiam Navarrus in *Man. c. 25. n. 110.* fundatus in eodem C. non licet . aliique apud Raynaudum l. statim cit. obligari Clericos sub peccato , sed veniali . Quod eti^s videatur approbare ipse Gavantus l. cit. nec contradicat Sa V.-Clericus n. 23. & favet Rabanus de *Instit. Cleric.* l. 2. c. 10. ubi ait : quod *Cibum non prius sumere licet , quam interposita oratione* : Attamen etiam hoc rejicit Suarez loc. cit. cui consentit Theophilus Raynaud. *to. 16. sect. 2. pu. 6.* §. de fructu , ac necessitate. sanctificat. exculcentor. & poculentor. Tancredi de Relig. *Tract. 3. lib. 3. disput. 3. qu. 2. num. 7. Quarti de benedict. tit. 3. sect. 7. dub. 2.* Idipsum docet La-Croix l. 1. qu. 79. §. 1. , & videri etiam potest idem l. 5. quæst. 35. §. 3.

Et vero in allegato C. Non licet in quo opposita fundatur opinio , in primis non est verbum per se , & simpliciter præceptivum : solum enim dicitur : *Nec oportet aliquando Clericos* &c. Porro verbum : non oportet : in jure Canonico , modo quidem necessitatem , atque præceptum , modo autem nonnisi honestatis officium , atque decentiam denotat , juxta varias rerum circumstantias : quemadmodum cum Baldello animadvertisit Benedictus XIV. *Constit. 3. incip. Declarasti tom. 2. Bullar. ejus* , & cum Du-Bois in motivo juris art. 5. notat La-Croix lib. 1. de legib. q. 102. §. 2. Licet apud eumdem ibidem Suarez ; Sanchez , & alii sustineant verbum Oportet in Legibus non importare imperium , sed simpliciter honestatem , & convenientiam . Afferitur igitur in jure prædicto verbum : *Nec oportet* : non importare debitum stricti

juris , sed solius decentiæ , & honestatis ; sicut ibidem dicitur : *Nec oportet Clericos , utk Laicos Religiosos ante sacram horam diei tertiam inire convivia* : & tamen non propterea est peccatum veniale , id facere . Accedit , quod , teste Suarez , Canon ille non sit Martini Papæ , ut est in Gratiano ; sed habetur inter Canones Martini Bracharensis Episcopi , estque sexagesimus quintus . Et licet illi Canones ex Græcis , & Latinis Conciliis sumpti esse referantur , non tamen constat de hoc in particulari , unde sumptus sit ? nec quam obligationem inducere potuerit ? ita Suarez ; qui ideo censet : esse hoc tantummodo optimum consilium a multis , & gravissimis Patribus traditum , & ab ipso Christo , ut in præcedentibus ostendimus , & etiam erudite attingit Joannes Lorinus ad Cap. 10. *Act. v. 9.* in fine : non tamen existimat , de hoc esse jus positivum specialiter constitutum .

Verum eti^s hæc absolute , & per 4 se vera putemus : nihilominus videatur negari non posse ; hujusmodi benedictionem , & gratiarum actionem vix omitti licere sine aliqua culpa , præsertim a Communitatibus Regularium , in quibus hujusmodi vel consilium , vel quæcumque sit lex , sive sancta consuetudo semper servata fuit , & peculiari ipsius Religionis lege confirmata inveniri solet . Discurrendum itaque in hac re esse , dicimus , quemadmodum ex ipso Suarez docuimus c. 5. qu. 2. num. 15. loquentes de consuetudine recitandi quotidie salutationem Angelicam ad pulsum Campanæ . Videlicet , quod , sicut consuetudo illa , quamvis per se loquendo , & se-

secluso scandalō, ad nullum peccatum obliget; eo quod nos videatur recepta sub ratione obligationis, sed tantum sub ratione devotionis; vix tamen potest omitti sine aliqua culpa, sive publice omittatur, sive privatim: quia si publice; aliquod scandalum præbetur, & alii perturbanter, atque periculum est, ne contemni videatur; si autem privatim; & sine causa; non fiet sine aliqua otiositate, vel ex nimio affectu ad aliquam commoditatem humanam, vel quid simile: ita similiter, imo a fortiori idem est dicendum de hac alia consuetudine magis gravi, antiquissima traditione Patrum consignata, & Christi Domini exemplo, & consilio commendata: dicendum, inquam, est: Benedictiōnē Mensæ, & gratiarum actionē post refectiōnē vix omitti posse sine aliqua culpa: quia si publice, & in loco ubi hujusmodi institutum adeo commendatum observari consueverit, omittatur; aliquod scandalum præbetur, & alii perturbantur, periculumque est, ne videatur contemni; si autem omittatur private, non fiet sine aliqua acedia, vel ex nimio affectu ad aliquam commoditatem humanam, vel ex nimia gula, quæ morulam non patiatur edendi, vel ex simili.

5 Qu. II. Utrum omnino oporteat hujusmodi benedictiō, & gratiarum actio certa quadam formula, & expressis verbis, seu vocaliter fieri?

R. Congruum quidem est, ut præsertim Clerici utantur ea formula, quam diximus in Breviario Romano præscribi, & ad ejus calcem inveniri descriptam. Apud vulgatum Clementem Rom. lib. 7. Condit. Apostol c. 50. describitur oratio quæ-

dam ad sumendum cibum, quemadmodum innuimus nū. I. similiter Athanasius, ut ibidem notavimus, certam aliquam formulam tradit benedicendi cibum, & gratias agendi post sumptum cibum. Chrysostomus hom. 56. in Matt. meminit formulæ ab Eremitis usurpari solitæ. Ceterum non omnino opus est, certa uti formula, nec prorsus oportet, ut vocaliter fiat, sed sufficit, si fiat mentaliter: ita Suarez l. cit. ubi, ut quæstione præcedenti vidi mus, dicit; putare se, non esse jus positivum, de mensa benedicenda, & gratiarum actione agenda post cibum, specialiter constitutum, & addit: præfertim de oratione vocali; nam, inquit, quidquid de hac precatione recta ratio dictat, posset non solum sine culpa, sed etiam sine imperfectione per mentalem orationem observari. Consentit Quart. de Benedict. tit. 3. sect. 7. dub. 2. Igitur Benedictiō mensæ, & gratiarum actio, non datur per se obligatio ulla, ut fiat vocaliter, sed potest etiam solum mentaliter,

Dixi: per se: quia aliunde potest dari; puta apud illos Regulares, quibus Regula præscribit, ut utantur certa formula: v. g. ea, quæ in Breviario Romano præscribitur, & tunc erit obligatio, prout obliget Regula; ut colligi potest ex Suarez n. 17.

Qu. III. An tempore Interdiīti 6 possit benedici mensa?

R. Affirmative, quia non est diuinum officium. Divini Officii nomine, quod Interdiīti tempore prohibetur intelligitur tantummodo illud, quod fit in Ecclesia a Ministro Ecclesiastico, seu a Persona consecrata, vel deputata ad illud Officium; atque

que adeo Officia , quæ ex modo suo non requirunt Personam ecclesiasticam ad ea deputatam , non censentur prohibita tempore Interdicti , eo quod non censentur Officia Ecclesiastica , & communia , sed privata . Atqui benedictio mensæ non requirit per se Ecclesiasticam Personam , sed potest a quolibet fieri , uti docebimus qu. 9. Ergo ec. Vide *Filliuc. 10. I. Tr. 18. & 8. de Censur. c. 3. n. 79. Bonac. 10. I. de Censur. disput. 5. de Interd. pu. 4. num. 4. Avilam de Censur. par. 5. disp. 4. scđt. 1. dubit. 1. concl. 2. Sylvestr. V. Interd. qu. 2. n. 3. prope fin. & qu. 4. n. 6. post initium , & iterum versus finem . Lexan. V. Interd. Regular. n. 20. Chiarvet. consult. 148. num. 30. Sa V. Interd. n. 14.*

7 Docet autem Theophilus Raynaldus *to. 16. scđt. 2. pu. 6. §. de fructu , & necessit. sanctification. esculent. & poculent. benedictionem Mensæ Solemnam inter propria Clericorum officia numerari . Unde tempore Interdicti , quo est plenum institutum Divinorum Officiorum , excluditur , inquit , etiam Solemnis benedictio Mensæ , nisi adsit privilegium , quale Minoribus concessit Leo X. ex Roderico *tom. 2. qq. Regular. qu. 109. art. 2. Ita ille . Quod tamen intelligo de casu , quo benedictio Mensæ impertiretur a Sacerdote parato cum Cotta , & Stola ; quæ quidem esset benedictio Solemnis ; aliter , & ut communiter consuevit , est benedictio simplex , & non solemnis , quamvis a Sacerdote etiam publice impertiatur ; & uti talem se eam agnosceret , significat ipse Raynaldus cit. pu. 6. versus fin. §. de aliis Anomaliis circa benedict. esca ,**

ac potus . Videri ad hanc rem pos- sunt ea , quæ in simili docebimus de Litaniis Sanctorum lib. 3. 25. April. n. 22.

Ex regula item significata de Divinis Officiis solemniter celebratis , & Interdicti tempore vetitis : inter hujusmodi Divina Officia numero benedictiones illorum ciborum , de quibus in Missali Rom. ad calcem , puta Agni Paschalis , ovorum in Paschate , Panis , Novorum fructuum ; per formulas ibi propositas , & ratione ibi præscripta : nimis ratiū hi cibi benedicuntur per se a Sacerdote parato cum cotta , & stola , & aspersione aquæ benedictæ . Hujusmodi itaque benedictio tali ritu perfecta inter Divina Officia est computanda , & Interdicti tempore interdicta censenda . Quapropter non licet panem , & novos fructus solemniter benedicere tempore Interdicti sive particularis , sive generalis . Agnum vero Paschalem , & ova in die Paschæ benedicere etiam solemniter licet tempore Interdicti localis generalis , posito quod benedicitur in Paschate ; quia tunc suspenditur tale Interdictum : minime vero licet , si Interdictum sit particulare , quia hoc non suspenditur . Vid. dicenda tr. 2. in Dom. Refur. n. 32. & 58.

Qu. IV. Quare benedicendi sint cibi : & gratiæ Deo agendæ post cibum ?

R. Id utique ex variis congruentiis , & propter bona non pauca , quæ nobis inde poterunt provenire : & mala , quæ a nobis poterunt propulsari , & averti . Benedicimus igitur primo cibos edendos ad exenplum Christi , & Apostolorum suorum ; qui sumendos cibos benedicebant ,

bant , & post sumptum cibum gratias agebant , ut supra notavimus : unde Theophilactus *Comment. in Evangel. S. Marci* c. 14. ait : *Et antequam , & postquam bibissent , gratias egerunt , ut & nos dicamus , quod oporteat gratias agere Christo , & ipsum laudare & ante , & post cibum .* & Honorius in *Gemma lib. 2. c. 63.* inquit : *Consuetudo benedicendi cibum , vel post cibum gratias agendi , ab ipso Domino capitur , qui quinque panes benedixit , & post cœnam hymnum dixit . Ita etiam Baronius ad an-* Christi 34. n. 65. Gavant. in *rur- bie. Breviar. sect. 9. c. 6. n. 2. Be- nedictus XIV. de fest. Domini c. 6. §. 4. fine .*

io Deinde ex Apostolo 1. ad Timoth. 4. *Cibus , quem sumimus , sanctificatur per verbum Dei , hoc est per benedictionem . Vide dicta n. 1. sub fine , ubi etiam sub init. habes testimonium , & verba S. Athanasii dicentis : Fac glorificationes in mensa , eritque tibi cibus , & potus sanctificatus . Ergo accedit ali- quid cibo ex eo , quod benedicitur ; ut bene arguit Joan. Maldonatus in c. 14. *Mattb. v. 9.* in illud verbum benedixit versus finem , ubi meminit allegati Apostolici te- stimonii . Illud autem , quod accedit cibo per benedictionem , utique ali- quod bonum est ; sed quodnam illud ? nimirum valet ciborum benedictio ad abigendos Dæmones , ut ait Chrysostomus *de fide Annæ* . Un- de ex usu Ecclesiæ signum Crucis addimus , ut dicemus qu. 10. n. 29. quo veluti cibos expiamus . Apposi- te S. Gregorius lib. 1. Dialog. c. 4. narrat , Dæmonem invasisse Monia- lem quamdam , quod lactucam co- medisset non præmissa benedictione ,*

hoc est : *signo Crucis benedicere obli- ta . Cujus quidem exempli meminit etiam Beleth de Divin. Offic. c. 127. & subdit , ac monet , quod nullus quovis die quicquam vel edere , vel bibere deberet , quod non ante sit benedicendum . Simile quid alteri Puel- lae accidisse refert Durand. in Ra- tion. l. 6. c. 86. n. 8. tamquam te- stis de visu ; unde etiam animad- vertit , neminem debere aliquid un- quam comedere , nisi prius saltem signo Crucis facto . Sed & laudatus Chrysostomus contra istiusmodi ma- leficia remedium præscribit Crucis signum , & benedictionem , qua Deum supplices deprecamur , ut per Christi Domini merita , ac pro sua bonitate mereamur , ut cibus sumen- dus nobis eveniat salutaris tam ani- mæ , quam corpori . Exempla ad hanc rem legi possunt apud Theo- phylum Raynaudum to. 16. sect. 2. pn. 6. de usu perpetuo benedictionis esce , & potus .*

Rursus valet benedictio Mensæ ad 11 continentiam nostram in cibo , & potu , ut dicit etiam Chrysostomus l. cit. scilicet ad compescendam gu- lam , & ad temperantiam debitam in corporis refectione servandam , atque decentiam , sive modestiam in comedendo custodiendam , ut non reficiamur brutorum more . Ideoque S. Athanasius *de regul. servand. vir- ginit.* reprehendit eos , qui benedi- ctione non præmissa comedunt . Hinc dici potest , cibos esse benedicendos , ut in hoc etiam distinguamur à brutis : & hoc bene confirmat , quod scribit Theophilus Raynaudus loco sup. cit. ubi fine hæc habet : *In regula Magistri , ut refertur in con- cordia Regul. c. 57. §. 4. collaudatis superponentibus in Paracœve , idest , diem*

diem illum prorsus absque cibo ullo exigentibus ; ita sit facultas vescendi ea die nolentibus superponere , ut pro magna pœna irrogetur illis comedio absque benedictione , & signatione refæctionis ; ut ex eo brutio reficiendi modo erubescant , quod vel unum diem noluerint superponere . Item ex Rabano de Instit. Clericor. lib. 2. c. 10. Cibum non prius sumero licet , quam interposita oratione ; priora enim bæbenda sunt spiritus refrigeria , quam carnis , quia priora sunt cælestia , quam terrena .

- 12 Denique adhibetur benedictio ad laudandum Deum , ut par est , pro præsentibus , & futuris bonis ; ex Basilio epist. 1. prope finem : & ad profitendum , nos velle cibo vesci ad honorem Dei ; & ut corporalem vitam sustenteremus juxta ipsius voluntatem , ad inserviendum ei in præsenti Sæculo . & juxta illud Apostoli 1. ad Cor. 10, 31. Sive ergo manducatis , sive bibitis , sive aliud quid facitis , omnia in gloriam Dei facite . Porro esse aliquam obligationem , omnes actiones nostras aliquo modo referendi ad Deum ; ex laudato textu , & alio simili ad Col. 3. 17. evinci , notat La-Croix l. 5. q. 34. §. 2. Quoniam autem sensu tencamur omnia referre ad Deum ; explicat sequ. §. 3. qui videri potest , & videri etiam potest qu. 53. §. 7.

- 13 Gratiaz deinde Deo post sumptum cibum aguntur , quia id etiam suo nos exemplo Christus edocuit , ut jam dictum est n. 9.

Item quia id recta ratio dicit : ut innuit Suarez n. 16. unde ipsis etiam Infidelibus , & Barbaris fuit in usu gratiarum actio post cibum , imo & ipsa , more quodam , & arbitratu suo , Mensæ benedictio : uti

testatur Plutarcus in Sypos. & memorat ex Athenæo Laur. Beyerl. in. Promptuar. moral. parte byemali , feria 2. Paschæ textu 7. ac narrat Sozomenus lib. 3. bist. c. 14. Rursus , ex Rabano loco sup. cit. Post cibum orare convenit , ut Domino pro suis donis gratiæ referantur , ut illud in hoc compleatur Psalmista , quo dixit : edent pauperes , & saturabuntur , & laudabunt Dominum qui requirunt eum .

Profecto ut pro collatis a Deo nobis donis gratias agamus , ipse quoque expedit Dominus , ut significavit Luc. c. 17. ver. 18. ubi cum de decem Leprosis ab eo mundatis , dum irent ad Sacerdotes , ut ipse jussicerat , tantum redierit unus , ad acceptum beneficium profitendum & humiliter gratias agendas , hanc de cæteris Christus protulit querimoniam : Nonne decem mundatis sunt , & novem ubi sunt ? non est reversus , qui rediret , & daret gloriam Deo , nisi hic alienigena . Hæc Dominus . Non quasi vero Deus illorum laude egeret : sed Ut gratum animum ostendentes majora beneficia perciperent . Quemadmodum notat Salmeron to. 6. tr. 38. Et ut ait etiam Chrysostomus hom. 29. in Gen. versus fin. Quoniam non ut nostra celebratione opus habens , hoc fieri vult ; sed ut quidquid id lucri est , iterum ad nos redeat , & dignos faciamus nos ipsis majoribus subfidiis . Et expressus ad rem nostram idem S. Pater hom. 79. ad Populum Antioch. inquit : Mensa namque ab oratione sumens initium , & in orationem defens , numquam deficiet : sed fonte largius omnia nobis affert bona .

Sed & pro collatis alimentis specialiter etiam , & expresse videtur Deus ab hominibus gratiarum actio- nes

des expetere : quod significat Psal. 21. v. 27. Edent pauperes , & satrabuntur : & laudabunt Dominum . Et Ecclesiastici c. 32. v. 17. clarius sic monet : Super his omnibus benedictio Dominum , qui fecit te , & inebriantem te ab omnibus bonis suis . Item inter cætera , & innumerabilia beneficia populo suo collata , meminit de eo , quod , ut eum sitientem reficeret ; Eduxit rivos de petra durissima , & cibavit eum manna in solitudine . Insuper illum se introducerum promisit in terram Frumenti , hordei , ac vinearum , in qua siens , & malogranata , & oliveta nascentur : terram olei , ac mellis : ubi absque ulla penuria comedes pānem tuum , & rerum omnium abundantia perfrueris . Deuter. 8. Sed pro hujusmodi corporis alimentis gratiarum expetit actiones , subdit enim : Ut cum comederas , & satiates fueris , benedicas Domino Deo tuo pro terra optima , quam dedit tibi . Observa , & cave , ne quando obliviscaris Domini Dei tui , & negligas mandata ejus , atque judicia , & cæremonias , quas ego præcipio tibi hodie : ne postquam comederas , & satiates fueris . . . non reminiscaris Domini Dei tui . Quo loco Gavantus in Rubr. Brev. sect. 9. c. 6. n. 3. dicit : Hebreis datum fuisse præceptum a Deo de gratiis agendis post sumptum cibum .

14 Ex laudato autem testimonio Scripturarum aliam colligo rationem , ex qua gratiae a nobis agende sint Deo pro collatis cibis ; nimirum ut sic profiteamur ., Deum Creatorem eorum , & a Deo ipso nobis fuisse collatos , & in posterum conferendos . Quam quidem rationem , non dubito , quin Ecclesia Catholica etiam respexerit , in recipiendo ,

TOM. I.

seu introducendo usu gratiarum actionis post sumptum cibum ; ad impugnandos videlicet , & confundendos quosdam Hæreticos , qui dicebant , cibos non a Deo , sed a Dæmone fuisse creatos , unde maledicebant ei , qui fecerat illos ; ut fuerunt Simoniani , Saturniniani , qui tempore Apostolorum vixerunt ; Ebionitæ , Manichæi , Marcionitæ , Encratici , qui carnibus abstinebant , quod eas a malo Deo creates dicerent , & natura sua immundas , earumque esu hominem maculari . De Marcione scribit Epiph. hæref. 42. quod pronunciaret reos judicii eos , qui carnem ederent , quasi animas devorarent .

Contra vero sentiunt Catholici : Unde in formula , qua Ecclesia Romana utitur , & in Breviario Romano proponitur , gratias agendi post refractionem , sic dicitur initio ex Psal. 144. V. 10. Consiteantur tibi , Domine , omnia opera tua &c. Profitentes nimirum , carnales seu materiales etiam cibos opera esse Domini Creatoris . Adversus præfatam hæresim scribit prædicens Apostolus , & gratiarum actionis usum laudatum commendat Fidelibus , scribens Timotheo 1. cap. 4. sic : Spiritus autem manifeste dicit , quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide , attendentes spiritibus erroris , & doctrinis Dæmoniorum , in hypocrisi loquentium mendacium , & cauteriantem babentium suam conscientiam , probibentium nubere , abstinere a cibis , quos Deus creavit , ad percipendum cum gratiarum actione fidelibus , & iis , qui cognoverunt veritatem . Quia omnis Creatura Dei bona est , & nihil rejiciendum , quod cum gratiarum actione percipitur : Sanctifica-

Z

tur

tur enim per verbum Dei, & orationem. Hæc proponens Fratribus, bonus eris Minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei, & bone doctrinæ, quam affectus es. Hæc Apostolus. In quibus, ut patet, loquitur de predicta hæresi: ei autem vulp' opponi, & commendat benedictionem ciborum, & gratiarum actionem post sumptum cibum, ut cum Divo Augustino, Turrecremata, & Maldonato notavimus num. 1. Et quidem etiam super Altare aliquando cibos oblatos benedictosque fuisse, ad confutandum præfatum hæreticorum erorem, notabimus in Dom. Resur. n. 53.

15 Denique gratias agimus post sumptum cibum, & oramus ad delenda peccata venialia in refectione commissa ex gula contra temperantiam; ut Chrysostomus docet in *Psal. 41.* & laudat Gavantus n. 6.

16 Qu. V. Utrum de cibis benedictis in hujuscemodi benedictione Mensæ, præsertim si adhibetur formula ab Ecclesia præscripta, habendus sit aliquis respectus religiosus, tamquam de rebus sacris; unde non possit de his cibis dari bestiis, nec reliquæ projici in loca sordida, & immunda?

R. Negative; sed possunt adhiberi, quemadmodum poterant, priusquam benedicerentur. Ita *Gobat 10. 2. tratt. 5. c. 23. sect. 5. n. 254.* & *258. La-Croix lib. 6. par. 1. qu. 41. §. 6. Quarti de benedict. tit. 1. sect. 7. dub. 4. fine.* Theophilus Raynaldus *to. 16. sect. 2. pu. 6. fine,* qui etiam allegat Autorem operis imperfecti in *Mattb. hom. 17.* & est communis, & certa.

Hanc doctrinam Gobat, & alii probant ex eo; quia cibi benedicitur benedictione invocativa: Quæ

autem sic benedicuntur, posse adhiberi, dicunt, ad eosdem usus, ad quos poterant priusquam benedicerentur.

Verum hæc ratio fallit: cum aliquæ dentur res benedictæ benedictione invocativa, quas tamen ad usus profanos indecentes, imo etiam decentes adhiberi posse, negabimus *lib. 3. 2. Febr. art. 3. §. 8. qu. 3.* & *Tract. 2. in Fer. IV. Cinerum subs. 2. §. 11. qu. 3.* & *in Dom. Palm. subs. 2. §. 13. qu. 3.*

Prædictæ itaque doctrinæ ratio, 17

nôstro judicio, vera hæc est, quia nimirum cibi benedicuntur benedictione simpliciter invocativa, quæ autem sic benedicuntur, possunt adhiberi ad eosdem usus, ad quos poterant, priusquam benedicerentur. Ex nostra etenim sententia: duplex est admittenda benedictio Invocativa: una simpliciter talis; altera media intet simpliciter invocativam, & simpliciter consacrativam. Videantur dicenda *2. Febr. l. cit.* Jam vero, licet secundum etiam ibi dicenda, rebus benedictis benedictione Media debeatur ex nostra sententia aliquis religiosus positivus respectus, & reverentia positiva, ex qua non possint adhiberi ut prius: sectus autem est decidendum de rebus benedictis benedictione simpliciter invocativa. Porro hæc benedictio est, per quam res nullo prorsus modo redundunt consecratæ, quia ad nullum usum sacram, vel per se pium, & religiosum, sive Ecclesiasticum ex intentione, & instituto Ecclesiæ destinantur, sed solum, & simpliciter invocatur specialis assistentia Dei circa illarum rerum usum communem, & sibi competentem: cuiusmodi benedictiones benedicuntur etiam Dominus

mus nova, Thalamus, Navis nova, & similia. Quæ autem sic benedictuntur, non apparet cur illis inde debeatur ullus respectus, & reverentia religiosa, atque adeo non est, cur non possint adhiberi, ut poterant prius: & constat ex Domo benedicta, Thalamo benedicto, Navi benedicta, & similibus rebus similiter benedictis, quibus nulla adhibetur religiosa reverentia, ratione benedictionis simpliciter invocativa.

Quod autem cibi benedicantur benedictione *simpliciter* invocativa, constat ex eo, quia ex primaria, imo unica intentione Ecclesiæ, & populi fidelis non destinantur ad usum sacram, sed profanum, & communem, scilicet ad corporis nutritiōnem; invocato tamen Deo, qui nos illis uti faciat in gloriam suam: unde eorum benedictio non est nisi quædam *simplex* invocatio Dei, & oratio, ut Deus ipse nos, & nostra esculenta, & poculenta benedicit, hoc est salutaria nobis efficiat; ideo dicitur: *Benedic Domine nos, O bœ tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi:* quemadmodum in superioribus est explicatum.

Accedit; Benedictionem Mensæ, seu ciborum in Mensa non habere rationem Officii Ecclesiastici, per se loquendo, ut docuimus qu. 3. nisi forte fieret solemnitor a Sacerdote ornato cotta, & stola, ut ibidem diximus n. 7. unde, per se loquendo, benedici possunt cibi etiam a Clerico in minoribus, imo & a Laico, imo etiam a Muliere, secundum dicenda qu. 9.

¹⁸ Et confirmatur I. Quia cibi benedicti in benedictione Mensæ non solent appellari simpliciter benedicti: unde Panem e. g. post bene-

dictionem Mensæ non appellamus *Panem benedictum*.

Confirmatur II. Ex universalis præxi fidelium doctiorum etiam, atque timoratorum omnium; nemo enim habet aliquem peculiarem respectum de cibis benedictis in generali benedictione Mensæ; nec religio, seu scrupulus quemquam tangit, si de illis præbeat canibus, aut reliquias projiciat in fimetum.

Nihilominus objicies I. Exemplum ¹⁹ S. Corbiniani Episcopi Frisingensis, quod in ejus vita refertur, hoc est: cum die quadam a Grimoaldo Principe invitatus fuisset ad prandium, ipse vir sanctus benedixit Mensam; at cum Grimoaldus frustum panis canibus inter epulas proiecisset: id S. Corbinianus gravissime accepit ita; ut iratus statim e Mensa surrexerit, Principem ea de re acriter reprehenderit, Mensamque ipsam cum omnibus poculis argenteis everterit. Quod procul dubio Vir sanctus non tecisset, nisi putasset, cibos post benedictionem Mensæ non esse tractandos, ut plane communes, sed illis deberi aliquem respectum, & religiosam reverentiam.

R. I. Ad hujusmodi exemplum, & objectionem inde petitam, respondet P. Jacobus Gretserus lib. I. de benedict. c. 13. & ex eo Gobat l. cit. n. 258. dicens: hoc factum debere referri inter ea exempla Sanctorum, quæ potius admiranda sunt, quam imitanda.

Verum hæc responsio videtur non satisfacere; non enim contendit obiectio, nos debere prædictum S. Corbiniani exemplum imitari, & ubi viderimus frustum panis, aut carnis post Mensæ benedictionem projici canibus, similiter indignari verbo,

& factō ; sed solum ex allegato exemplo colligi vult , cibos post benedictionem Mensæ non esse tractandos , tamquam plane communes , sed illis inde deberi aliquem respectum , & reverentiam religiosam . At responsio data id non infirmare videtur , imo fortasse magis confirmare ; enimvero etsi ut admirandum , non autem cuiilibet imitandum proponatur exemplum Christi Domini , quod habetur Joan. 2. 14. ubi dicitur : *Ascendit Jesus Jerosolimam , & invenit in Templo vendentes boves , & oves , & columbas , & numularios sedentes . Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis , omnes ejecit de Templo , oves quoque , & boves , & numulariorum effudis æs , & Mensas subvertit : Etsi , inquam , ut plane admirandum , non autem cuiilibet imitandum prædictum Christi proponatur exemplum : nihilominus ex eo bene colligitur , peccasse contra reverentiam Templo debitam vendentes in eo , quos Christus flagellatos ejecit ; Ita ergo a pari : Etsi prædictum S. Corbiniani exemplum proponatur , non ut imitandum quidem , sed tamen admirandum , sive laudandum ; videtur posse adhuc , si laudabile esse conceditur , ex eo deduci : peccasse Grimoaldum contra reverentiam aliquam , quæ cibis debeatur post benedictionem Mensæ , dum canibus dedit ex pane Mensæ benedictæ : atque adeo ex prædicto exemplo inferri cibos Mensæ benedictæ nequam posse tractari , ut plane communes . Itaque hac omissa responsione prima*

20 R. 2. Quod , ut Augustinus lib. contra mendacium c. 9 fine monet , Non omnia , quæ a Sanctis , vel justis viris legitimus facta , transferre debe-

mus in mores ; hoc est , accipere pro regula morum , seu credere recte facta : cum aliqua fecerint vere mala , etsi per ignorantiam , vel aliunde potuerint excusari a culpa formalis ; & affert S. Doctor exemplum justi Lot , cum vehementi timore turbatus existimavit , se posse prostituere filias suas impiorum fornicationibus Sodomitarum ; & exemplum Regis David , cum ira turbatus temere juravit , se occisurum Nabal . Itaque non quotiescumque Viri Sancti indignantur , sive irascuntur , semper laudabiliter , & bene irascuntur : licet id sibi fortasse persuadeant ; unde ex eorum intentione bona excusentur . E. G. Dicit Dominus ad Jonam : Putasne bene irascaris tu super bedera ? & dixit : bene irascor ego usque ad mortem : Jon. 4. 9. Ita quidem Propheta putabat , sed illa Domini interrogatio clare demonstrat , suam ipsius opinionem ipsum se felisse , atque iratum non bene fuisse . Hujusmodi responsionem significare videtur Raynaudus l. cit. ubi allegatum S. Corbiniani factum memorat , eoque descripto subdit : Quid dicam ? non omnia Sanctorum facta exigenda sunt ad summum rigorem . Ita ille .

Cæterum quia objectum exemplum 21 tamquam laudabile in laudati Sancti vita proponitur , laudernus illud & nos , dummodo ratio laudis aliunde petatur ; nimirum , dicendo : S. Corbinianum indignatum fuisse contra Grimoaldum , non simpliciter , quod ex pane Mensæ benedictæ canibus projecerit ; sed forte quia Princeps ille , sive joco , sive serio in eō actū aliquod signum ostenderit , quo visus fuerit detrahere , sive aliquo modo irridere laudabilem , ac sanctum

etum Ecclesiæ, seu Fidelium morem benedicendi cibos in Mensa. Verum ne videar, quasi divinare velle, & alterum condemnare, ut alium absolvam: ideo

23 **R.** 3. Exemplum exemplo refellens: hoc est Sancti cuiusdam, in cuius vita legisse, me memini: diebus illis, quibus Sacram sumiebat Eucharistiam, antequam ad illam accederet, a deglutienda abstinuisse saliva a Media noctis tempore, quo naturale jejunium, ad communionem ex precepto Ecclesiæ requisitum, incipit obligare. Jamvero ridiculum esset, ex hoc exemplo probare, & velle deducere; deglutitam salivam jejunium frangere naturale, atque adeo Eucharistiam sumptuos, antequam ad illam sumendam accedant, deberre similiter esse sollicitos, salivam ex ore diligenter emittere, & plane expurgare. Quod nemo unquam affirmare, haecenvisus est. Et quidem Historici mens ea tantummodo fuit, ut eo exemplo significaret, quam ingens reverentia fuerit Sancti illius erga Sacram Eucharistiam; & quam exactam fuerit professus obedientiam præceptis, & moribus Ecclesiæ Catholice, dum etiam illic trepidaverit timore contraveniendi, ubi non erat timor. Videri possunt dicenda in appendice ad calcem Dia-
rii c. 2. n. 4. Similiter ergo dicendum: ex obiecto S. Corbiniani exemplo nullomodo posse deduci: cibis post benedictionem Mensæ deberi ullum religiosum respectum: cum satis constet ex dictis, certum esse, nullum inde deberi. Unde ex eo solum colligi potest, quantum S. Corbinianus haberet reverentiam erga res Ecclesiasticas, sive religiosas consuetudines Christiani populi, ut

etiam panem revereretur benedictum in Mensa, benedictione cæteroqui simpliciter invocativa: quamvis constaret, nullam ideo deberi ei reverentiam religiosam.

Obj. 2. Ex Apostolo i. ad Ti-
moth. 4. Cibus, quem sumimus, per verbum Dei, & orationem, seu, ut interpretati sumus qu. 4. n. 10. per benedictionem sanctificatur. Ergo si cibus post benedictionem est sanctus, utique non debet dari canibus: juxta illud Christi Domini Matt. 7. v. 6. *Nolite dare sanctum canibus.* Sed debet reverenter tractari.

R. Concesso antecedenti; nego consequentiam. Apostolus in allegato testimonio dicens, cibum sanctificari per benedictionem; duo intelligit: 1. Cibum benedictum non esse immundum: atque adeo posse ab omnibus comedи absque timore ullo, ne contaminetur anima. 2. Significat, per benedictionem accedere cibo aliqua bona ex vi ipsius benedictionis, seu orationis, & invocationis auxiliis, divinæque assistentiæ circa ipsius cibi usum communem. Hoc secundum constat ex dictis qu. 4. præcedenti nu. 10. ubi explicuimus; quænam bona accedant cibis ex benedictione. Illud autem primum satis quoque patet ex dictis n. 1. & 14.

Qu. VI. Quinam fuerit Autor 24 formulæ in Romano Breviario traditæ, tum benedicendi Mensam, tum gratias agendi post illam?

R. Teste Gavanto l. cit. nu. 7. ignoratur Autor: sed cum prædicta formula inveniatur, inquit, in antiquissimis Breviariis, sua sibi conciliat antiquitate auctoritatem maximam. Et quidem vulgatus Clemens,

mens, seu Scriptor Apostolic. Constit. qui saeculo saltem tertio floruit, lib. 7. c. 48. meminit orationis, quae adhibetur in prandio. In cena vero (quae apud antiquiores jejunio deditos erat magis in usu, quam prandium, secundum dicenda quæst. sequenti) versus ille dicebatur: *Edent pauperes, & saturabuntur.* Imo, ut vidimus nu. 2. S. Hieronymus in Marc. 14. in illa verba, *Hymno dicto*: docet, Christum in ultima cena usurpare pro hymno prædictum eundem versum. Altero versu *Memoriam fecit mirabilem suorum ex Psal. 110.* quo nos utimur, usus est Athanasius Serm. supra n. 1. laudato, vide ibi dicta. Oratio autem *Benedic Domine nos* &c. habetur fere tota in libro Sacramentorum Grimoldi Abb. nu. 126. Quæ omnia testatur, & notat Gavantus l. cit.

25 Qu. VII. Quare in diebus jejuniorum, adhibetur ad benedicendam Mensam in Meridie, cum proprie prandium fieri dicitur, ea formula, qna sera benedicitur cena, ex Rub. Brev.

R. Sciendum quod continua duodecim primis Ecclesia Sæculis non sicut solutum jejuniū prandio, sed cena; seu in diebus jejunii non sumebatur cibus, & plena refectio in Meridie, sed Vespere; seu post occasum solis; maxime in jejuniis strictioris observantiae, qualia semper fuere jejuna quadragesimalia. Et si in reliquis iejuniis extra Quadragesimam licitum fuerit comedere hora nona, hoc est, hora nona elapsa ab ortu Solis. Vid. dicenda Tr. 2. lib. 4. part. 1. c. 3. qu. 3. n. 14. Jam vero pia Mater Ecclesia licet ob temporum varietatem,

& imbecillitatem nostram permiserit deinde mutari in omnibus jejuniis horam refectionis, & cœnam commutari prandio, quod in Meridie communiter sumi solet, ut observamus c. 1. art. 9. sect. 8. nu. 41. voluit tamen prandio benedici tamquam cœnæ.

Quod voluisse puto, ut quoad fieri possit minus, ab antiquissima recesseretur disciplina; simulque fideles mente tenerent; quod jam prandia & Meridie solvatur jejuniū, non ex veteri rigore, sed ex recenti indulgentia esse.

Qu. VIII. Cum formula benedici cœnæ attribuenda nunc sit prandio in diebus jejunii: quænam formula adhiberi debeat, ad benedicendam Mensam in iisdem diebus in collatione seu refectiuncula ferotina? Profecto ex dictis qu. 4. satis colligitur, Mensam benedicendam esse in refectiuncula etiam hujusmodi, sicut & gratiæ agendæ post ipsam.

R. Non oportet quidem omitti in hujusmodi collatione ferotina Mensæ benedictio, & gratiarum actio, ut satis potest colligi ex dictis qu. 4. ac significat etiam Gavantus loc. cit. nu. 13. & consentit Cavalerius to. 4. c. 25. Comment. in Decret. 2. nu. 4. Rubricæ autem Breviarii nihil prescribunt de hac re, seu nullam particularem, & specialem proponunt formulam. Quod fieri, inquit Gavant. ibidem, nec refragatur Caval. loc. cit. ut intelligamus, jentacula Vespertina in diebus jejuniorum concedi secundum indulgentiam, non secundum imperium; & integrum jejuniū ecclesiasticum non admittere, nisi unicam comeditionem, ad quam adhibe-

betur benedictio, & gratiarum actio assignata cœnæ, ut dictum est qu. præc. ob rationem explicatam.

Itaque ad jentacula brevia in diebus jejuniorum benedicentes, & gratias agentes, multa solent omittere de communi benedictione, & gratiarum actione: qua in te tacentiibus Rubricis Breviarii, abundat unusquisque in sensu suo, inquit Gavantus, & Cavaler. & variæ sunt formulæ Regularium. Undenam vero in diebus jejunii ortum habuerit refectiuncta serotina, & quare fuerit nuncupata Collatio? explicabimus l. 3. 24. Decembr. fine.

27 Qu. IX. An Mensa beat benedici a Sacerdote?

R. Ita quidem congruum est, si adsit Sacerdos, aut commode accessiri possit. Unde Rubrica Breviarii supponit, a Sacerdote fieri benedictionem Mensæ, & gratiarum actionem, seu ab ipso incipi, aliis prosequentibus; sic enim habet: *Ante prandium Sacerdos benedicitur Mensam, incipit Ec. & deinde: Post prandium aguntur gratiae hoc modo Sacerdos incipit Ec. Ceterum non est omnino necessarium, ideoque potest Mensa benedici etiam a Laicis, imo & a mulieribus; quapropter laicos, sive etiam mulieres non oportet omittere benedictionem Mensæ, eo quod non adsit Sacerdos, aut aliquis Clericus; sed in horum defectu ipsimet Laici benedicant Mensæ suæ, & gratias agant post refectionem.* Ita etiam docet Quarti de benedict. tit. 3. sect. 7. dub. 1. O Theophil. Raynaudus tom. 16. sect. 2. pu. 2. §. de usu perpetuo benedictionis estæ, O potus, ubi allegat auctoritatem Nicolai I. ad Consult. Bulgaror. c. 53. ita Bulgaros

hac in re anticipates docentis. Ex eodem autem Raynaudo diximus qu. 3. num. 7. benedictionem Mensæ iōlemnem inter propria Clericorum officia numerari.

Animadvertisit Durandus in Ration. lib. 4. cap. 59. prope finem e Minorem, Majore præsente, non debere benedicere Mensam. Obtinuit quidem iste mos in Ecclesia, ut Majore, & Digniore præsente, minor, & inferioris gradus, Mensæ non benedicat, nisi a Majore iussus, vel permisus; quapropter præsente Sacerdote, non benedit Diaconus: reprehensibile enim esset ex Hieronymo epist. 85. ad Evagr. prope finem, & refertur C. legimus 24. dist. 93. Excipiendum tamen Diaconum Cardinalem, notat Lucius Ferraris to. 1. V. Benedictio art. 5. n. 26. Nec Diacono præsente, benedit Subdiaconus: neque hoc præsente, simplex Clericus, seu in minoribus: neque hoc præsente, Laicus benedit. Imo inter ipsos Sacerdotes, si plures adsint, benedit Mensam dignior ex C. Quando autem 8. dist. 44. Nihilominus teste eodem Durando l. cit. in nonnullis locis pueri benedicebant Mensam, etiam Prælatorum; pro eo quod, inquit, Lectoris officium est benedicere panem. Subdit tamen, convenientius esse, fieri per ipsos Prælatos, exemplo Christi, qui duobus discipulis Emmaus commigrantibus Mensam benedixit; de quo Salvatoris exemplo egimus n. 2.

Nec inter Regulares hoc munus 28 benedicendi Mensam, est annexum Ordini Sacerdotali: quidquid Lezzana affirmaverit V. Excommunicatio n. 16. qui ideo etiam voltuit, Sacerdotem Regularem excommunicatum non

non posse benedicere Mensæ inter suos in Refectorio, aliter contraheret irregularitatem. Quem tame n merito rejicit Quatti l. cit. fin. scite animadvertis, adnectere benedictionem Ordini, pertinere ad Ecclesiam universalem, seu ad summum Pontificem, non item ad Prælatos inferiores; quare ex eo quod munus a Regularibus committatur Sacerdoti, non sequitur, per se annexum esse Ordini Sacerdotali, nec in casu posito contrahi irregularitatem.

- 29 Qu. X. Quænam cæremoniæ, seu quinam ritus debeant adhiberi in Mensa benedicenda, & gratis agendis post refecionem?

B. Ut notat Gavant. num. 8. & Caval. to. 4. in decr. 2. n. 3. Solemus ad ea verba orationis; Benedic Domine nos, signare Crucem nos ipsos. Ad sequentia vero verba orationis ejusdem: & hoc tua dona; solemus signare cibos, seu Mensam crucis: & notandum est, quod Modus benedicendi alios, vel rem aliquam debet esse cum manu recta, & digitis simul junctis, & extensis. S. R. C. 24. Julii 1683. in Albiganen. apud Merat. ind. decr. Miss. num. 732. Sufficit autem hic, si id præstet Sacerdos, qui benedictioni Mensæ incumbit Caval. l. cit. Ita quidem fieri consuevit, more accepto ab Antiquis, qui ante cibum signabant se signo Crucis, ex Tertullian. lib. de coron. Milit. c. 3. Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, atque exitum; ad vestitum, ad calceatum, ad Mensas . . . frontem Crucis signaculo terimus: & ex Cyrillo Hierosolymit. Catech. 13. In omnibus Crux fiat, & in panibus comedendis, & in poculis bibendis. Rur-

sus iidem Veteres signabant ipsos cibos, & potiones; testimonium ex Athanasio habes superius num. 1. exemplum adest in vita S. Joannis Evangelistæ apud Metaphrastem, quod ex eo refert etiam P. Petrus Ribadeneira in ejus vita. Alterum in vita Sancti Benedicti Abb. Aliud quoque traditur Palæmonis in vita Pachomii c. 8. apud Rosweyden de vit. Patrum lib. 1. his verbis: Tunc pro more, pane, & sale allato, ad manducandum pariter considerunt (Palæmon, & Pachomius) quæ senex (Palæmon) Crucis Christi signo, sicut consueverat, benedicens, cibum uterque sumpserunt, Domino gratias, ut par fuerat, humiliiter exhibentes. Quinimo Cornelius a-Lapide putat, ipsum Christum Dominum adhibuisse signum Crucis in benedicendis cibis, nimirum Matth. 15. 36. ubi Christus Accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens, fregit, & dedit discipulis suis, & discipuli populo. In locum hunc laudatus Interpres inquit: Plane videtur, Christus post gratiarum actionem signando panes cruce, eos benedixisse. Recole etiam dicta qu. 4. nu. 10. ubi explicavimus, quare in benedicendis cibis adhibendum sit signum Crucis? Initio benedictionis geminatur vox Benedicite, scilicet Majore incipiente Benedicite, cæteri similiter respondent, Benedicite; ad ostendendum quod ad Dei Benedictionem debemus mutuo nos hortari, ut interpretatur Durandus in Ration. l. 4. c. 59. nu. 10. quam interpretationem sequitur Gavantus n. 9. Dixi; Majore incipiente: quia etsi Caval. supra cit. n. 3. testetur, se audivisse apud nonnullos Regulares versum

Be-

*Benedicite inchoari a Lectore ; nihi-
lominus , ut idem animadvertisit , a
Sacerdote mensam benedicturo Ru-
brica præscribit incipi : Ante pran-
dium Sacerdos benedicturus mensam , in-
cipit &c. Recole dicta qu. præcedent.
nu. 27. initio ; cæterum videri po-
test , quod etiam ibidem fine scri-
psumus ex Durando .*

Post mensam in gratiarum actio-
ne ante orationem : *Retribuere di-
gnare Domine : non præmittitur
Oremus , quemadmodum Rubrica
monet : quia , ut notat Gavant. 2.
12. non est proprie oratio , ut pa-
tet ex eo , quod careat consueta
conclusionem : Per Dominum nostrum .*

30 Adsunt nonnulla tempora (suis
indicanda locis) in quibus benedi-
cio , & gratiarum actio sunt qui-
dem ut in generali , seu communis
formula , sed variantur versiculi , &
psalmi . Non est tamen eadem va-
riandi necessitas ; nam versiculi in
hujusmodi temporibus semper varia-
ri debent ; ubi psalmi ita notantur
variandi , ut salvum semper maneat
beneplacitum pro consueto psalmo :
*Laudate Dominum omnes gentes : qui
pro libito æque dici potest in qui-
buslibet solemnitatibus , licet psal-
morum fiat variatio nulla . Hujus-
modi autem variatio , ut notat Ga-
vant. n. 10. est opportuna , & ab
Hebreis , inquit , deduxta , ex He-
breorum Ritualibus , ex Baronio
An. 34. Vide dicta n. 2.*

Fit autem mutatio regulariter a
primis Vesperis Festi , si coenetur in
Vesperis . Vide dicenda in Vigilia
Epiphaniæ l. 3. 5. Januar. art. 4.
Ratio est , quia a primis Vesperis
incipit Festum : in eo autem sensu ,
quem explicavimus c. i. n. 8. Cef-
sat vero prædicta mutatio , ut in

TOM. I.

Rubricis Breviarii præscribitur , &
suis nos quibusque locis notabimus ,
ubi hujusmodi variatio occurrit fa-
cienda .

Non esse obligationem per se ,
utendi formula in Breviario præscri-
pta ad benedicendam mensam , &
gratias agendas , etiæ congruum sit ;
docuimus qu. 2.

In benedictione mensæ post ora-
tionem : *Benedic Domine nos , & haec
tua dona : benedicitur Lector , qui
legat ad mensam , ex Rubricis Bre-
viarii ; hinc*

Qu. XI. An sit aliqua obligatio , 31
ut in mensa legatur aliquis liber
pius , & de rebus spiritualibus agens :
quod quidem fieri consuevit apud
Regulares : & undenam introducta
fuerit hujusmodi lectio ?

R. Auditor lectionis ad Mensam
dicitur S. Augustinus ab Honorio
in Gemma l. 2. c. 63. Verum etiæ
Augustinus dilexerit quidem *In ipsa
Mensa magis lectionem , vel disputa-
tionem , quam epulationem , potatio-
nemque* ; ut de eo scribit Possido-
nius : usum tamen lectionis ad Men-
sam viguisse apud Veteres , etiam
Gentiles , constat apud Jacobum
Facciolatum V. *Anagnoset*. Inde igi-
tur existimo , fideles , maxime Mo-
nachos , & Ecclesiasticos accepisse
morem legendi ad Mensam libros
sacros , & pios . Et sane ante Au-
gustinum Sanctus Basilius Magnus
in Regul. Brevior. interrog. 180. ,
manifeste significat , lectionem ad
Mensam adhibitam fuisse suo jam
tempore in Cœnobitis Regularium ,
sic enim interrogat : *Cujusmodi ani-
mi affectione , attentioneve ea debemus
audire , quæ ad Mensam accumbenti-
bus nobis leguntur ? Item lectionem
ad Mensam Episcoporum jussit S.*

A a Euse.

C A P U T VIII.

DE LAMPADE, QUÆ NOCTURNO TEMPORE COLLUCERE
DEBET IN ANDRONIBUS, SEU DORMITORIIS
REGULARIUM.

- 1** **S**UMMUS Pontifex Clemens VIII. die 25. Julii an. 1600. edidit Bullam incip. *Nullus omnino*. quæ est 242. in Bullar. Rom. Caroli Cocquelines edit. an. 1753. to. 5. par. 2. pag. 340. Hujusmodi Bullæ sic efformavit Summarium Cherubinus, eique præfixit in suo Bullario: *Decreta generalia pro reformatione Regularium, tam Monachorum, quam Mendicantium cujuscumque Ordinis, & Instituti*. Ex quo habetur, prædictam Bullam dirigi ad Regulares omnes pro eorumdem reformatione quoad obseruantiam regularem. At vero Carolus Cocquelines in suo Bullario loc. cit. animadvertisit; prædictam Constitutionem esse peculiarem pro Ordine Servitarum; idque manifeste apparere ex ejusdem Constitutionis §. 28. cuius verba recitatibus infra: & clarius ex §. 29. Nihilominus hujusmodi Constitutionis decretum §. 15. propositum, quidquid sit de aliis in eadem Bulla contentis; communiter creditur, afficerem quoslibet Regulares. Illud autem ita se habet: *In medio Dormitorii totam noctem lampas collucet*.
- 2** **Q**u. I. Posito jam, quod Decretum prædictum afficiat non solum Superiores Ordinis Servitarum, sed quoslibet cujuscumque Religions. en quilibet Superior, qui decretum hujusmodi non observet, peccet?

R. Ex suppositione prædicta, ref-

pondetur affirmative: quia est contra obedientiam debitam Summo Pontifici id præcipienti; obligationem licet nonnisi levem insinuent dicenda inferius num. 5. Itaque Superior Regularis voluntarie omittens teneare lampadem accensam toto noctis tempore in medio Dormitorii, peccat contra laudatum Decretum pontificium.

Quia deinde qui tenetur ad finem, tenetur ad media necessaria ad ipsum finem consequendum: hisc dicendum est: Regularem Superiorum localem ad ista teneri, scilicet 1. provideat Domum de Lampade, seu Lucerna, quæ tantum olei inse continere valeat, & contineat, quantum sufficere possit, ut luceat per totam noctem etiam longiorem. 2. proficiat qualitati olei, quod nimirum tale sit, quale requiritur, ut Lucerna ardeat, & luceat per totam noctem; 3. Aliquem designet, qui hujusmodi Lampadem ornet, & accendat; is autem talis sit, qui credatur diligenter executurus hoc onus suæ commendatum curæ; 4. Lucerna collocanda est in ea Dormitorii parte, ubi non faciliter ab aliquo accidente extrinseco, puta a vento, possit extingui. Non ideo tamen ponenda est in occulto loco, vel angulo, ubi fini intento deseruire minime possit. Collocanda itaque Lucerna erit in ea Dormitorii parte, unde totum illud illuminare valeat, quantum fieri possit

fit : propterea quippe in laudata Bulla præscribitur , quod Lampas colluceat in Medio Dormitorii : ut scilicet æque hinc , & illinc splendeat , & luceat omnibus , qui in Domo sunt . 5. Denique inquirere debet Superior , & certior fieri , an Lampas luceat per singulas , ac totas noctes ? Quod si resciat , sæpius extingui , causam adhuc inquirat , & emendet.

3 Qu. II. An Superior , qui decreti prædicti negligat observantiam , incurrat aliquam pœnam ?

R. Affirmat Benedictus Chiavetta Consult. 19. , ubi ait , incurrere pœnam privationis Superioratus , & inhabilitatis perpetuæ ad alia munera ex eadem Bulla Clementis . Verum primo in laudata Bulla non imponitur præfata pœna transgressoribus Decretorum , quæ continentur in ea ; atque adeo nec Superioribus negligentibus curare , quod lampas totam noctem in Medio colluceat Dormitorii : sed pœna prædicta imponitur tantummodo Superioribus non curantibus , nec efficientibus , ut ea omnia , quæ in præfata Pontifícia Bulla decreta fuerunt , inter alias sui ipsorum Ordinis Constitutiones redigerentur ; vel illas Pontificias Constitutiones declarantibus , & adversus eas dispensantibus . Deinde præfata pœna non imponitur nisi Superioribus Ordinis Servitarum . Constant hæc ex §. 18. laudatae Bullæ , ubi sic legitur : Ut autem hæc Decreta (donec alia , quæ ad pleniorum supradicti Ordinis reformationem facient , edantur) ab omnibus observari possint , districte præcipimus Generali , ac omnibus aliis quibuscumque Superioribus , ad quos hoc spectat , ut carent , ac efficiant , ea omnia inter alias eorumdem Ordini-

nis Constitutiones , perpetuo valituras redigi ; interdicta omnino eorum singulis facultate illas declarandi , & adversus eas unquam dispensandi . Alioquin sciant , se in pœnam Generalatus , & officiorum privationis , ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipso facto , & sine ulla exceptione respective incidisse . Ex quo patet , Pontificem non alloqui nisi Superiores Ordinis Servitarum . Rursus nullam facere mentionem Superiorum negligentium observantiam prædictorum decretorum , sed solum tamquam Ordinis Constitutiones non acceptantium , vel declarantium , aut dispensantium . Jam vero ut Juristæ docent ; lex pœnalis non debet exceedere proprium casum : videlicet non est extendenda ad casum non expressum sub ejus verborum significacione . Cujus quidem Regulæ triclicem rationem , ex ipsis regulis Juris desumptam , Navarrus assignat Comment. in septem distinctiones de Pœnit. dist. I. in C. pœna . Nimirum primo ex regula 15. Juris in 6. Odia restringi , & favores convenient ampliari . Secundo quia ex regula 28. ejusdem tituli , & libri ; Quæ a jure communi exorbitant , nequaquam ad consequentiam sunt trabenda , sed restringenda . Glos. ibi . Profecto eti leges , quæ generaliter puniunt delicta , non exorbitent a jure communi , quod habet , delicta esse punienda ; quæ tamen imponunt speciales pœnas , quas jus naturale non ponit , possunt dici exorbitantes a jure naturali , quod est omnibus commune ; ita Navarrus l. cit . Tertia ratio est , quia ex regula 49. prædicti tituli , & libri : In pœnis benignior est interpretatio facienda : Ergo ec.

Se-

4. Secundo dici potest: etiam dato, prædictam poenam depositionis munieris publici, adhuc Provincialatus, aut ipsius Generalatus afficere superiores quoque negligentes observantiam illarum pontificiarum Constitutionum; nihilominus, cum ex una parte ejusmodi poena sit valde gravis, utpote poena depositionis a munere, & ministerio publico, quæ quidem est valde gravis, ut significat Azorius *Instit. Mor. par. I. lib. 5. c. 6. qu. 5.* fine, & concedit Thomas Sanchez in *Decal. lib. 6. c. 9. n. 64.* fin. si ministerium sit magni momenti, ita ut ejus amissio in gravem infamiam cedat. Quod etiam proculdubio eveniet in casu nostro: si nimur Superior Regularis, sive localis, sive Provincialis, sive Generalis ab Officio deponatur, ministerioque privetur, & ad alia insuper Religionis suæ munera perpetuo reddatur inhabilis: Ex alia parte vero in allegata Bulla sint nonnulla, quæ, si per se sola spectentur, minoris videantur esse momenti, cum per se sola non valde videantur conducere ad reformationem regularis disciplinæ, quæ prætenditur; prudenti judicio judicatur gravis illa poena non imponi propter negligentiam singularum Constitutionum earum, etiamsi per se minoris sint momenti, sed illarum tantum, quæ per se valde conductant ad intentam reformationem observantie regularis.

Profecto ex *I. Respiciendum ff. de poenis. Respiciendum est judicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituat, quam causa depositit.* Nec enim aut severitatis, aut clementie gloria affectanda est: sed per perso judicio, prout quæque res expostulat, statuen-

dum est. Plane in lectoribus causis priuiores ad lenitatem judices esse debent: in gravioribus poenis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. Huc etiam facere videtur *I. Interpretatione ff. de bonis damnator.* ubi dicitur: *Interpretatione legum poene mollienda sunt potius, quam exasperande.* Quæ lex civilis confirmatur, & approbatur a jure Canonico. *C. Poene 18. dict. I. de poenit.*

Eadem assertio confirmatur a simili; enimvero etiam Pius V. præcepto obligante sub gravi omnes adstinxit ad observantiam Rubricarum Missalis Romani: ut constat ex ejus Bulla Missali Romano præfixa; & nihilominus docent Auctores, & praxis ipsa confirmat, præceptum hujusmodi non obligare cum tanto rigore ad observantiam singularum regularum Missalis, sed juxta gravitatem earum. Vid. dicenda *tr. 2. in Dom. Palm. subf. 3. §. 4. qu. 4. n. 111.* Ergo ex eo, quod Clemens VIII. in fine Bullæ præfatae suorum observantiam decretorum in illa expositorum inculcaverit, imposita negligentibus Superioribus poena privationis officii, & inhabilitatis perpetuae ad alia quæque munera; non omnino argui potest, hujusmodi poenam cæteroqui gravem, ut supradictum est, imponi Superioribus negligentibus observantiam singulorum illorum quorumlibet decretorum, etiamsi per se spectata minoris fuerit momenti. Sed judicandum est, hujusmodi poenam gravem respicere tantum illa decreta, quæ contineant materiam gravem, seu etiam per se multum conductant ad observantiam regularem, quæ in præfata Bulla prætenditur.

Jam-

Cap. VIII. De Lampade in Dormit. Regular. 191

5 Jamvero prædicta Constitutio , ut in Andronibus , seu Dormitoris Regularium totam noctem lampas colluceat ; non videtur adeo gravis , si per se spectetur , ut ex ejus tantum obseruantæ negligentia , sit deponendus Superior localis , vel etiam Provincialis , aut ipsem Generalis privandus munere tali .

Et vero prædicti pontificii Decreti materia non videtur gravis , primo ex ratione : ostendi enim nequit , quod maximi referat ad bonum commune , tenere lampadem accensam per noctem in Medio Dormitorio ; dicet aliquæ assignari utique valeant congruentiaz dispositio- nis hujusmodi , cum haec certissime vana non sit . Neque secundo prædictæ legis materia gravis esse vide- tur ex aliqua virtute , in qua hic actus imperatus reponatur ; non enim appetit aliqua virtus , cui gra- viter opponatur hujus transgressio legis . Ergo &c.

6 Qu. III. Utrum ad incurrendas illas poenas sufficiat , semel aut ite- rum non accendisse lampadem di- cto tempore , & loco ?

R. Negative . Hujusmodi legem poenalem , dieendum est , admittere parvitatem materie , ut cæteræ similes leges . Morali tamen judicio pen- sandum est , quenam in hac re sit materie parvitas ? Meo autem judi- cio non videtur , poenas (ex supposi- tione , quod prædictæ poenæ imposi- tæ fuerint etiam pro negligentia ob- servantæ allegati Decreti) imposi- tas incurrisse Superior , qui per quin- decim tantum dies continuos in anno neglexerit lampadem accendere seu curare , ut arderet lampas in Dor- mitorio . Dixi : *quindecim dies conti- nuos* : quia plures videntur posse per-

mitti , ad excusandum , si fuerint in- ter se longe divisi : puta , semel , aut iterum in hoc mense ; ter , aut qua- ter , in alio ; & sic de reliquis .

Qu. IV. An hujusmodi lampas 7 collucere debeat in omnibus , & sin- galis Dormitoris , si Domus Regu- laris habeat Dormitoria plura ?

R. Ex praxi habemus , sufficere , si in Dormitoris tantummodo gran- dioribus , seu in quibus solent plu- res Religiosi habitare , lampas col- luceat ; secus autem in Dormitoris parvis , seu in quibus unus , vel al- ter habitet , quibusque pateat aditus ad alia Dormitoria majora , in qui- bus lampas colluceat . Profecto con- suetudo est optima legum interpres ex C. *Cum dilectas de Consuet.* , & l. 37. ff. de legib.

Qu. V. An peccetur , si lampas 8 non collocetur in Dormitorii me- dio , sed in aliqua alia ipsius parte , puta in capite Dormitorii ? dicitur enim in laudata Bulla : *In Medio* Dormitorii totam noctem lampas colluceat .

R. Negative , sed potest collocari in aliqua alia ipsius Dormitorii par- te , dummodo haec ea sit , ut inde omnes , qui ingrediuntur , lumen videant , & Dormitorium bene illu- minari possit . Nec obstat , quod in Bulla præscribatur lampas in *Medio* collocanda : nam hujusmodi pars so- lum designatur , ad insinuandum , locum esse aptum Dormitorii *Me- dium* : ut æque totum illuminari possit ; quod quidem curandum est , quantum fieri valeat ad prædictum finem ; cæterum ipsa consuetudo ostendit , posse lampadem collocari in capite Dormitorii , præsertim non longioris ; quod etiam fieri solet , ubi sint duo Dormitoria , quorum

ca-

capita sese invicem tangant ; ita tamen ut unica lampas sufficienter illuminare possit utrumque.

- 9 Qu. VI. Ex ea suppositione quod poenæ privationis officii latæ sint etiam pro transgressione decreti præsentis ; an Superior incurrat poenas prædictas, si eo inscio , alter extinguat lampadem ; ex. gr. aliquis subditorum suorum ex eo quod odio habeat illum , & velit eum deponi ab officio ob hanc causam ?

R. Negative ; ita Benedictus Chiavetta Confut. 19. n. 3. idque probat argumento ducto ex Cap. Nobis . 27. & Cap. sicut tuis . 33. de Simonia ; in quibus statuitur non esse irritam , sed tenere electionem ad beneficium simoniacam , quoties per fraudem alterius , ignorante electo , commissa fuerit simonia , quatenus alter , ut redderet inhabilem eligen- dum , dederit electoribus pecuniam pro eo eligendo : & assignatur ra- tio in allegato C. sicut tuis . §. Quamevis , in fine , ubi sic : *Alioquin contingerebat , quod alicujus factum , infidias inimico parantis , ei damnum existimat , cui penitus displiceret , & sic aliquis de fraude sua commodum reportaret . Huc etiam facit regula 23. Juris in 6. Sine culpa , nisi sub- sit causa , non est aliquis puniendus .*

- 10 Qu. VII. Ex suppositione quod poenam privationis Officii Superior incurrat , si negligat observantium

prædicti Decreti : an subditi teneantur obedire Superiori , qui ex culpa non curavit accendi lampadem no- ñis tempore ? Dubium oritur ex eo , quia ex laudata Bulla Clementina §. 28. poena privationis Officii in- curritur *ipso facto* .

R. Teneri nihilominus omnino obedire , & superiorem suum , ut prius recognoscere . Ratio autem illa , quæ causam dat dubio , non obstat : adhuc enim requiritur , ut præcedat sententia Judicis declaratoria cri- minis . Videri potest Azor. Inst. Mo- ral. par. I. lib. 5. c. 7. qu. 1. fi- ne , & C. 8. qu. 3. Layman. lib. I. Tr. 4. de hum. legib. c. 15. n. 6. La-Croix lib. I. de legib. qu. 89. §. 6. & rursus lib. 7. de Censur. qu. 11. §. 3. ac Lezana in sum. q. q. Regular. c. 10. n. 30.

Qu. VIII. An hujusmodi Consti- 11
tutio afficiat etiam Moniales ?

R. Affirmative respondendum vi- detur ; quia ex Suarez , quem citat , & sequitur Pelliz. Man. Regul. tr. I. c. 3. Sect. I. qu. 15. n. 48. præcep- ta , quæ in jure comuni reperiuntur facta Religiosis , aut personis ecclesiasticis , obligant etiam Mo- niales : quippe quæ computantur in- ter personas ecclesiasticas , & com- prehenduntur sub nomine Religioso- rum , aut Regularium ; & videri possunt dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 4. art. I. n. 11.

TRACTATUS PRIMI
LIBER SECUNDUS.

S A C R I R I T U S

INSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ,

M O R U M Q U E D I S C I P L I N A

N O T . I N H E B D O M A D A.

DUAS in partes librum hunc dividemus, in quarum prima dabitur notanda in hebdomada in genere. In secunda vero, quæ singularis notanda sunt sigillatim diebus hebdomadæ.

genere. In secunda vero, quæ singulis notanda sunt sigillatim diebus hebdomadæ.

P A R S P R I M A.

NOT. IN HEBDOMADA IN GENERE.

EXPLICANTUR CAPITIBUS II.

Cap. I. De Missis Votivis hebdomaticis in Missali Rom. descriptis .
Cap. II. De Officiis votivis particularibus hebdomaticis .

C A P U T . I.

**DE MISSIS VOTIVIS HEBDOMATICIS IN
MISSALI ROM. DESCRIPTIS.**

I g N Missali Romano post Commune
Æ Sandtorum , & dedicationis Ec-
clesiæ habentur Missæ quorumdam
Mysteriorum Domini , Beatæ Mariæ
Virginis , nonnullorumque Sandto-
rum , quæ celebrari poterunt infra
hebdomadam , quando liceant Mis-
sæ Votivæ . (Votivæ Missæ quænam
sint ? explicabimus hic par. 2. in
Sabbato n. 40. Versu : profecto Mis-
sæ Votivæ) . Præfatæ Missæ octo
TOM. I.

sunt , & singulis feriæ infra hebdomadam designantur , in quibus valent celebrari etiam pro Missa Conventuali , quando officium est de Feria , & non sit resumenda , vel anticipanda Missa alicujus Domini-
cæ : et si etiam tunc liceat Missa votiva privata ; Vid. *Rubr. Gen. Miss. tit. 4. nu. 3.* Merat. *to. 1. par. 1. tit. 4. n. 6. 11. 12.* & confer. dicenda *tract. 2. lib. 2. par. 2.* in ejus

I. par. c. 2. fine; & quamvis si eadem Missæ pro Conventuali dicantur, dicenda sunt in Feriis hebdomadæ ipsis assignatis, (ut explicabimus par. 2. in singulis feriis, ubi de præfatis singulis Missis ageretur) attamen si private legantur, assumi poterunt in qualibet feria. Gavant. par. 1. tit. 4. nu. 3. lit. p. Merat. cit. nu. 6. & 12. Licet Didacus de Avendano apud Gobat tr. 3. n. 731. in append. putet, etiam pro Conventuali dici posse in qualibet Feria non habente Missam propriam : eo

quod Rubrica non limitet ad solas Missas privatas ; nec contradicit Gobat, si usus adsit.

In hujusmodi Missis color paramentorum Celebrantis erit respectivæ Missæ conformis, ut explicabitur par. 2. ubi de singulis ; Altaris autem paramenta erunt coloris conformis Officio. Solemniter vero cum celebrerentur, Altaris etiam paramenta erunt in colore solemni Missæ conformia tempore Missæ . Merat. l. cit. nu. 37. Vid. dicenda lib. 3. 2. Novembr. n. 81.



CA-

C A P U T II.

DE OFFICIIS VOTIVIS PARTICULARIBUS HEBDOMATICIS.

A G I T U R S E C T I O N I B U S II.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*

Sect. II. *De Missa.*

S E C T I O I.

De Horis Canonicis.

SI CUT Universalis Ecclesia de SS. Dei Genitrice totius Mundi speciali Advocata singulis Sabbatis non impeditis Officium instituit, ut suo loco videbimus; similiter Patronos suos semel saltem colere Mensibus singulis, aut hebdomadibus induxerunt particulares Ecclesiae, & Ordines Regularium: ut sibi eorumdem patrocinium conciliarent validius, quorum cultui vacarent frequentius; recitando videlicet saepius per anni cursum, ac repetendo ea, aut similia Ecclesiastica Officia, quae in Sanctorum honorem persolvi solent in eorumdem solemni die Festivo. Similia sunt Officia, quae alicubi in qualibet hebdomada, aut Mense, atque adeo saepius per annum recitantur de aliquo Mysterio, aut sacra Reliquia: puta de SS. Sacramento in Feria V. de Conceptione B. V. in Sabbato; de SS. Sanguiue Christi, de Sacra Sindone &c.

Hujusmodi autem Officia, ut licite recitentur, speciali opus est concessione Apostolicæ Sedis, aut legitimæ Consuetudinis privilegio, quae nimirum sit vetustior Bulla Pii V. per quam interdicitur Divinorum Officiorum recitatio sine Concessio-

ne Summi Pontificis, mutatio, additio &c. Est autem hic animadvertendum, quod Regulares propter Communicationem, seu participationem privilegiorum Mendicantibus, sive aliis Religionibus concessam, recitare non possunt Officia specialiter concessa aliqui Religioni, ut de Corpore Christi, &c. Et quatenus extensio petatur; omnino quoad tempus Adventus, & Quadragesima non est concedenda. S. R. C. 30. Sept. 1679. in una Cappucinor. apud Caval. to. I. c. 7. d. 2. Porro Communicatio etiam amplissimè privilegiorum unius Religionis alterè facta, non se extendit ad Officia Sanctorum S. R. C. 16. Decemb. 1679. in una Ord. Minor. Observ. apud Caval. l. cit. d. 3. qui ibi n. 15. doceat: ne quidem licere ratione Communicationis privilegiorum, Officia uni Conventui concessa, ab altero ejusdem Ordinis recitari, nisi & huic in specie concedantur.

Prædicta Officia semel singulis hebdomadis, aut Mensibus recitata, solent nuncupari *Votiva*: vel quia non sint in præcepto, vel si ex præcepto esse dicantur, adhuc Votiva nuncupari possunt ex eo, quia ex devotione solent assumi, sicut hac de causa Votivum dicitur a nonnullis Officium S. Mariæ in Sabbato, etsi in præcepto sit institutum; ut Caval. notat to. 2. c. 24. n. 4. Porro

B b 2 dis.

dissident Auctores , eodem Caval. teste num. 3. an hæc Officia sint liberæ recitationis , vel necessariæ , & de præcepto ? Apud eumdem M^ratus facit *ad libitum* ; Bordonus *ex privilegio* ; Eustachius a S. Ubaldo putat esse *ex præcepto* ; supposito quod fuerint acceptata : ipse Caval. autem c. 22. in decr. 2. n. 15. dixerat : hujusmodi Officia vel *ad libitum* esse , *vel ex privilegio* ; & certe Indultarios ad sui celebrationem per se minime cogere ; postea vero supra cit. c. 24. n. 3. refugit , hæc Officia existimari *ad libitum* , eo quod in eorumdem Concessione defit notula *ad libitum* : ac docet ; ea esse similia Officiis , quæ solent concedi semel in anno recitanda quibusdam locis , seu Ecclesiis particularibus , in terminis facultativis absque notula *ad libitum* ; quæ quidem Officia , ut videbimus lib. 3. 19. Januar. n. 2. postquam fuerint acceptata , non sunt *ad libitum* . Caval. igitur , ut ibi dicemus , docet : concessa quidem esse *ex privilegio* , at post acceptationem evadere de præcepto , quatenus post acceptationem factam a Superioribus , non amplius videatur libera privatis recitatio diætorum Officiorum , sed imperata : sive postea id fiat per præceptum a Superioribus acceptantibus , explicite , *vel implicite latum* ; aut per inhibitionem ab iisdem factam de non usu privilegii , sive ob uniformitatem , quæ valde commendabilis est , præsertim in iis , quæ sunt communia ; ita ille . Sed in hujusmodi quæstione non opus est nos detineri ; hæc enim Officia Votiva , sive hebdomatica , vel menstrua etiamsi de præcepto esse dicantur , ubi semel acceptata fuerint , & notari

contigerit , ex propria cujusque devotione libenter recitantur .

Jamvero hæc Officia Votiva hebdomatica , vel menstrua , seu recitari concessa semel singulis Mensibus , vel hebdomadibus anni determinata , ac certa , vel non determinata , & nec certa die , ut de Conceptione B. M. V. in Sabbato , de SS. Sacramento in Fer. V. vel de aliquo Sancto ; e. g. Fundatore Religionis propriæ singulis hebdomadibus semel : sive alio Sancto semel singulis Mensibus ; & similia Officia Votiva hebdomatica , & menstrua recitari minime possunt in Feriis Adventus , & Quadragesimæ , in quatuor Temporibus , in Vigiliis , sive cum jejunio , sive absque jejunio , in Feria secunda Rogationum , atque in illa Feria , in qua secundum Rubricas , est reponendum Officium Dominicæ anticipandæ , ut aliquando accedit Dominicis post Epiphaniam , & post Pentecosten . Item nec possunt recitari in diebus , in quibus est reponendum translatum Officium duplex , *vel* semiduplex , nec denique in diebus infra Octavas quaslibet , etiamsi de prædictis diebus exceptis nulla sit facta mentio specialis in aliquibus Officiorum hujusmodi Votivorum concessionibus , ex Decretis S. R. C. 7. Decembr. 1680. 1. Martii 1681. 7. Febr. 1699. 20. Martii 1706. 23. Junii 1736. & 1. Octobr. 1740. apud Caval. to. 2. c. 24. d. 3. 5. 6. 7. 8. 9. 12. Et c. 43. d. 21. secluso speciali privilegio , aut legitima consuetudine ante Bullam Pii V. ut supra . Caval. cit. c. 24. in d. 2. 4. 7.

Officia Votiva hebdomatica , vel menstrua non afferunt necessarium impedimentum Officiis *ad libitum* ; quem-

quemadmodum dicemus 19. Januar. n. 7. fine . Vid. Caval. tom. 2. c. 22. d. 2. n. 15. & c. 24. d. 1. n. 3. Quamobrem in die , qua occurrit Officium *ad libitum* , non est obligatio reponendi Officium Votivum , sed potest recitari de occurrenti Officio *ad libitum* . Officium vero votivum , si non sit affixum certæ diei hebdomadæ , vel Mensis , potest ulterius differri , seu alia die celebrari infra ipsam hebdomadam , si sit hebdomaticum , vel infra Mensem eundem , si fuerit menstruum . Si autem affixum fuerit certæ diei , & in illa ipsa die occurrat Festum *ad libitum* , si fiat de Festo *ad libitum* , non potest transferri Officium Votivum ; ex Decr. S. R. C. 28. Novembr. 1682. In Faventina , apud Caval. tom. 2. c. 24. d. 1. Idcirco si habeatur privilegium recitandi e. g. de SS. Corpore Christi qualibet Feria V. & aliquando in Feria V. ocurrat Festum *ad libitum* , omisso Officio Votivo prædicto , potest recitari de Officio *ad libitum* ; ipsum vero officium Votivum nequit recitari in alia , sive sequenti , sive præcedenti Feria ejusdem hebdomadæ , sed est plane omittendum pro illa hebdomada . Contra vero si habeatur privilegium , recitandi semel qualibet hebdomada , die non impedita , Officium Votivum alicujus Sancti , puta S. Fundatoris propriæ Religionis , aut Patroni & in Fer. 2. c. g. ocurrat Festum *ad libitum* ; potest in dicta Feria recitari de Festo *ad libitum* ; & Officium Votivum differri ad aliam diem non impeditam infra eamdem hebdomadam ; si fuerit : aliter omittatur pro illa hebdomada Officium Votivum hujusmodi . Officia enim *ad libitum*

afferunt impedimentum sufficiens hujusmodi Officii Votivis , et si non necessarium .

Hinc etiam notandum , quod si concessum sit Officium Votivum pro qualibet die Mensis , que prima occurrat non impedita , si in prima v. g. die Mensis occurrat festum *ad libitum* , potest reputari , & haberi pro die impedita , atque adeo non cessat pro eo Mense privilegium recitandi Officium prædictum Votivum ; sed si in illa prima die Mensis recitetur de Festo *ad libitum* , poterit Officium Votivum reponi in alia die ejusdem Mensis , que prima occurrerit simpliciter non impedita . Caval. in d. 1. n. 3.

Cæterum etiam universaliter loquendo , Officia Votiva certæ diei Mensis , vel hebdomadæ affixa , undcumque eveniat in propria die minime persolvi , non possunt transferri , sed debent plane omitti , pluries enim S. Congregratio sancvit , Officia Sanctorum celebranda esse eo die , quo cadunt , seu quo sunt concessa , nec liberum esse quidquam in hac re mutare ; ut animadvertis Caval. in d. 3. n. 2. fine . Si autem minime sint affixa certæ diei Mensis , vel hebdomadæ poterunt qualibet die non impedita Mensis , si sint menstrua , vel hebdomadæ , si hebdomatica fuerint , recitari .

Officium Votivum affixum certæ diei non impedit , quominus eo omisso , reponatur Officium alterum votivum nulli certæ diei assignatum ; & sic e. g. ab habentibus privilegium recitandi qualibet Sabbato non impedito Officium Votivum Conceptionis B. V. & semel qualibet hebdomada , die non impedita , Officium Votivum S. Fundatoris ; posset

set in Sabbato, omisso Votivo Conceptionis, recitari Officium Votivum laudati Sancti; et si hoc non congruat in dicto, & simili exemplo. Vide dicenda n. sequenti fine, & in Sab. art. 4. sect. 1. n. 35.

5 Officium S. Mariæ in Sabbato, & Officium Defunctorum non impediunt hæc Officia Votiva, ut constat ex seq. Decr. Officium semel in hebdomada concessum recitari potest die Sabbati, si totam hebdomadæ sit impedita, & in tali casu omitterendum est Officium S. Mariæ in Sabbato. Prima autem die Mensis non impedita festo duplici, vel semiduplici, & in qua occurrit recitari Officium Defunctorum; potest recitari supradictum Officium, semel in hebdomada concessum, transferendo, vel etiam aliquando omissendo Officium Defunctorum. S. R. C. 27. Apr. 1697. in Panormitana, & 7. Febr. 1699. in Tarvisina. Apud Caval. d. 10. & c. 30. dist. 18. Nota, quod Decrétum procedit de Officiis Votivis nulli affixis diei ex præcedentibus Sabbatum. Licet autem in Decreto dicatur: prædictum Officium reponi posse in Sabbato, si tota hebdomada fuerit impedita: non videatur tamen id necessarium, sed simpliciter Officium B. M. in Sabbato, non impedire Officium Votivum prædictum; & illa verba limitativa potius inventa fuisse in responsionem ratione petitionis exhibitæ sacræ Congregationi, quæ fortasse fuit: num Officium semel in hebdomada concessum, recitari possit die Sabbati, cum omissione Officii S. M. in Sabbato, si tota hebdomada sit impedita? Ita Caval. in cit. d. 10. n. 1. Cæterum ut idem observat, conditionem facere possunt relate ad ea of-

ficia, quorum indulta sunt pro prima die non impedita: cum enim hujusmodi Officia sint alligata primæ diei non impeditæ; in Sabbato reservari non possunt, si in præcedentibus diebus aliqua fuerit libera. Secundus vero est, si sint celebrari concessa semel in hebdomada pro die non impedita, quia cum tunc concessio diem minime determinet, sed illam deserat arbitrio recitantium, his integrum est, quam voluerint determinare. Hæc Caval. qui tamen n. 3. animadvertisit, quod, licet hæc ita se habeant, nihilominus non congrueret, hujusmodi Officia reponere in Sabbato, si sint præcedentes dies non impediti, ob respectum, & obsequium SS. Virginis, ne ejus officium omittatur. Vide dicenda in Sab. sup. cit. n. 35.

In Officiis per annum semel in 6 Mense, aut hebdomada recitandis non est necessario attendendus ordo dignitatis, ex declaratione S. C. R. 27. Septem. 1698. in una Cappucinor. apud Caval. tom. 2. c. 24. Decret. 11. Congruit autem, ex ejusdem Auctoris animadversione l. cit. nu. 5. quod servetur dignitatis Ordo, nisi celebritas major, quæ prævaleat dignitati accidentalí, aliter fieri suadeat; quare Officium Votivum Institutoris Ordinis, et si inferioris in ordine hierarchico, tamquam celebrius præponendum erit Officiis Votivis aliorum Sanctorum; & sic etiam inter Sanctos indigenas, si qui sunt celebriores, & peculiaris venerationis in Religione, cæteris præferendi erunt, et si in dignitate nobilioribus; ita Caval. qui etiam nu. 6. animadvertisit, æquum similiter esse, quod ita distribuantur hujusmodi Officia, ut vicissim de

de omnibus æque fiat; nec, ut servetur dignitatis, vel solemnitatis Ondo, congruit, quod aliorum parvipendantur laudes, & merita.

- 7 Quod attinet ad ordinem recitandi Officia hujusmodi: 1. & 2. Vesp. ordinentur juxta Rubricas generales de concurrentia Officii; quod si fit de S. Confessore, in hymno *Iste Confessor*, dicatur. meruit supremos. In hujusmodi Officiis Votivis sub ritu semiduplici recitatis fieri debent suffragia, seu Commemorations communes Sanctorum; secus autem si sub ritu duplice sit concessio recitandi, ex Declaratione S. C. R. 23. Jumi 1736. in *Einsidlen*. Vide par. 2. in Fer. V. n. 7. Est autem omittenda Commemoratio S. Fundatoris proprii, seu Patroni principalioris, si de eo votivum Officium recitetur; porro non fit (nisi fortasse in Festis Domini diversæ rationis; vide dicenda tr. 2. in Dom. 2. post Epiph. art. 1. seet. 1. n. 2.) commemoratio ejus, de quo recitatur Officium; vide dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 7. art. 3. n. 35. Nec est illius vice supponenda commemoratio alterius Patroni minus principalis; uti habetur in Decr. S. C. R. 23. Jun. 1736. in *Einsidlen*. apud Caval. Decr. 13. Vide dicenda cit. c. 7. n. 38.

- 8 Si occurrat aliquod Festum simplex; nona Lectio legitur de eo, & fit commemoratio ejusdem in Laudibus ante suffragia. Lectiones autem 2. & 3. nocturni vel propriæ, si habeantur assignatae, vel de Communi.

In Officiis Sanctorum concessis Regularibus infra annum, puta Conceptionis B. M. V. Ordini S. Francisci: sicut etiam in Officiis translationum Eccl. Octava benedictio erit: Cu-

jus Festum colimus Eccl. S. R. C. 13. Febr. 1666. apud Caval. to. 2. c. 34. d. 5. & apud Meratum ind. decret. Brev. n. 91. Et confirmatum fuit 1736. apud eundem Meratum l. cit. & Caval. l. cit. n. 6. in decreto hujus tenoris: *Pro IX. Benedictione (juxta ritum monasticum) in Officio Mensili S. Scholasticae, item in Officio qualibet hebdomada de S. Benedicto, & in Officio de B. M. V. Conceptione in Sabbatis non est dicendum: Cujus Commemorationem & sed semper dicatur: cuius Festum colimus Eccl. S. R. C. 5. Maii 1736. in *Einsidlen**. Porro Festi vocabulum pro Officio passim usurpatur in Sacris Ritibus; unde in hujusmodi Officiis Votivis, etiam si non occurrat Festum Sancti, de quo recitatur Officium, rite dicitur: *cuius Festum*. Deinde & haec Officia Votiva existimari possunt repetita Festa Sanctorum, in quorum recitantur horæ. Caval. l. cit. n. 5. Unde idipsum præstandum erit in Festis Secundariis Sanctorum, puta Conversionis S. Pauli; Translationis; &c. ut dicitur in Decreto.

S E C T I O II.

De Missa Votiva.

Missa Ecclesia Cathedrali, vel Collégia, quæ habet privilegium recitandi Officium novem Lectionum quilibet hebdomada non impedita, non potest cantari unica Missa Feriae cum commemoratione Officii currentis novem Lectionum, quando ea die occurrit Feria, quæ habet Missam propriam. S. R. C. 5. Julii 1698. in Collen. apud Meratum Ind. decret. Miss. n. 533. Hoc idem Decretum ab eodem Merato to. 1. par. 3. tit. 11. n. 4. Decr.

Decr. 16. describitur ita: *In Ecclesia Cathedrali, quæ habet privilegium recitandi Officium Sanctæ Crucis qualibet Feria VI. non impedita, non potest cantari unica Missa Feriae cum commemoratione Sanctæ Crucis, quando in dicta Feria VI. occurrat Feria, quæ habet Missam propriam S. R. C. 5. Julii 1698. in Collen. ad vigesimum dub.* Decretum hujusmodi est conforme Rubr. gener. Vid. dicenda tr. 2. lib. 5. par. 1. cap. 4. n. 10.

Cum quæsitus fuerit declarari a S. R. C. Num Missæ, quæ cohærenter ad Officia semel in Mense, vel bebdomada recitari concessa, celebrantur cum Gloria in excelsis: puta de Sanctissimo Sacramento Feria quinta; de Sanctissimo Nominе B. V. M. in Sabbato; de Patrono principali in alia Feria: habere debeant etiam Credo? Responsum fuit Negative S. R. C. 26. Augusti 1752. in Gadicens. ad 1. dub. apud Caval. to. 5. in Collect. recentiorum Decretor. Si tamen Officium Votivum hebdomadicum, vel menstruum Christi Domini, aut B. Virginis recitari concessum sit sub ritu duplice; recitandum esse in Missa Credo: statuit Cavalerius to. 5. cap. 12. n. 18. (alias per er. n. 19.) Similiter si sub ritu præfato simile Officium, concessum sit, recitari de aliis Sanctis, quorum Festa duplia ex se Symbolum depositant. Confer dicenda in Feria V. n. 13.

10. Qu. Utrum, si Sanctus, de quo fit votivum Officium hebdomadicum, aut menstruum, habeat Missam propriam, possit hæc dici, cum fit ejusdem Officium præfatum.

R. Ita de facto fieri solere, testatur Franciscus de-Lugo de Sa-

cram. lib. 5. de Miss. c. 9. qu. 4. n. 31. Etiam quando dicitur Missa vere proprieque Votiva de aliquo Sancto, vel Sancta, ita debere fieri, tamquam a S. R. C. declaratum, & haberi ex quodam Concilio Balneoregiensi tradit Meratus to. 1. par. 1. tit. 4. n. 18. dummodo veritas, & ritus verborum non violetur: posse tamen variari, si oporteat, verbum bodie ubi reperiatur: & mutari in Oratione vocem: *Natalitia, Festivitas, solemnitas*, & alia hujusmodi in vocem *commemoratio, aut memoria*. Consonat Gavantus par. 4. tit. 17. num. 13. favetque S. R. C. in Decreto 22. Decembr. 1753. in Vilnen. ad 5. dub. in quo declaravit, quod pro Missa Votiva S. Casimiri, si habeatur propria, mutanda sunt verba: *Natalitia, & Festivitas; in aliâ Congruentia Votivæ, scilicet Commemoratio, aut memoria*. Apud Caval. tom. 5. in collect. recentior. decretor. A fortiori ergo potest quando fit Officium. Si tamen in Missali habeatur Missa Votiva, ea legenda est, quando dicitur Missa votiva vere, & proprie talis, seu non concordans Officio, neque ab Ecclesia demandata: Vid. dicenda par. 2. in Fer. V. art. 1. sect. 2. qu. 1. num. 15. & in Sab. art. 4. sect. 2. nu. 40. Infra octavam vero legenda foret Missa ut in Festo, et si ritu Votivo. Merat. l. cit. iterum confer dicenda in Sabbato cit. nu. 40. fine.

Animadvertisendum etiam est: Missam propriam accommodandam esse tempori, in quo legitur: puta addendo *Alleluja* tempore Paschali; demendo post septuagesimam; dicens Tractatum &c. Hujusmodi au-

tem

tēm si in proprio non assignentur, desumantur ex respectivo Communi. Videri potest Meratus l. cit. & n. 38. 45. & 50.

Similiter in præfatis Missis de Sanctis sub ritu semiduplici letis dicitur 2. & 3. or. pro varietate temporum, hoc est ab Octava Paschæ usque ad Ascensionem 2. or. de S. Maria: *Concede nos. 3. Ecclesie.* vel pro Papa. Rubr. gen. Miss. tit. 9. n. 6. Ab Octava Epiphaniæ usque ad Purificationem 2. or. de B. V. Deus, qui Salutis. 3. Ecclesie. vel pro Papa. Rubr. cit. n. 3. Etiam si transferatur Officium Purificationis. non ideo tamen dicuntur adhuc præfatæ duæ Orationes, sed cessant a die 2. Februarii; Vide dicenda 2. Februar. art. 2. n. 13. & art. 4. n.

61. Deinde a Purificatione, seu post diem secundam Februarii usque ad Quadragesimam, & ab Octava Pentecostes usque ad Adventum 2. or. *A cunctis.* 3. ad libitum. Rubr. cit. n. 2. Vide rursus dicenda cit. die 2. Febr. cit. n. 61. Quando autem occurrit Commemoratio Simplicis, 2. or. de eo; 3. quæ erat 2. de tempore. Rubr. cit. n. 16.

Nota hic: in Oratione: *A cunctis* in Lit. N. non esse nominandum in Missa de Sancto Patrono principaliori, seu de Titulo Ecclesiæ nomen ejusdem; sed vel nihil dicendum: vel, ut quidam volunt, nominari posse alium Sanctum Canonizatum, juxta propriam devotionem; Vide dicenda cit. die 2. Febr. n. 62.



P A R S S E C U N D A
 L I B R I I I .
 N O T A N D A I N H E B D O M A D A
 S I N G U L I S S I G I L L A T I M D I E B U S .

P R O C E M I U M .

HEBDOMADA, seu Septimana septem constat diebus; (Porro apud nos non est in usu nisi Hebdomada dierum: et si aliter etiam accipiatur in divinis Scripturis:) quarum primam vocamus Dominicam, ultimam vero Sabbatum, & medias, retento Romanorum Gentilium more, vulgo diem secundam dicimus Lunæ, tertiam diem Martis, quartam diem Mercurii, quintam diem Jovis, sextam diem Veneris: Sed etiam dies septima id est Sabbatum vocari solet, ex eodem profano more, dies Saturni: sicut & Dominica invenitur, licet rarius, nuncupata dies Solis. Vide dicenda in Dominica n. 6. Profecto, ut ibi notabimus, veteres Romani dies omnes Hebdomade quibusdam sideribus sacraverunt Videri potest Durandus in Ration. lib. 7- c. 1. n. 9. & lib. 8. c. 5. n. 2. & 3.

Ecclesiastico autem more jam olim in Ecclesia Feriæ sunt nuncupatae predictæ omnes hebdomadæ dies. Et licet S. Augustinus fuerit opinatus, appellationem feriæ, profanorum nominum loco, inventam fuisse; ut alia nimirum esset in Ecclesia ab ethnica superstitione loquendi ratio; nihilominus ipsa Feriæ vox ab iisdem Ethnicis ad Christianos translata, dignoscitur: Siquidem habebant Ethni-

ci quos dicerent feriatos Dies. Prædictum usum firmavit S. Sylvester Papa, qui *Sabbati, & Dominicæ dies nomine retento, reliquos Hebdomadæ dies feriarum nomine distinctos, ut jam ante in Ecclesia vocari cœperant, appellari voluit; quo significaretur, quod idie Clericos, abjecta caterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere.* Ita legitur in Brev. Rom. in le&t. 2. noct. in officio laudati S. Pontificis; & refert etiam Rabanus Maurus Inst. Cleric. lib. 2. c. 46. Durand. cit. lib. 7. n. 11. & 12. ac Walafridus Strabo lib. de rebus Ecclesiastic. c. 20. ubi hæc habet: *Quia vero Venerabilis Papa Sylvester XXXIV. a Beato Petro, ferias Clerorum babere docuit, ut sicut apud Paganos feria tantum dies aliquibus festis insigniti dicebantur: (sic enim per Moysen dicitur. Ha sunt feriae Domini;) ita Christianis, & maxime Clericis omnes dies in ferias deputentur; videtur ratione plenissimum, ut per singulos dies sacris occupemur officiis: Profecto ex Durando cit. n. 11. Interpretatur feria quasi dies solemnis, a feriendo dicta, unde prima dies Septimanae solemnis est. Vocantur ergo feriae a feriendo, quia toto tempore a vitiis feriare, id est vacare debemus, non quod sit a necessariis vitæ operibus feriandum. Vel dicitur a fando, id est, loquendo: quoniam sicut legitur in Gen. Dominus dixit, & facta sunt. Hæc Durandus;*

dus; & Rabanus etiam loc. cit. putat Ferias a fando dici; Nicolaus Duard autem in prædictum locum Durandi ait, Ferias videri potius dictas a feriendis Victimis, vel ab epulis ferendis, qui dies erant cessationes ab opere, quibus epulæ fiebant ex pecorum frugumque proventibus. Denique S. Augustinus lib. I. de Sermone Domini in monte existimat ad Paschalis Hebdomadæ formam, quæ tota Festis constabat, cæterarum Hæbdomadarum dies Feriarum nomen accepisse.

Ecclesiastico itaque more sic dies Hebdomadæ numerantur, atque vocantur: scilicet Dominica Feria se-

cunda, Feria tertia, Feria quarta, Feria quinta, Feria sexta, & Sabbathum. Quod autem Dominica sit prima dies Hebdomadæ; ultima Sabbathum; & quare prima dies Hebdomadæ Dominica dicatur; & cur septima Sabbathum nuncupetur? ostendemus, & explicabimus hic, ubi agemus de Dominica die, & ubi de Sabbato. Agendum enim nobis est in præsenti de quæstionibus moralibus, institutionibus Ecclesiasticis, sacrisque ritibus notandis in singulis prædictis septem diebus Hebdomadæ sigillatim: juxta quorum numerum Partem hanc dividemus in capite septem. Sit itaque



C A P U T I.

N O T A N D A I N D O M I N I C A

E X P L I C A N T U R A R T I C U L I S I X .

- Art. I. *De Dominica quoad se.*
- Art. II. *De Horis Canonicas.*
- Art. III. *De Aqua benedicta.*
- Art. IV. *De Missa.*
- Art. V. *De Renovatione Ciborii, seu sacræ Pyxidis.*
- Art. VI. *De Collatione Ordinum.*
- Art. VII. *De Cæremonia orandi erecto corpore.*
- Art. VIII. *De Indulgentiis.*
- Art. IX. *De Jejunio.*

A R T I C U L U S I .

De Dominica quoad se.

I Qu. I. QUTRUM Dominica sit prima, vel ultima dies Hebdomadæ?

R. Esse primam. Patet, quia septem diebus constat Hebdomada, quarum ultima est dies Sabbati; ergo Dominica est prima. Quod autem Sabbathum sit ultima dies Hebdomadæ constat Exodi 20. a v. 8. ubi proponitur tertium Decalogi præceptum sic: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices: sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbathum Domini Dei tui est.* Et iterum c. 31. v. 15. *Sex diebus facietis opus: in die septimo Sabbathum est, & requies sancta Domino.* Quibus locis, & aliis similibus sermo est de Hebdomada dierum, quorum primi sex liberi relinquebantur populo hebræo ad laborandum; septimo autem die, qui dicitur Sabbathum, interdicebatur labor. Ergo Sabbathum est septima dies, & ultima,

quæ septimanam claudit; Dominica vero est prima dies, ex qua incipit Septimana.

Confirmatur I. ex Glossa in C. licet de feriis v. *septimum diem.* Ubi inquit, *vetus Testamentum quieti deputasse Sabbathum ad litteram, & quasi materialiter; Novum vero, (ait) spiritualiter illud servat, primam diem pro septimana celebrando.* Constat autem, diem quieti in novo Testamento destinatam esse Dominicam. Ergo ex Glossa dies Dominicæ est dies prima Septimanae. Item a Scriptoribus de reb. Eccl. Dominicæ passim vocatur Feria prima, ut apud vulgatum Alcuinum de Divinis Officiis in priori cap. de *Septuagesi.* Similiter apud Durandum in *Ration. Div. Offic. lib. 6. c. 24. n. 8.* Videri etiam potest Baronius ad an. Christi 58. n. 87. Rursus Ecclesia in Officio canonico ad Matutinum Dominicæ in aliquibus anni temporibus canit: *Primo die, quo Trinitas Beata Mundum condidit, vel quo resurgens Conditor, nos morte victa liberat.* Ubi patet, per primum diem venire Do-

Dominicam . Dominicam esse primum Hebdomodæ diem docet S. Basilius Cæsar. Isidorus , Augustinus , Beda infra allegandi , aliique : ex Theologis autem moralibus , Tamburinus , Bardi , La-Croix & alii . Confirmatur 2. ex eo quia dies , quæ Dominicam sequitur , Feria secunda dicitur ; ergo dies præcedens est Feria prima , ut jam de facto a vulgato Alcuino , & Durando vocari audivimus ; et si nomine quodam peculiari , & excellentiori dies Dominicana nuncupetur , ob rationes qu. 2. assignandas .

Porro dies Dominicana est dies prima Hebdomodæ , quia ipsa fuit prima dierum omnium , & prima dies Hebdomodæ primæ a constitutione Mundi : *Sex enim diebus fecit Dominus Cælum , & Terram , & Mare , & omnia , quæ in eis sunt ; & requievit in die septimo.* Exodi 20. 11. qui dies septimus , in quo Dominus requievit , ut supra diximus , Sabbatum nuncupatur .

2 Sed nota hic I. quod et si Dominicana vocari possit Feria prima , ut affirmat Durandus in Ration. l. 7. c. i. n. 10. & sic etiam passim dicta inveniatur a Scriptoribus veteribus de rebus Ecclesiasticis , ut modo observavimus ; id tamen non procedit quoad Divini Officii , & Missæ celebrationem , seu recitationem ; respectu cuius , nomine Feria non venit Dominicana . In quo quidem sensu negat Gavantus in Rub. Miss. par. 1. tit. 7. n. 2. Dominicam esse feriam primam . Videatur etiam Caval. Comment. in decret. S. C. R. to. 2. c. 14. in d. 1.

3 Nota II. quod licet Dominicana sit prima dies Hebdomodæ , nihilominus invenies aliquando diem septi-

mam nuncupari . Sic C. Licet . de seruis ubi Alexand. III. dicit : *Lices tam veteris , quam novi Testamenti pagina septimum diem ad humanam quietem specialiter deputaverit &c.* Quo loco nomine septimi diei ad quietem deputati in veteri Testamento , venit Sabbatum : nomine autem septimi diei ad quietem deputati in novo Testamento , venit Dominicana . Constat enim Dominicam esse in novo Testamento quieti destinatam ut etiam notavimus n. 1. Similiter Suar. to. 1. de Relig. tr. 2. lib. 2. cap. 4. num. 16. inquit , ad profitendum Mysterium Trinitatis destinatum esse septimum diem Hebdomodæ ; loquitur autem de Dominicana .

Rursus quandoque appellari invenies diem octavam ; ita ab Augustino lib. 1. de Serm. Dom. in monte c. 4. ubi inquit : octavam beatitudinem significari fortasse , & Circumcisione octava die in veteri Testamento , & Domini Resurrectione post Sabbatum , qui est utique octavus . Similiter Isidorus Hispalen. Episc. de Eccl. Offic. l. 1. c. 24. ait de die Dominicano : *Qui post septimum reperitur octavus , & iterum : Dies Dominicus idest octavus .* S. Basilus lib. de Sp. Sanc. c. 27. similiter loquitur , notans , quod dies Dominicus , *Cum sit principium dierum , non primus a Mose , sed unus appellatus est : factum est , inquit , Vespe , & Mane , dies unus : tamquam qui saepe recurrit , ut unus sit idem , & octavus ; Unum illum singularem , ac verum octavum , cuius Psalmista alicubi in Psalmis mentionit , per se significans &c.* Item Toletus Instr. Sacerd. lib. 4. c. 24. n. 4. inquit , Christi Ecclesiam observare non diem septimam , ut Judei ,

dæi , sed octavam , quæ Dominica dicitur .

Jamvero illi , qui Dominicam dicunt diem septimam , ita vocant , quasi generatim , seu formaliter , considerantes esse ultimam in septenario numero , accommodate ad testimonia prædicta Scripturarum , in quibus dicitur , sex diebus permitti labor , in septimo autem exigi quies , & a labore cessatio ; quasi generatim itaque , formaliterque loquentes dicunt : in Testamento Novo servi adhuc diem septimum , sicuti servabatur in Veteri ; videlicet , quemadmodum tunc post sex dies laboris , septimus sequens quieti destinabatur ; ita & nunc post sex dies laboris septimus quieti est destinatus : quod non est dicere ; diem septimum hebdomadæ esse Dominicam ; sed est , Dominicam appellare diem septimum in sensu prædicto . Vid. dicenda in Sabbato art. 1. qu. 2. n. 16. ubi prædicta verba Alexandri III. explicabimus ex Suarez ; unde ipsis Patris Suarez mens ex se ipso patebit ; & adhuc hic notamus , quod si Suarez l. cit. Dominicam vocat diem septimum , idem eodem loco n. præcedenti dicit , esse diem primam : hæc enim habet in principio datum est manna Hæbreis per sex dies continuos , & cessavit in septimo , quia erat Sabbathum , unde bene concluditur , cœpisse in Dominicæ , seu primo die ; ita Suarez . Similiter qui Dominicam dicunt , esse diem octavam ; considerant illam , ut diem quæ Sabatum sequitur , præscindendo ab Hebdomada , & septimana dierum . Jamvero cum Sabbathum in prædictis Scripturarum textibus dicatur esse dies septima ; hinc quasi generatim , formaliterque lo-

quentes , Dominicam , quæ hujusmodi diem septimam sequitur , dicunt , esse diem octavam . Id indicat Durandus in Ration. offic. lib. 6. c. 86. n. 1. dicens : In hac autem die surrexit Dominus , quæ est prima , & rediens ad caput , est octava . Idem significat S. Basilius verbis supra laudatis ; & clarius Isidorus loco allegato dicens : Ipse est enim dies primus , qui post septime reperitur octavus . Eadem verba habet Beda de Officiis . c. de Dominicæ die sub initium . Denique etiam Augustinus eodem testimonio supra allegato pro eo quod Dominicum diem dicat octavum ; simul asserit esse primum : post illa etenim verba : Qui est utique octavus : statim subdit : idemque primus dies . Itaque , ut ait Rupertus Abbas de Divin. Offic. l. 7. c. 19. Eadem octava dies , quæ est prima .

Prædicti vero modi loquendi , sunt 4 improprii , minusque recti ; proprie enim loquendo , Dominicæ est prima dies Hebdomadæ , & ab ea incipit quælibet septimana , ut supra probatum est ; unde Azorius Instit. Moral. par. 2. lib. 1. c. 10. init: inquit : octavum diem , transacta jam Hebdomada , primum sequentis alterius Hebdomadæ diem esse , quo Dominus resurrexit . Ex hoc autem sequitur , quod qui ex voto , aut alia quavis obligatione terieatur aliquid præstare , vel ab aliquo abstinere quælibet prima Hebdomadæ die , proprie obligatur in Dominicæ , non autem die Lunæ , seu Feria secunda ; nisi aliter constet ex mente obligantis .

Qu. II. Cur prima dies hebdomadæ Dominica nuncupetur .

R. Primus hebdomadæ dies Ideo Dominicus appellatur , ut in eo a ter-
re-

renis operibus, vel a mundi illecebris abstinentes tantum divinis cultibus ser-viamus. Ita S. Isidorus Hispal. Episc. de eccl. off. l. i. c. 24. de Dom. Itaque prima dies hebdomadæ Do-minica est nuncupata per antonomasiam; seu per quamdam excel-lentiam; tum quia præ cæteris om-nibus festivitatibus divino cultui spe-cialius, & congruentius dedicatur; unde etiam Eusebius lib. 4. de demon-str. Evang. c. 18. ait: *Is unus, & solus revera est proprius, ac Do-minicus dies, & melior est aliis innumerabilibus diebus, sive qui com-muniter intelliguntur, sive qui a Moy-sa in solemnibus, & noviluniis, & Sabbatis lego sancti sunt.* Tum quia in ea peractum est excellentissimum Mysterium Resurrectionis Domini-ca; unde Scriptor Constitutionum Apostolicarum l. 7. c. 31. inquit, *Die Resurrectionis Domini, quem Do-minicum dicimus, convenite &c.* Por-ro, ut ex Innoc. I. dicetur inferius n. 9. *Diem Dominicum, ob venerabilem Resurrectionem Domini nostri Je-su Christi, non solum in Pascha cele-bramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum iphus dies ima-ginem frequentamus.* Inde quoque dies hæc ab ipso Domino facta di-citur per antonomasiam Ps. 117. 24. *Hec dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.* Ubi sermo est de die Resurrectionis Do-mini. Profecto totus ille Psalmus de prædicta Resurrectione est evi-denter; de qua etiam ipsemet Chri-stus illum interpretatus est, de se ipso exponens illa verba, quæ proxime præcedunt: *Lapidem, quem reprobaverunt adificantes, hic factus est in caput anguli.* A. *Domino factum est istud, & est mirabile in oculis no-*

stris. Post quæ verba immediate sub-sequuntur illa: *Hec dies, quam fe-cit Dominus, &c.* Dicta ergo sunt specialiter de die Resurrectionis Do-mini, ut universa intellexit Eccle-sia, quemadmodum patet ex Officiis ecclesiasticis paschalibus. Imo Hieronymus in Marc. 16. inquit: *Post Sabbathum tristia, felix irradiat dies, qua primatum in diebus tenet, luce prima in eo lucescente, & Do-mino meo cum triumpho resurgentem, & dicente: Hæc est dies, quam fecit Dominus; exultemus, & lætemur in ea.* Inde igitur prima dies hæbdomadæ, quam Ecclesia, ut festivam servat, Dominica est appellata; & ut videtur, jam ab ipso Apostolo-rum tempore: Nam Joannes Apoc. 1. 10. commemorat, se Dominica die insignem illam revelationem ac-cepisse: *Fui (inquit) in spiritu in Dominica die.* Ubi sine dubio, ait Suar. tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 2. c. 4. init. Joannes diem illam Do-minicam appellat a Christo Domi-no, qui sua Resurrectione illam specialiter consecravit, ut dictum est; & ita quidem intelligunt OEcumenius, Beda, Chrysostomus, Anselmus, ac cæteri omnes Inter-pretes, teste Azorio Instit. Moral. par. 2. lib. 1. c. 2. qu. 1.

Nota. hic 1. Vocem hanc simili-cem *Dominica a Veteribus etiam usi-patam*, ad significanda Templa Do-minica: & in singulari *Dominicum*, ad significandum Templum vel sa-crosanctum Missæ Sacrificium. Vid. Baron. in not. Martyrol. Rom.. ad diem 25. Decembr. circa fin.

Nota 2. diem primam hebdomadæ h. e. Dominicam aliquando vo-cari *diem Solis*, ut a Justino Apo-log. 1. pro Christian. ad Antoninum Pium

Pium n. 67. *Solis*, ut dicitur, die, omnium, sive Urbes, sive agros incolentium, in eundem locum sit convenitus. Et rursus inferius: *Die autem Solis omnes simul convenimus*: tum quia prima haec dies est, qua Deus, cum tenebras, & materiam vertisset, mundum creavit: tum quia Jesus Christus Salvator noster eadem die ex mortuis resurrexit. Et S. Maximus infra allegandus inquit, quod dies Dominica *Ab Hominibus saeculi dies Solis vocatur*. Ita nimirum consueverunt Astrologi, & olim Romani, ob rationem modo assignandam. Similiter loquuntur nonnulli Recentiores, ut La-Croix l. 3. par. 2. q. 255. §. 5. ubi ait: *Si Episcopus in Quadragesima dispensans permittat diebus Solis, Lunæ &c. videlicet in Dominicis, in Feriis secundis &c.* Qui loquendi modus adhibetur, *i. omnes dies c. de Feriis* ubi dicitur: *Dies Solis, quos Dominicos rite dixerat Majores &c.* Sic autem dicta fuit prima dies hebdomadæ, quia Veteres Romani, ut initio dictum est, dies omnes hebdomadæ quibusdam sideribus sacraverunt. Vid. Durand. in Ration. Offic. lib. 7. c. 1. n. 9. & lib. 8. c. 5. n. 2. & 3. Jamvero cum Sol omnium siderum sit veluti Princeps, & caput, ideo ei sacraverunt principem hebdomadæ diem, seu primum, & caput cæterorum, & diem Solis nuncupaverunt. Duran. cit. c. 5.

Verum Christianos eos, apud quos consuetudo sit, Dominicam appellandi vulgo *diem Solis*: dici potest juxta S. Maximum Episc. Taurinen. ita appellare a Christo Domino, qui hac die veluti Sol oriens emicuit, e sepulcro surgens redivivus illuminans omnia; sic enim ha-

bet hom. 3. de Pentec. *Dominica enim nobis ideo venerabilis est, atque sollemnitas, quia in ea Salvator velut Sol oriens, discussis inferorum tenebris, luce resurrectionis emicuit, ac propterea ipsa dies ab hominibus saeculi dies Solis vocatur, quod ortus eam Sol justitiae Christi illuminet.*

Qu. III. Cur Dominica, ut Festiva servetur, & divino cultui specialiter dedicetur?

R. Quia cum naturalis ratio dicit, esse valde conveniens determinare tempus ad speciale cultum Dei, ut sic per publicam legem homines inducantur ad servandam Naturæ legem, cultum Dei præcipientem; & similiter cum consentaneum sit eidem rationi naturali, ut Dei cultus frequenter exerceatur; hinc ad hujusmodi frequentiam cultus divini exercendam, veteris legis exemplo, unicus hebdomadæ dies est designatus, qui licet in Veteri septimus fuerit, attamen congruentius, illa abolita, primus dies est constitutus. Et quidem rationes illas, propter quas Sabbati cultus fuerit abolitus, exponemus in Sabbato art. 1. qu. 2. a n. 3. Nunc explicandas sunt rationes aliæ, ex quibus Dominica, seu prima dies hebdomadæ divino cultui fuerit destinata.

Id igitur i. factum fuit, quia sicut in Lege veteri Sabbatum, sive septimus ab initio creationis dies colebatur, quiescendo, & cessando ab omni labore, eo quod in eo cesaserit Dominus, & requieverit ob omni opere suo, quod patrarat: Ita similiter in Lege nova congruentissime Dominica, sive prima creationis dies colitur, quiescendo, seu a servili labore cessando; quia videlicet hac die Dominus requievit ab

ex-

excellentiori opere , quod patrarat Redempzionis , & Reformationis Mundi , sive omnium hominum . Rursus si in Lege scripta Sabbathum colebatur ad Creationis beneficium recolendum ; congruentissime in Lege gratiæ , abolito Sabbato propter rationes in Sabbatho art. 1. loc. cit. explicandas , dies fuit substituta Dominica , ad recolendum beneficium tum ipsius Creationis , tum maxime Redempzionis , & restorationis humanæ substantiæ , que per peccatum fuerat penitus depravata ; quod est opus creatione mirabilius ; Unde dicit Ecclesia in quadam oratione Sacrificii Missæ : *Deus, qui humane substantiae dignitatem mirabiliter condisti, & mirabilius reformasti.* Adeoque congruentius dies Dominica collitur in Lege nova , quam in veteri fuerit Sabbathum . Et hæc est prima ratio , propter quam dies Dominica divino cultui specialiter destinatur , & ut festiva servatur , pro qua faciunt verba Scriptoris Constit. Apostolic. l. 7. c. 31. ubi omnes Christi fideles adhortans , ad devotissime colendam Dominicam , in Ecclesiam convenientes , quid in ea agere debeant explicans , inquit : *Die Resurrectionis , quem Dominicum vocant , convenite sine ulla conventus intermissione , ad agendum gratias Deo , & profitendum beneficia , quibus nos Deus per Christum affectit , cum liberavit nos ignorantia , errore , vinculis .*

9 Altera autem ratio est , quia dies Dominica tantis divinarum dispensationum mysteriis est consecrata , ut quidquid est a Domino insignius constitutum , in hujus diei dignitate sit gestum : ait S. Leo I. epist. 81. ad Dioscor. Alexandr. Episc. c. 1. & refertur in C. Quod die 5. dist. 75.

TOM. I.

Idque clarum fiet , si spectemus nonnulla saltæ ex multis mirabilibus a Deo in Lege gratiæ , in Lege scripta , & in Naturæ Lege patratis .

Et quidem primo , in die Dominica Mundus sumpsit exordium : constat enim , in Dominica fuisse creata quoad substantiam Cœlum , & Terram , & in eadem factam fuisse lucem , non solum spiritualem , & Angelicam , sed istam quoque materialiem , ratione cuius hæc fuit prima dierum ut , præter Leonem loc. laud. notat Augustinus ser. 154. & 251. de temp. S. Isidorus Hispalen. Episc. de eccl. Offic. l. 1. c. 24. de Dom. Beda lib. de Offic. Eccl. c. de Dominico die .

Secundo , in Dominica Filii Israel transgressi sunt mare Rubrum siccis pedibus , ut Augustinus notat cit. Serm. 154. & canit Ecclesia in Benedictione Cerei Paschalis in Sabbatho Sancto , cuius officium est anticipatum de ipsa die Resurrectionis , prout tamen complebitur noctem præcedentem , in qua olim celebrabatur , ut suo loco explicabimus ; ait igitur Ecclesia in præconio benedictionis prædictæ : *Hæc nox est , in qua primum Patres nostros Filios Israel eductos de Ægypto Mare rubrum siccō vestigio transfere fecisti.*

Tertio , in Dominica , in solitudine , missò cælitus Manna Deus veterem Hæbræorum populum liberatiter , ac mirifice pavit , ut habet Augustinus cit. Serm. 154. Quod utique pertinet ad mirabilia patrata tempore Legis scriptæ : imo est memoriale quoddam omnium beneficiorum , quæ Deus illi populo contulit , ut dicitur Psal. 110. v. 4. *Memoriam fecit mirabilem suorum misericors , & miserator Dominus ; escam*

D d de-

dedit simentibus se Dc. Idem affirmat Isidorus l. cit. probatque ex cap. 16. Exodi, ubi primum datum est Manna Israebris per sex dies continuos, & ceſſavit in septimo, quia erat Sabbathum; unde, inquit Suarez alias hie laudatus, bene concluditur, missis in Dominica, seu prima Hebdomada die.

Quarto, in Dominica natum esse Christum Dominum; est communis Scriptorum sententia: vid. Rupert. Abb. de divin. Offic. l. 3. c. 16. Azor. Institut. Moral. par. 2. l. 1. l. c. 9. qu. 2. Suar. 10. l. de Relig. tr. 2. l. 2. c. 4. n. 12. & to. 2. in 3. par. disp. 13. ſect. 4. Durand. in Ration. lib. 6. c. 13. n. 2. Cornel. a Lapide in Luc. 2. 7. Baron. in not. Martyrol. Rom. ad diem 25. Decembr.

Quinto, in Dominica Dominus est circumcisus, & sanguinem pro hominibus fundere coepit, eique nomen Jesu fuit impositum, quod est super omne nomen. Sequitur ex praecedenti, & notavit Niceph. lib. 1. hist. c. 12.

Sexto, in Dominica Magis refulſiſſe Siella dicenda est, posito quod eodem die haec apparuit, quo Christus natus est, ut quidem tradunt SS. Leo, August. Fulgent. & alii Patres in Sermonib. de Epiph. & videri potest Suarez to. 2. in 3. par. disp. 14. ſect. 4. Azor. l. cit. c. 9. q. 2. fine, & c. 11. qu. 7. & 8.

Septimo, in Dominica Dominum baptizatum fuifſe a Joanne, docet Augustinus cit. Serm. 154. & constantem esse Patrum opinionem, testatur Azor. Institut. Moral. par. 2. l. 1. c. 11. qu. 20. & hanc opinionem admittit Suar. de Relig. l. cit. n. 13.

Octavo, *Dominicum diem Apaſtoli,*

¶ Apostolici Viri ideo religiosa ſolennitate babendum sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster a mortuis resurrexit. Ita Augustinus cit. Serm. 154. S. Midor. Hispal. Epifc. de Eccl. Offic. d. 1. c. 24. de Dom. S. Maximus Epifc. Taurinen. hom. 3. de Pentec. hanc eandem rationem affignant: *Dominica enim nobis ideo venerabilis est, atque ſolemnis, quia in ea Salvator, velut ſol oriens diſcuſſis infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuit.* Conſonat Innocentius I. epift. 1. alias 25. ad Decentium Epifcopum Eugubinum c. 4. n. 7. ſcribens: *Diem Dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, non ſolum in Pafcha celebramus, verum etiam per ſingulos circulos Hebdomadarum ipfus diei imaginem frequentamus.* Rursus in Dominica, per Resurrectionem Christi, & mors interitum, & vita accepit initium, ut S. Leo ait l. ſupra cit.

Nono, in ipſa Dominica, ſciliocet Resurrectionis die, ſicut Beatus Joannes Evangelista c. 20. v. 21. testatur; congregatis in unum Discipulis, Januis claulis, cum ad eos Dominus introiſſet, dixit eis: *Sicut mihi me Pater, & ego mitto vos.* Per quae quidem verba in hac die Apostoli ad prædicandum Gentibus ſunt destinati; unde etiam Lucas c. 24. v. 47. eamdem Domini apparitionem referens, narrat, ibi dixisse Christum, quod oportebat *Prædicari in nomine ejus penitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Qui- bus verbis etiam significatur Sacramentum regenerationis, ut notat Suarez l. cit. n. 14. Et huc referri poſſunt verba Leonis cit. epift. ad Dioſc. ubi inquit: *In hac die Apoſtoli a Domino prædicandi omnibus gen-* ti-

tibus Evangelii tubam sumunt, & inferendum unicuius Mondo Sacramentum regenerationis accipiunt. Tunc etiam Dominus, ut Joan. c. 22. v. 22. narratur: *insufflavit*, & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum: quorum reuaseritis peccata, remittantur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Per quae quidem verba potestas datur Ecclesiae, remittendi peccata, in Apostolis, qui tunc primum consummari sunt Sacerdotes, quo ad potestatem in Corpus Christi mysticum; unde etiam tunc videntur, primo consecrati Episcopi, & creati etiam Apostoli quoad spiritualem jurisdictionem in universum Orbem, maxime in foro Sacramentali.

Decimo, in Dominica promissus a Domino Apostolis Spiritus Sanctus advenit, & in omnes filios adoptionis effusus est. Vide dicenda tr. 2. in Dom. Pentec. art. 1. qn. 3.

Denique tot, tantisque prærogativis dies est decorata Dominica, ut Joannes Evangelista Apoc. c. 1. v. 10. commemoret, se in Dominica die insignem illam revelationem acceptisse; ad suam nimirum Revelationem ex circumstantia temporis commendandam; ut Chrysostomus, Beda, Anselmus, & alii in illum locum adnotarunt.

Item Ignatius epist. 3. ad Magnesianos appellat Dominicam, *Regalem, eminentissimam omnium dierum*. Rursus inter opera Augustini Serm. 136. de tempore, qui est 51. inter serm. de diversis in append. to. 10. Opp. Augustini ex recentior. Lovaniens. edit. Colon. Agric. an. 1616. ubi asseritur esse inter sermones Eusebio inscriptos, de Dominica dicitur: *Quomodo Maria Virgo Mater Domini inter omnes Mulieres principatum*

etmet, ita & inter ceteros dies., hoc omnium dierum Mater est. Simile testimoniun Hieronymi habes supra n. 5. & Eusebii l. 4. de Demonstrat. Evangel. c. 18. Recolantur hic verba laudata superius cit. n. 5. Is mur. & solus revera est proprius, ac Dominicus dies, & melius est aliis immutabilibus diebus, sive qui communiter intelligantur, sive qui a Moysi in solemnibus, & noviluntis, & Sabatibus lege fanciti sunt. Ita Eusebius, qui statim subjungit; hunc solum, & verum Dominum Salvatoris diem in sola Ecclesia per totum orbem diffusa lucere, & nomen, ac dignitatem suam obtinere, quia nimis in Ecclesia semper celebris fuit, & Dominicus appellatus.

Ex his igitur satis constat, quod praesenti fuit quaestione propositum; cur scilicet Dominicana, seu prima dies Hebdomadae, ut festiva servetur, & Divino cultui specialiter decetur.

Est autem hic animadvertisendum: 10 Dominicam diem observari ad Deum ipsum propter se colendum, & propter suam excellentiam, & majestatem; unde per se, ac directe non resertur, nec sicut instituta ad peculiarem commemorationem predicatorum operum Dei, quæ in Dominicana, ut diximus, acciderunt, illamque satis celebrem reddiderunt; quamvis considerari quidem potuerint, ad determinationem talis diei faciendam pro divino cultu in Legi gratiæ. Vid. Suar. to. 1. de Relig. tr. 2. 1. 2. c. 4. n. 1. 16.

Notandum quoque est: in Ecclesia Romana, Dominicam diem specialiter censeri dicatum in honorem totius SS. Trinitatis, quia in Legi gratiæ, sicut expressius cognoscitur

D d 2 Deus,

Deus, prout in se est Trinus, & unus ; ita ad profitendam hanc fidem, & Deum Trinum, & unum expressius colendum, Dominicus dies specialiter est destinatus. Vid. inf. n. 55. & dicenda tract. 2. in Dom. 1. post. Pentec. Se&t. 1. n. 2.

11 Qu. IV. An Præceptum Dominicæ sit de jure divino?

R. Etsi aliqui id affirment, supponentes, ut videntur, esse de jure divino, Deo colendo dedicare septimum quemque diem, seu diem sequentem post sex dies laboris; & determinationem ad talem diem, seu mutationem Sabbati in Dominicam esse ex institutione divina in Lege nova: Hoc tamen non probatur ex ulla testimoniis Scripturarum, nec ex traditione; unde nec verum censendum est, inquit Suar. to. 1. de Relig. tr. 2. lib. 2. c. 4. n. 8. quia est contra regulam generalem, quod in Lege nova non sunt data specialia præcepta divina de his accidentalibus observantiis, sed tantum de substantialibus, que sunt Fides, Sacra menta, & Sacrificium. Reliqua enim dispositioni Pastorum Ecclesiæ relata sunt.

Dicendum est itaque; tantum ex præcepto Ecclesiæ retentam esse determinationem septimæ diei ad divinum cultum, seu diei sequentis post sex dies laboris, ut olim erat in Lege veteri: & eodem jure mutatam esse a Sabbato in Dominicam; ita Suar. l. cit. & Navar. in man. c. 13. n. 1. qui etiam laudant pro hac sententia D. Thomam, multosque alios Doctores: & quidem Jo. Maldonatus comment. in Joan. c. 20. v. 26. appellat hanc sententiam veram, (ut etiam indicat Suar. supra) atque testatur, illam esse fere

communem Theologorum omnium. Legi etiam potest Fagund. in 1. præcept. Eccl. l. 1. c. 2. a n. 3. Azor. Instit. moral. par. 2. l. 1. c. 2. q. 2.

Licet autem de Dominicis omnibus servandis adsit præceptum in Jure scripto, ut mox notabimus: videtur tamen hoc præceptum non incipisse a Lege scripta Ecclesiæ, sed a traditione Apostolica; & ita quidem affirmat Hesychius l. 2. in Leuit. c. 9. ubi inquit: *Nos illorum (Apostolorum) sequentes traditionem, Dominicam diem divinis Conventibus frequentamus*. Et vero ipse Joannes Apostolus Apocal. c. 1. v. 10. commemorat, se in Dominica insignem illam revelationem accepisse, & tamquam de re celebri, & omnibus fidelibus solemni loquitur. Jam tunc ergo videtur Dominicæ dies ut Festiva cœpisse a fidelibus institutione Apostolica celebrari. Sed hoc magis indicatur A&t. c. 20., v. 7. ubi Lucas dicit: *Una autem Sabbati cum convenissimus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis*. Jam vero una Sabbati diem Dominicam significat; dicitur enim *una*, id est, *prima Sabbati*, seu *prima post Sabbatum*: juxta doctrinam Hieronymi ep. 150. ad Hedibiam qu. 4. & lib. contra Vigilantium n. 26. Chris. hom. 43. in c. 20. Act. Apost. August. epist. 86. ad Casul. estque communis expositio Ambrosii, Theophilacti, Bedæ, Anselmi, Sedulii, Primasii, B. Thomæ, Cajetani, Lorini, & aliorum. Fractio autem illa panis non erat nisi oblatio, & communio Eucharistie, ad quam diebus Dominicis convenire solebant fideles, tamquam in solemni, ac Festo die, ut constat ex Patribus; ibique fiebat sacra concio, cuius etiam mentio fit eodem A&t. loco

loco laudato; ut notat Suar. to. I. de Relig. tr. 2. l. 2. c. 4. n. 5.

Probabile item esse, inquit Suarez l. cit. n. 8. præceptum Dominicæ suisse verbo tenus ab Apostolis tunc præceptum, & a toto populo Christiano receptum, ut necessarium ad honestatem morum, & Religionis Christianæ, atque sub hac æstimatione consuetudinem durasse; quæ tandem legibus scriptis confirmata est, ut patet ex C. Pronunciandum. 1. dist. 3. de consecr. & C. Sabbato. 13. dist. eadem, & C. Jejunia dist. eadem, & C. Omnes. C. Licet. & C. Conquestus de Fer. Tandemque describitur inter Festa de præcepto universali in Constit. Urbani VIII. pro observat. Festor. incip. Universa per Orbem. Dat. An. Incarn. Dom. 1642. Idib. Septemb. & public. 22. Decembr. ejusdem anni. Sed & ipsi Imperatores hoc præceptum suis legibus munierunt, ut patet toto tit. 12. de Feriis, præsertim L. ut in die, & L. omnes dies, ubi post alias præcipuas Festivitates subditur: Et dies Solis, quos Dominicanos rite dixerit Majores, qui repetito in sece circulo revolvuntur, in quibus parem necesse est habere reverentiam &c. Et l. dies Festos. Dominicum itaque diem ita semper honorabilem decernimus, ac venerandum, ut a cunctis executionibus excusetur.

13 Objic. in favorem Sententiarum volentis observantiam Dominicæ esse ex jure divino; quod si ita non esset, mutari posset Festum hoc, & abrogari per humanam legem, aut consuetudinem; omnis etenim lex humana potest per hominem, vel per consuetudinem tolli. Sed hoc non est admittendum quoad observantiam Dominicæ, ut communiter Doctores

docent in allegat. C. Licet & C. Conquestus de Fer. Ergo &c.

R. Distinguo majorem; mutari posset, & abrogari de potentia absoluta; concedo: de ordinaria; nego majorem, & distinguo minorem: non est admittendum de potentia ordinaria: concedo; de absoluta, nego minorem, & consequentiam. Simpliciter loquendo, & quasi de potentia absoluta Ecclesiæ, seu Pontificum, Præceptum Dominicæ mutabile est. Tamen prætice, ac moraliter dici potest aliquo modo immutabile, licet Ecclesiasticum sit, & non Divinum. Enimvero quedam sunt Ecclesiastica præcepta, tam propinqua, & tam similia divinis institutionibus, tamque conformia legi naturali, & tot rationibus honestatis, ac Religionis munita, & tam vetusta, ac universalis consuetudine firmata, ut simpliciter loquendo secundum ordinariam potentiam abrogari, & omnino tolli non possint, quamvis in particulari possint dispensari. Et per hoc posterius satis ostenditur, non esse de jure divino. Ex primo autem non colligitur jus divinum, quia illud genus immutabilitatis solum oritur ex materiæ qualitate; quæ talis est, ut non possit moraliter occurrere rationabilis causa abrogationis. Unde cum semper futura sit in destructionem, & non in ædificationem; credendum est, Spiritum Sanctum non permisurum, ut Ecclesia erret in tam sanctis legibus, & consuetudinibus mutandis, etiamsi Ecclesiastice tantummodo sint. Exempla similia sunt in lege Quadragesimalis observantiae, Confessionis annua, & annua Communionis, de quibus suo loco dicemus, & in similibus: ita Suar. tom. I. de Relig.

lig. tr. 2. l. 2. c. 4. n. 9. Azor.
Instit. Moral. par. 2. cap. 2. qu. 6.
Fagund. in præc. Eccl. lib. 1. cap.
2. n. 4.

14 Interr. hic I. Quare observantia Dominicæ non possit moraliter mutari ab Ecclesia , ne quidem quoad determinationem talis diei ; ita ut non possit in aliam hebdomadæ ferriam communari ? Profecto lex vetus de observatione Sabbati mutata est quoad hanc determinationem , etiam si ab ipso Deo immediate fuerit lata : Cur ergo non magis poterit haec determinatio mutari , quæ ab Apostolis facta est ? Major siquidem est auctoritas Dei , quam Apostolorum : adde quod dictum est , Apostolos non introduxisse hanc consuetudinem , ut promulgatores aliquius præcepti a Christo lati , sed ut instituentes novum jus .

R. Ex Suarez l. cit. n. 10. hanc immutabilitatem non fundari in auctoritate , & potestate immediati Legislatoris : sic enim convincit ratio facta ; sed fundari in modo , materia , & ratione talis determinationis . Nam in primis Deus non fecit illam determinationem Sabbathi , statuendo illam lege perpetua simpliciter , sed tantum secundum quid , idest , durante statu illius populi , & utilitate , ac valore Circumcisionis , seu *donec veniret semen* , cui promiserat Eccl. ut ait Paulus ad Gal. 3. 19. Vide dicenda in Sabbatho att. 1. qu. 2. Unde veniente illo tempore , per se cessavit , non ex defectu potestatis , sed voluntatis ipsius Legislatoris . At vero præceptum hoc ecclesiasticum de Dominicæ servanda , latum est sine temporis determinatione , ac subinde quantum est ex se in perpetuum :

quia Ecclesia Christi est perpetua , idest , usque ad finem Mundi duratura , & illius utilitas etiam est perpetua .

Deinde præceptum illud legale includebat ordinem ad mysterium futurum , ut videbimus in Sabbatho loc. cit. quod aliquando debebat definire , ex adimplitione prophetiarum : & ideo ex tunc oportuit tale præceptum abrogari ; ut docebimus eodem loco citato . At vero hoc ecclesiasticum præceptum de servanda Dominicæ nititur mysterio Resurrectionis Christi , ut constat ex dictis hic qu. 3. Quod mysterium jam factum est , quodque ut sic immutabile est : nec enī potest Christus non resurrexisse , nec potest non vivere gloriose , postquam resurrexit . Quod si hoc præceptum habet aliquem ordinem ad quietem perfectam futuram in Gloria ; quando illa comparata fuerit , cessabit etiam hoc præceptum .

Denique rationes , quæ pro observando die Dominicæ concurrunt , sunt perpetuae , & immutabiles ; ideoque præceptum ipsum non potest rationabiliter abrogari . Contra rationem autem , & contra utilitatem Ecclesiae non permittet Spiritus Sanctus , qui Ecclesiam dirigit , atque gubernat , talem fieri mutationem . Quænam vero sint illæ rationes , & proprietates talis diei , propter quas ita oportuit in eum cadere tam fixam , & immutabilem determinationem ; jam superius qu. 3. fuse sunt explicatae .

Inter. II. An dies Dominica per 15 ipsura viginti quatuor horarum spatium divino cultui ita dedicanda semper sit , ut numquam possit prædictum etiam spatium temporis misnui

qui per determinationem Ecclesie : præcipiendo e. gr. solam Missam dominicam , vel dimidium diei celebrare , est festivum ?

R. Adiqui ita quidem sentiunt , voluntates , solemnitatem Dominicæ per vigintiquatuor horas celebrari præceptam , ita esse immutabilem , & necessario servandam , ut nulla potestate mutari possit , aut humana consuetudine minui , & variari . Sic autem sentiunt , ex eo quia putant , in Lege veteri solemnitatem Sabbati per integras viginti quatuor horas alim servari præceptam iuxta illud Levit. c. 23. v. 32. *A Vespera usque ad Vesperam celebrabitis Sabbathum vestrum* ; fuisse per totum illud spatiuum temporis ex jure naturali servatam . Cum autem in Lege nova successerit Dominica loco Sabbati ; hinc arguant , solemnitatem Dominicæ per vigintiquatuor horas esse ex jure naturali integre servandam .

Sed contradicit Suar. de Relig. to. I. tr. 2. l. 2. c. 1. n. 9. & c. 10. n. 2. docens : hoc sine dubio esse improbabile , quia nulla ratio naturalis dictabat tamquam necessarium ad honestatem morum , ut integer dies vigintiquatuor horarum divino cultui dedicaretur : nulla enim apparet hujusmodi necessitas . Item non fuit de jure naturali , ut per singulas hebdomadas certum tempus præcipere pro divino cultu ; poterat enim præcipi singulis mensibus : ut in Lege veteri potuit Deus præcipere Neomenias , & non Sabbathum : etenim quare non ? ergo potuit præcipere in singulis hebdomadis dimidium tantummodo diem , vel aliquas horas . Fuit ergo , sine ulla dubitatione , illa circumstantia temporis de jure tantum positivo

divino , & ad ceremonias pertinuit : quatenus propter significationem , etiam observata est . Quoniam potuerit habere rationem moralam congruentia , non necessitatis ; videbitur , ut divinus cultus publicus , & solemnis durabilior esset , ac solemnis ; & ita potuit Ecclesia in suis festivitatibus hanc circumstantiam imitari , licet id non fuerit simpliciter necessarium . Vide eundem Suar. loc. cit. atque etiam cap. 18. num. 41.

Inter. III. An si quis diebus Dominicis Missam non audiat iusta de causa excusatus , teneatur supplere , hoc est , adhuc Deum colere aliqua prece saltem mentali , seu aliquo speciali cultu saltem interno ?

R. Temeri etiam tub gravi , putarunt nonnulli apud Azor. I. infra cit. & apud La-Croix I. 3. par. I. qu. 159. §. 16. quos ipse La-Croix sequi videtur ; qui tamen dicit : sati esse , abstinere servilibus ex intentione colendi Deum .

Sed quid ? si is qui excusatur a Missa in Dominica , excusat etiam ab abstinendo a servilibus ? Melius itaque absolute docet Navar. in Man. cap. 21. n. 7. & est communis opinio , teste Azorio Inst. moral. p. 2. l. 7. c. 7. qu. 14. nullum ejusmodi præceptum extare ; atque Azorius ita revera sentiendum esse , eo quod certe qui secus opinantur , nulla firma ratione nitantur .

Qu. V. Cum tam solemnis , ac sancta sit Dominica dies , an sit prohibitus ideo in ea actus conjugalis ?

R. C. quotiescumque . 35. 2. qu. 4. ex Augustino quidem habetur , non licere , Quotiescumque , aut dies Natalis Domini , aut reliquæ festivitates

tes adveniunt . Nihilominus dicendum est : per se licere ; est enim per se honestus , & potest esse etiam meritorius . Prædictum autem , & similia jura , dicunt Auctores , vel non imponere præceptum , vel tantum velle , posse per accidens peccari , si pietas in Dominica , similibusque diebus debita impediatur per prædictum actum . Vide La-Croix l. 6. par. 3. de Matrim. quæst. 52. §. 2. & Azor. Instit. Moral. par. 2. lib. 1. cap. 2. qu. 8. Videri etiam possunt dicenda tract. 2. l. 5. part. 2. in ejus 1. part. c. 3. sect. 8. n. 154.

- 18 Qu. VI. De numero Dominicarum occurrentium intra annum .

Bx. Dominici dies regulariter sunt quinquaginta duo ; nonnumquam vero , scilicet per singulos senarios annorum , crescit Dominicarum numerus ad quinquaginta tres ; ut observat Suar. de Relig. to. 1. tr. 2. lib. 2. c. 10. n. 1.

A R T I C U L U S II.

De Horis Canonicas .

- 19 *SUB nomine Festi novem lectionum venit etiam Dominica . S. R. C. 12. Martii 1618. in Conchen. apud Caval. to. 2. c. 14. d. 1. qui videxi potest pro explicatione hujus decreti .*

- 20 In Dominicis per annum fit de Dominicis , quando in eis non occurrit Festum duplex , vel dies octava . Rubr. gener. Breviar. tit. 4. n. 1. & 2. Vide infra dicenda n. 28.

In Dominicis per annum , occurrentibus infra Octavas , totum Officium fit de Dominicis , ut in Psalterio , & exceptis Dominicis infra

Ott. Nativitatis , Epiphaniae , Ascensionis , & Corpor. Chr.) & proprio de tempore cum commemoratione Octavæ , sed sine precibus , & suffragiis Sanctorum , quæ omittuntur ob privilegium Octavæ . Rub. gen. Brev. t. 4. num. 2. t. 7. n. 6. t. 34. n. 2. & tit. 35. n. 1. Porro Dominica est Festum Domini , quod , æquum est , præferri diei infra Octavam aliorum Sanctorum ; vid. Merat. to. 2. sect. 3. c. 8. n. 2. fine , & recole dicta art. 1. n. 10. Nona lectio non legitur de die infra Ott. quando de ea fit commem. in Dom. et si habeat Ev. proprium & homiliam . Rubr. gen. Brev. tit. 9. n. 10.

Festum semiduplex occurrens in 21 Dominicis per annum , transfertur in primum diem simili Officio non impeditam ; occurrens vero in Dominicis infra alias Octavas , in quibus fit de Festis occurrentibus (ut dicitur in Rub. gen. de Octav.) transfertur in immediate sequentem diem cum commemoratione Octavæ , quæ si fuerit alio Festo dupliciti , vel semiduplici impedita , prædictum Festum semiduplex veniens in Dominicis , transfertur post Octavam ; ita ut Festum semiduplex infra Octavam non transferatur nisi in proxime sequentem diem . Rub. gen. Brev. tit. 4. n. 1. & tit. 10. n. 5. Vide Caval. to. 2. c. 20. in in descr. 5. n. 2. & confer dicenda tr. 2. infra Octav. Ascens. n. 52. & quidem Festum semiduplex incidens in Dominicis infra Octavam non privilegiatum , debet transferri immediate in Feriam secundam non impeditam , licet sit reponendum quodcumque Officium etiam ex solemnioribus . S. R. C. 19. Junii 1700. in Valentina , & alias

- Itas plures apud Caval. t. 2. c. 20.
d. 1. & sequentib. *Etiam ex sole-*
minioribus videlicet, 1. & 2. cl. Ra-
tio est. *Quia eo casu talis dies est as-*
signata pro die semiduplici. Ita in
quadam declaratione ejusdem S. R.
C. quo ad rem hanc sub die 21.
Aprilis 1736. in Hispanen. apud Ca-
val. l. cit. d. 4.
- 22 Festo *ad libitum*, etiamsi ritus
duplicis, occurrente in Dominica,
fit de Dominica: Festum vero hu-
jusmodi plane omittitur eo anno,
adeoque non transfertur, ex varijs
decretis etiam generalibus allegan-
djs l. 3. 19. Januarii art. 1. n. 4.
Vide ibi dicenda.
- 23 Officium fit semiduplex diebus
Dominicis, excepta Dominica in
Albis, in qua fit duplex, ut suo
loco notabimus. *Rubr. gen. Brev.*
tit. 2. n. 1. & t. 4. n. 8. Ac sub
ritu semiduplici persolvuntur etiam
illæ Dominicæ, quæ in Breviario
vocantur Majores 1. vel 2. classis,
excepta præfata Dominica in Al-
bis. Porro Dominicæ 1. vel 2. cl.
ita dicuntur, quod respective exclu-
dant Festum duplex 1. vel 2. cl. oc-
currens in eis; Vide dicenda tr. 2.
lib. 1. par. 1. c. 2. n. 1. Et licet
concurrente Dominica per annum,
seu Dominica minori cum duplice
1. vel 2. cl. Vesperæ sint de se-
quenti sine commemoratione Domini-
nicæ præcedentis; attamen concur-
rente Dominicæ majori cum duplice
etiam primæ classis, fit commemo-
ratio Dominicæ hujusmodi, ut lo-
co cit. notabimus.
- 24 Dominica in primis Vesperis ad-
mittit commemorationem semidu-
plicis, & diei infra Octavam, cum
quibus dividit Vesperas, & Festi-
mplicis. In laudibus commemora-
- tionem diei infra Octavam, & sim-
plicis. *Rubr. gen. Brev. t. 4. n. 1.*
2. & 8. ac tit. 11. n. 6. Gavant.
in Rub. Brev. seqt. 3. c. 11. n. 21.
De Vigilia vero non fit comme-
moratio, sed Officium Vigiliæ an-
ticipatur in Sab. una cum jejunio;
admonitio tamen Vigiliæ non anti-
cipatur in lectione Martyrologii.
Vid. dicenda inferius art. 9. n. 72.
& die 22. Februar. n. 4. & die 22.
Junii n. 2. & in Appendice ad cal-
cem Diarii c. 7. n. 24. De Vigilia
autem Nat. Domini, & Epiphan.
fit etiam in Dominica: ut suis lo-
cis notabimus.
- Dominica concurrente cum se-
quenti Festo semiduplici, & cum
die infra Octavam, vel cum Festo
simplici, omnia de Dom. cum com-
mem. sequentis. *Rubr. gen. Brev.*
tit. 11. n. 5.
- Quæres hic: Cur Dominica ha- 25
beat integras secundas Vespertas,
quando concurrit cum semiduplici
sequenti, & non habeat integras
Vespertas primas, quando cum ea
concurrit præcedens Festum semi-
duplex: quæ potius videtur debuisse
illi concedi: cum Vesperæ primæ
sint nobiliores secundis?
- R. Gavantus in Rubr. Brev. seqt.
3. c. 9. n. 7. id factum esse putat,
vel ob concursum populi ad secun-
das Vespertas, quas, inquit, amat
Dominicales, non ad primas; vel
forte, quia Psalmi Sabbatini minus
habeant Festivitatis, plus Ferialita-
tis, & incongrui visi sunt inter Fe-
stum semiduplex, & Festum Domi-
nicæ: quo factum est, ut Psalmi
essent Festivi de semiduplici, & Ca-
pitulum de Dominica. Quas ratio-
nes approbat Caval. to. 2. cap. 28.
n. 3. aitque, addi posse prærogati-
vas

TOM. I.

Ec

vas plurimas , quibus gaudet dies Dominica , & ob quas congrue potuit privilegio donari prædicto .

- 26 In Dominicis per aenum , quando Officium fit de Dominica , ut in Psalm. dicitur ad Primam Symbolum S. Athanasii *Quicumque vult* : Rub. gen. Brev. tit. 22. n. 4. & tit. 33. n. 2. *Symbolum S. Athanasii* , quod dicitur ad Primam , laudabilius in Choro recitatur stando . S. R. C. 23. Decemb. 1624. apud Merat. ind. decr. Brev. n. 51.
- 27 In diebus Dominicis a 1. Vesperis Sabbati Antiphonæ finales recitantur stando , seu erecto corpore , & non flexis genibus . Rub. gen. Brev. tit. 36. n. 3. cuius ritus rationem reddemus art. 7. ubi differemus de ritu standi ad Orationem in Dominica . An autem obliget sub culpa aliqua ? examinabimus ibi qu. 2.
- 28 Occurrente in Dominicis per annum , seu minoribus , & non privilegiatis , (quemadmodum sunt Dominicæ majores) Festo duplici , aut die Octava , fit de Festo , aut die Octava cum commemoratione Dominicæ , in utrisque Vespere , & Laudibus , & ad Matutinum legitur nona lectio de Homilia Dominicæ . Rub. gen. Brev. tit. 4. n. 1. & 2. tit. 9. n. 4. & 9. ac tit. 10. n. 4. Quod si occurrat , fieri etiam commemorationem de Sancto Simplici , qui in Breviario haber lectionem propriam , hæc omittitur . Rubr. gen. Brev. tit. 9. n. 10.

Diximus : Dominicam cedere diei Octavæ : intellige dummodo antea jam celebratum fit de Festo habente Octavam ; si enim daretur casus , quo nondum recitatum fuerit de Fe sto prædicto , non posset in dicta Dominica , aut recitari de die Octa-

va , aut reponi Festum , cuius est dies Octava ; sed hoc erit ulterius transferendum ad primam diem non impeditam post dictam Dominicam , ex Decr. S. R. C. Cum enim requisita fuisset : utrum Festum duplex secundæ classis habens Octavam cadens in Dominicam impeditam Officio altioris ritus , sed sine Octava , posset reponi in sublequenti Dominica , cum alias sit Octava ejusdem Festi , & tota hebdomada sit impedita : vel potius debeat fieri de Dominicâ , & Officium dicti Festi reponi prima die non impedita post dictam Dominicam ? Respondit Negative quoad primam partem ; affirmative quoad secundam . 16. Febr. 1754. in una Urbis apud Caval. to. 5. in Collect. Recentior. Decretor.

Libri Sacrae Scripturæ , qui legi consueverunt in 1. Nocturno , sere semper in Dominicis inchoantur . Rub. Brev. tit. 26. n. 6. quia Dominica est caput hebdomadæ . Gavant. in Rub. Brev. sect. 6. cap. 7. n. 10. Si eo die , quo ponitur initium alicujus libri de Sacra Scriptura , occurrat Festum habens lectiones proprias , vel de communis Sanctorum assignatas , tunc illud initium lectionis de Scriptura transfertur in sequentem diem , similiter non impeditam . Vid. Rub. gen. 1. cit. & duob. sequen. num. ac dicenda tr. 2. lib. 2. par. 2. in ejus prima par. c. 1. n. 2.

Servanda est antiqua , & laudabilis consuetudo , ubi recitatur in Choro Officium parvum B. M. V. etiam in semiduplicibus , & Dominicis : non obstante Rubrica Breviarii . S. R. C. 1. Septemb. 1607. in Trojana apud Caval. to. 2. par. 2. c. 46. d. 1. & Me.

¶ Merat. ind. dect. Brev. n. 27. Qui animadvertisunt, hoc Decretum esse conforme Constitutioni S. Pii V. & servandum esse etiam mutato proprio Breviario, & accepto Romano, ut de consilio, S. R. C. 2. Januarii 1627, in una Ordinis S. Benedicti Catholaxn. statuit Urbanus VIII. die 16. ejusdem Mensis, & anni. Const. Cum ficitur. ut traditur in opere Merati in 2. append. decret. Brev. n. 348.

31. Oratio precedentis Dominicæ semper dicitur in Feriali Officio per hebdomadam, quando propria non assignatur. Rubr. gen. Brev. tit. 30. num. 2.

ARTICULUS III.

DE AQUA BENEDICTA.

AGITUR SECTIONIBUS III.

- Sect. I. De Benedictione Aquæ.
 Sect. II. De Aspergione solemní Aquæ benedictæ in Dominicæ.
 Sect. III. De usibus, & effectibus Aquæ benedictæ; ubi attingitur aquæ liquid de Sacramentalibus.

SECTIO I.

De Benedictione Aquæ.

32. AQUA benedicta juxta ritum universalis Ecclesiæ triplicis est speciei. Ad primam pertinet Aqua benedicta Fontis Baptismalis: de qua sermo erit in Sabbato Santo. Ad secundam vero pertinet speciem Aqua mixta vino, nec non sale, cinereaque conspersa, pro consecratione Ecclesiæ, vel Altaris, in die Dedicationis, seu Consecrationis ejusdem: de qua fit

mentio expressa in Pontificali Romano, in quo describuntur cæremoniæ sacrae, ac ritus in præfata Dedicatione, seu Consecratione servandi. Ad tertiam denique speciem Aquæ benedictæ pertinet ea, quæ benedicitur pro communi, & quotidiana aspersione fidelium in sanctificationem, & purificationem eorumdem, vel aliarum rerum, juxta usum Ecclesiæ, de qua hic institutus disputationem.

Ritus igitur benedicendi Aquam, ad aspergendum in sanctificationem, & purificationem fidelium, aliarumque rerum, juxta usum Ecclesiæ, ex Institutione Apostolorum est. Hujusmodi Aquæ usum firmasse Alexandrum I. & ut frequentior esset sategisse, habetur in ejus epist. 1. (quam tamen genuinam esse recusat plerique; vide Merat to. 1. par. 4. tit. 19. n. 3.) & in Cap. Aquam 20. dist. 3. de Consecr. vid. Theophil. Raynaud. tom. 16. sect. 2. pun. 5. iudit. Quarti de benedict. tit. 3. sect. 1. prælud. 1. Merat. to. 1. par. 4. tit. 19. n. 3. Caval. to. 4. c. 23. in præliminar. & dicenda l. 3. 3. Maji art. 2. n. 6.

Ex Concilio Nannattensi: *Omnibus diebus Dominicis unusquisque Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemnias Aquam benedictam faciat in vase nitido, tanto mysterio convenienti, de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur. Tradunt etiam Angelus, & Sylvester V. Aqua benedicta; consuetudine receptum esse, ut singulis quibusque Dominicis benedicatur Aqua; quam consuetudinem approbat Rubrica Missalis ad ejus calcem descripta, ubi prescribitur Aqua benedicenda in singulis Dominicis, excepta Dominicæ Paschæ, & Pente-*

E e 2 co-

costes; quoad Ecclesias tamen illas, in quibus in Sabbato præcedenti, benedicitur Aqua Fontis Baptismalis.

Porro Aqua benedicitur octavo quoque die, ut sœpius renovata, vitetur facilis corruptio ejus, (confer infra dicenda n. 34. ex Concilio Bajocensi) & commixtio cum foribus: unde quando renovatur Aqua, veterem projiciendam esse in Sacramentum, rite monet Quarti cit. Sect. 1. dub. 9. In Dominica vero benedicitur ob mysterium Sacramenti Baptismi, ut ex Ruperto Abb. dicetur infra Sect. 2. Cæterum private potest etiam benedici, quandocumque libuerit, ut significat Rit. Rom. Pauli V. ubi de hac benedictione initio.

Ex Rituali benedicitur Aqua in Sacristia, vel in ipsa Ecclesia. Benedictio Aquæ, quam sequitur solemnis ejusdem aspersio, de qua Sect. sequ. expedit, ut fiat in Sacristia. Vid. Caval. cit. c. 23. Comment. in decr. 1. n. 7. Potest etiam benedici Aqua in domibus privatis, & ubique locorum tum valide, tum licite; quia non est in superiori ordine rerum sacrarum, ut solum in locis sacris fieri possit, uti observat Merat. to. 1. par. 4. tit. 19. n. 2. & cum eo ex Bartaff. notat Caval. 1. cit.

Benedicitur Aqua a Presbytero, ex C. Aquam. Nec possunt eam sanctificare, & sacrate, seu benedicare Diaconi, quia ex C. Perfectis 1. dist. 25. Ad Presbyterum pertinet ... Benedicere dona Dei; & cit. C. Aquam præcipitur Sacerdotibus, ut Aquam benedicant; quemadmodum videimus infra Sect. 3. & observat Azor. Inst. Moral. par. 2. l. 9. c. 15. qu. 1. & Quarti de benedict. tit. 3. Sect. 1. Prælud. 1. dub. 2.

Aqua benedicitur a Sacerdote cum

superpelliceo, & Stola violacea, ex Rit. Rom. Pauli V. Cum benedictio Aquæ pertineat ad ritum penitentiale, ut intelligi potest ex ejusdem usibus, & effectibus explicandis Sect. 3. competit color violaceus; vide dicenda lib. 3. 2. Febr. art. 3. §. 2. n. 18. & die 23. ejusdem n. 19. Si vero Sacerdos celebraturus est Missam, tunc super Albam habeat Stolam aptatam in modum Crucis ante pectus, ut ad Missam, & coloris convenientis Officio, seu Missæ. Vid. Caval. in cit. Decr. 1. an. 4. ad 6.

Aqua benedicenda, sit naturalis, & pura, ac munda, eique nullus admiscendus est liquor extraneus, nisi foret in minima quantitate, & ob fragrantiam odoris, ob quam permitti potest, quod admisceatur paululum aquæ rosaceæ, vel alterius liquoris bene olentis. Merat. to. 1. par. 4. tit. 19. n. 5. Caval. 1. cit. n. 8.

Aqua benedicitur sale benedicto: hoc item sit naturale, & minime humidum, sed arens; ut non adhæreat digitis, sed facile immitti possit in Aquam, immissione trina, in modum Crucis, ut statim dicetur.

Quoniam Aqua benedicitur cum mixtione salis benedicti, hinc sal benedicitur ante Aquam. Sacerdos itaque benedicturus Aquam, prius incipit exorcismum, & benedictionem Salis, ac postea immediate subdit exorcismum, & benedictionem Aquæ.

Quando Sacerdos mittit sal in Aquam, dicitur semel: *Commixtio salis &c.* sed dum dicitur, tria signa Crucis super Aquam efformari debent, unum nempe ad Patris, alterum ad Filii, & tertium ad Spiritus Sancti. Quæ signa fiunt manu, non quidem extenta. sed pugillo tenen-

nente sal, cuius paululum in Aquam immittit ad quodlibet ex dictis signis: utique ut in virtute Trinitatis fiat benedictio. Cur autem Aqua aspergatur sale? Mysterium explicabitur infra Sect. 3.

34 Qu. I. Qualis obligatio sit benedicendi Aquam singulis Dominicis?

R. Quarti de benedict. tit. 3. Sect. 1. dub. 4. docet; quod etsi dicendum videatur, eos, qui Aquam benedictam non renovent singulis Hebdomadis, non peccare contra jus positivum Ecclesiae; quia non constat de praecepto; & Rubricae prescribentes benedici, & renovari singulis Dominicis, videntur direxerat: nihilo minus si tamdiu differatur renovatio praedita, ut Aqua benedicta corrumputur, vel valde foedetur, peccent venialiter contra reverentiam debitam rebus sacris, & ob indecentiam, & aliquam populi offenditionem; ita Quarti. Favet Synodus Bajocensis circa an. Dom. 1300. capit. 12. praecipiens Aquam benedictam octavo quoque die renovari; *Nisi vetustate aliquorum indevolutionem movere valeat, aut bororem,* to. 11. Concilior. Labbei, & Cossartii par. 2. pag. 1452. col. 2. edit. Lutet. Parif. An. 1671.

Major autem foret offenditio populi: ob quam dico: Parochum etiam peccatum, si videlicet ad longum tempus negligeret exponere de more ad fores Ecclesiae Aquam benedictam de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur; ut inquit Concilium Nannatense, cuius haec verba superius recitavimus: *juxta piissimam consuetudinem populi Christiani.*

35 Qu. II. An, & qualiter peccaret qui in Templo exponeret Aquam non benedictam pro benedicta?

R. Si advertenter ex aliqua negligencia, secluso contemptu, & fine mortaliter malo; non fore plus quam veniale, docet, & probat Quarti de bened. tit. 3. Sect. 1. dub. 6.

Qu. III. Utrum, si Aquæ benedictæ misceatur Aqua non benedicta, hæc evadat etiam benedicta?

R. Affirmative, dummodo Aqua non benedicta, quæ miscetur, sit in minori quantitate; ita docent passim Auctores. Porro, ut animadvertisit La-Croix lib. 6. p. 1. qu. 89. §. 2. Benedictio Aquæ est forma extrinseca, proveniens a voluntate Ecclesiae extendente benedictionem ad partes etiam postea admixtas; sicut Ecclesia etiam vult, benedictionem olei non consecrati fieri per admixtionem cum consecrato, uti habetur C. Quod in dubitis 3. de Consecr. Eccl. vel Altar. Item ex Rit. Rom. habemus, quod si Aqua Fontis Baptismalis minuatur, non sit opus novam Aquam benedicere, sed satis sit, aliam non benedictam admisceri in quantitate minori, ut notabimus tr. 2. in Sabbato Santo. Docetque Layman lib. 5. tr. 9. c. 15. de Sacr. Ord. laudatus a Caval. to. 4. c. 23. in Præliminar. fine: Prædictam mixtionem iteratis vicibus semper Aquæ novæ fieri posse, dummodo minor quantitas semper addatur.

Qu. IV. Utrum unica benedictio 37 ne possint benedici plures Fontes, seu vasæ Aquæ inter se distantia?

R. Affirmat Quarti de benedict. tit. 3. Sect. 1. dub. 3. ubi quidem docet: posse valide, & licite benedici omnes Aquæ Fontes, qui sunt coram Sacerdote benedictionis Ministero intra viginti passus: dummodo idem Minister post orationes, vel exor-

exorcismos accedat ad singulos Fones, seu ad singula vasa, quando facienda est mixtio salis cum Aqua; quia in hujusmodi benedictionibus sufficit præsentia moralis materiæ, quæ benedicitur, coram Ministro; quæ moralis præsentia judicio prudenter datur intra viginti passus: & hanc sententiam recipit Merat. supra cit. n. 2.

- 38 Qu. V. An Sacerdos benedicens Aquam cum conscientia peccati moralis, peccet mortaliter?

R. Per se loquendo, & secluso contemptu, peccare venialiter. Vid. Suar. to. 3. in 3. par. disp. 16. Sect. 3. §. Atque hinc confat. Quarti de benedict. tit. 1. Sect. 4. dub. 10. Busemb. lib. 6. par. 1. tr. 1..cap. 2. dub. 2. Resp. 1. resol. 7. & La-Croix lib. 6. par. 1. qu. 24. §. 2.

S E C T I O II.

De Aspersione solemnis Aquæ benedictæ in Dominica.

- 39 TN singulis Dominicis facienda est solemnis Aspersio Aquæ benedictæ in eadem Dominica, uti habetur ex supra cit. C. Concilii Nannattensis, & ex eadem Rub. Miss. vid. Caval. tom. 4. cap. 23. comment. in decr. 2. confer. Meratum tom. 1. part. 4. tit. 19. nu. 1. In Ecclesiis autem, ubi in Sab. Sando & Pentecostes benedicitur Aqua Fontis baptismalis; in sequenti Dominica Paschæ, & Pentecostes fit hæc solemnis Aspersio cum hujusmodi Aqua reservata ante infusionem olei. Vid. dicenda tr. 2. in Sab. S. ubi de benedictione Fontis baptismalis nu. 336. Hujusmodi solemnis Aspersio Aquæ benedictæ fit in Dominica,

ad aliquam memoriam Baptismi in Vesperis Paschalis Dominicæ, seu in Sabbato Santo mane solemniter celebrati, ut docet Rupertus Ab. de divin. Offic. lib. 7. c. 20. ubi sic. *Proprium hoc habet hæc dies (Dominica Paschalis) quam fecit Dominus, idque ab ea sumpfit omnis prima Sabbati, (idest Dominicæ) quod Aqua benedicta populis aspergiss, agitur Processio solemnis. Verumtamen bac ipsa prima, & principali Dominicarum omnium non benedicitur, neque die Sancto Pentecostes, quia in præteriti Sabbati Vespera sumpta est de sacro fonte Baptismi, antequam immergatur aliquis, & antequam Crisma immissum sit. Non enim ad hoc aspergimur, ut rebaptizemur, sed Divini Nominis gratiam super nos cum hoc memoriali baptismatis nostri frequenter invocare debemus. Et idcirco singulis aspergimur Dominicis, quia in sacrosancta prima hujus Dominicæ Vespera baptismum universaliter Sancta celebrat Ecclesia. Ita Rupertus; idipsum innuit. rursus lib. 9. c. 10.*

Solemnis Aspersio Aquæ in Dominicæ fit immediate ante Missam cantatam, seu solemnem, vel Conventualem, vel Parochialem, atque adeo post Tertiam, post quam celebra est in Dominica Missa prædicta juxta Rub. gen. vid. Caval. cit. c. 23. comment. in dec. 2. nu. 2. Excepta Dominica Palmatum, in qua prædicta Aspersio præmittitur benedictioni Ramorum: uti & benedictioni Candelarum in festo Purificationis, quando incidit in Dominicam, ut suis respective locis dicuntur. In casu autem solemnis Missæ de Requiem præsente corpore, eidem Missæ præmitti non debet præfata Aspersio, sed magis anticipata.

pari, vel postponi in colore Officii. Caval. tam. 4. c. 23. comment. in decr. 1. n. 6. fine.

Aqua benedicta Aspercio in Dominis debet fieri per ipsum Celebrantem, etiam si prima vel alia Dignitas, non obstante contraria consuetudine, qua potius corruptela dici debet. S. R. C. 27. Nov. 1633. in Perashna apud Caval. cit. c. 23. decr. 1. Aspercio die Dominica semper facienda est a Celebrante, etiam, quando superior celebrat. S. R. C. 16. Nov. 1649. in Januen. Apud Caval. dist. 2.

Non est tamen necesse, quod benedicatur ab eodem Celebrante, sed bene potest per alium benedici in Sacrificia, ut notat Caval. in cis d. 1. nu. 3. imo præstat, sic fieri in hac circumstantia Aspersioneis solemnis; ut ex eodem Caval. diximus scđt. præced.

In Asperzone Aque benedictæ, que diebus Dominicis fit a Sacerdote alba, & stola indato, vel etiam cum pluviali immediate celebraturo Missam Conventualem, stola aptanda est ante pectus ad modum Crucis, non vero pendens a collo ad utrumque latus. S. R. C. 30. Septemb. 1679. in uza Cappucinorum; apud Caval. d. 3. Aspercio Aque benedictæ in Dominicis fit a Sacerdote induto amictu, alba, cingulo, stola, & pluviali, Stola aptanda est ante pectus in modum Crucis, ut ad Missam, quemadmodum declaratur in allegato Decreto, quia Episcopi tantummodo est, eam deferre pendentem a collo ad utrumque latus super albam. Color stolæ, & pluvialis erit conformis Officio, seu Missæ sequenti. Ex Rub. Miss. Vide Caval. in d. 1. n. 5. & 6. Sacri Ministri respective induent Dalmaticam, &

& Tunicellam; vel planetas, juxta temporum exigentiam, sed sine manipulis. Ministri enim non utuntur Manipulo, dum Celebrans caret eodem, nisi cantaturi sint epistolam, vel Evangelium. In Ecclesiis autem minoribus Aspercio aquæ fieri potest a Sacerdote parato alba, & stola in modum Crucis, ut supra, & sine pluviali; quo casu sacri Ministri, si adfint, non induant Dalmaticam, & Tunicellam, respettive, vel planetas plicatas, nisi post ipsam Aspersionem, quando ipsemet Celebrans sumet planetam pro celebrandâ Missâ. Ubi non sunt Ministri, nec cantetur Missa solemnis, fiat Aspercio a solo Celebrante in pluviali, vel superpelliceo, & stola, cum uno Acolytho ante Missam Conventualem. Caval. in d. 3. nu. 12. fine.

Finita itaque Tertia, Sacerdos 41 una cum Ministris sequenti ritu accedit ad Altare. Primus omnium incedat Acolythus nudo capite cum vase Aque benedictæ, & Aspersorio; sequuntur Ceroferarii cum candelis accensis, postea Ceremoniarius, & deinde Celebrans, manus junctas tenuens ante pectus, medius inter Diaconum, & Subdiaconum, manu proximiiori levantes anteriores fimbrias pluvialis ejusdem Celebrantis, manu altera infra pectus admota, & hi tres tecto capite procedunt. Si autem Celebrans non utatur pluviali, tunc Diaconus, & Subdiaconus procedant immediate ante ipsum Celebrantem unus post alium. Quod si Celebrans extiterit in Choro ad cantandam Tertiam, tunc ut supra paratus cum suis Ministris exit a Choro ad Altare, ad faciendam Aspersionem. Caval. in d. 3. n. 3. Cum

Cum pervenerint ante infimum , Altaris gradum , deponunt sua bireta ; quæ consueto more traduntur alicui Ministro in aliquo decenti loco ponenda . Tunc Celebrans medius inter sacros Ministros , genuflexit cum ipsis , etiam tempore paschali , super infimum Altaris gradum utroque genu , genuflexente item Acolyto in plano cum vase Aquæ benedictæ a dextris Diaconi . Ab hoc Acolyto accipit Diaconus Aspersorium madefactum Aqua benedicta , traditque Celebranti , illud osculando in ima parte manubrii , tum etiam osculando dexteram Celebrantis in parte exteriori . Accepto aspersorio , Celebrans genuflexus manens etiam tempore paschali , intonat Antiphonam : *Asperges me* , extra tempus paschale ; sed paschali tempore Antiphonam : *Vidi Aquam* : quam Cantores prœsequuntur ; similiter ipse Celebrans submissa voce eam prosequitur , ejusdem verba dispensando in Aspersione Altaris , sui ipsius , & Ministrorum ; & Antiphona semper dicitur integra ante , & post Psalm. etiamsi diei Officium duplex non sit : Aspersionis enim functio non spectat ad Officium , sed ad Missam , in qua omnia integra dicuntur , ut animadvertis Caval. in d. 3. n. 11. Merat. to. I. par. 4. tit. 19. n. 15. Itaque dum Celebrans intonat Antiphonam , ter aspergit Altare , primo in medio , deinde versus cornu Evangelii , & denique versus cornu Epistolæ . Caval. in dist. 3. num. 4.

Si autem in Altari expositum sit Sacramentum , tunc abstinendum est ab Aspersione Altaris , eadem utique de causa , ob quam in eodem casu non signatur Altare ad Evangelium

S. Joannis *In principio erat* . Caval. n. 4. Gavant. par. 4. tit. 19. n. 13. Quia nimirum in eo casu Altare jam benedicitur per Autorem omnis benedictionis inibi expositum . Diaconus quoque in dicto casu similiter abstinebit ab osculis Aspersorii , & manus Celebrantis . Caval. in l. 3. 3. n. 4. Gavant. l. cit. Post Aspersionem Altaris (si non sit omittenda in casu praefato) Sacerdos aspergit seipsum , signans aspersorio suam frontem ; mox surgit , & aspergit Ministros sacros , & primo quidem Diaconum , & postea Subdiaconum , adhuc genuflexos , qui deinde pariter surgunt , post eos aspergit reliquos Ministros , puta Acolythos , Cerofararios &c. Caval. in d. 3. n. 4. & 7. Aspersis autem Ministris omnibus , Celebrans dat Aspersorium Diacono , qui illud recipit cum debitiss osculis , & postea illud tradit Acolyto . Tum Altari factis respectivis reverentiis , præcedente Cæmoniaro , & Acolyto , idem Celebrans medius inter Sacros Ministros , elevantes pluvialis fimbrias , pergit ad incensandum Clerum in Choro , ad quem cum devenerit , inclinatione Clerum ex utraque parte salutat ; mox accipiens Aspersorium , quod cum debitiss osculis Diaconus illi ministrat , accedit ad dignorem , quem cum pari inclinatione ante , & post , separatim aspergit . Quod si dignior de Choro fuerit Prælatus , tunc Celebrans , osculato Aspersorii manubrio , eidem porrigit illud , ex quo Prælatus indice digito Aquam accipiens , eam sibi ipsis in fronte in modum Crucis imponit , seu cum ea se signat , & Celebrans iterum osculatur idem manubrium . Quatenus tamen Prælatus innuat , Celebrans poterit præ-



prædictum dignorem, licet Prælatum, singillatim aspergere; & hunc modum teneri præstat, ait Caval. n. 7. quando adsunt plures Prælati ejusdem ordinis, & dignitatis. Post Superiorum Chori pergit aspergere cæteros, vel singillatim, vel unica aspersione ex utraque parte Chori, incipiens a parte dextera, hac tamen ratione, ut si singillatim fiat aspersio, cuique fiat inclinatio ante, & post; sufficiat vero unica inclinatio ante, & post, si per circulum fiat aspersio. Caval. n. 7. Quænam ex dictis aspergendi rationibus magis teneri debeat; Ecclesiarum consuetudine decidendum esse pronuntiat Caval. n. 8. qui tamen laudat tamquam satis accommodam, regulam, quam assignat Bissus, ut videlicet, Clerus aspergendus sit unica Aspersione ex utraque parte Chori, si sit numerosus; omnes vero separatim, si ille sit exiguus. Subditque Caval. Quæ dicta similiter sunt de Canonicis, non obstante præsenti decreto; quod limitationibus ejusmodi nos credimus obnoxium, et si de ejusdem authenticia, reverentia, quam merito Gavanto Rubricistarum maximo deferimus, nos dubitare non finis. Hæc ille. Verum ibi nullum decretum affert circa rem hanc, unde non apparet, de quonam decreto loquatur verbis illis: non obstante præsenti decreto. Cæterum proculdubio ibi excidit de ipsius calamo, vel ex Typographorum incuria omissum est sequens decretum. Aquæ benedictæ Aspercio in Dominicis fieri debet singillatim quibuscumque Dignitatibus, & Canonicis, incipiendo ab iis, qui in dextero cornu existunt; non vero uno ictu in circulum S. R. C. 20. Decemb. 1061. in Perusina, apud Gavant. cit. n. 13. lit. I. Et rursus in

TOM. I.

suo man. Episcop. Verb. *Canonico-rum munera*, & præsertim in Ciboro sub num. 15. in addit. & apud Merat. cit. tit. 19. n. 13. ubi et si dicat, hujusmodi decretum legi quidem apud Barbolam, & a se in suo ipsius indice Decretorum non fuisse notatum, eo quod Sacrae Regesta Congreg. non incipient, nisi ab anno 1602. nihilominus Decretum hujusmodi jam legitur in indice Decretorum ejusdem Merati, quo ad Rubri Miss. n. 44. signatum cum asterisco, ut consuevit in Decretis acceptis a Gavanto, licet hic fortasse ex Typographorum errore notatur editum an. 1605. atque adeo postquam in Regestis S. R. C. cœperint notari decreta ab ea edita. Cæterum etiam hic, Meratus testatur, hoc decretum a Gavanto in suo indice allatum non reperiri in Regesto S. R. Congregationis; subdit vero, quod præscribit, consonare dispositionibus, quæ habentur in Cærem. Episcop. unde servari debere. Caval. autem hujusmodi decretum, de quo, ut dicebamus, proculdubio loquitur, si bique obijcit, putat non obstatre opinioni prædictæ suæ, aut Bissi; sed intelligendum esse cum limitationibus prædictis, ita nimirum ut etiam Canonici aspergantur unica aspersione de utraque parte Chori, ubi ferat Ecclesiæ consuetudo, vel si sint numerosi: singillatim vero, si eorum numerus fuerit exiguus, aut ubi ita ferat Ecclesiæ consuetudo. Si in hujusmodi ritu Aspersionis adsit Episcopus, vel Princeps supremus, quenam sint cæmeronæ servandæ? Vid. Merat. cit. tit. 19. n. 21.

Absoluta Aspersione Cleri, eique facta debita reverentia, pergit Celebrans ad aspergendum populum; quæ

F f

po-

populi Aspersio fiet secundum con-suetudinem Ecclesiarum , vel proce-dendo per principalem navem , vel in aditu Chori , si est ante Altare , vel juxta cancellos Presbyterii , aut in ipso Presbyterii ingressu ; & hanc ultimam aspergendi rationem cæ-taris præstare , affirmat Caval. in d. 3. n. 9. sed antequam ad prædictum ingressum se constituat Celebrans , debitam reverentiam præmittat Alta-ri . Constitutus itaque ad Presbyte-rii ingressum , unica inclinatione ante , & post , salutabit populum ex utroque Ecclesiæ latere , & ibi eum asperget , ter dicens Aspergitorium , scilicet , primo in medio , secundo versus sinistrum latus respectu sui , quod est dexterum populi , seu la-tus Epistolæ , in quo mares divisi a fœminis stare solebant , & denique tertio versus oppositum latus , sive latus Evangelii . Quod si in Altari pateat Sacramentum expositum , tunc Celebrans , ne eidem terga vertat , se constituet aliquantulum ex Evan-gelii latere , & ex hoc asperget , ut supra , populum . Caval. cit. n. 9.

42. Dum Sacerdos aspergit Clerum , & populum , submissa voce recitet alternatim cum suis Ministris totum Psalmum *Miserere* extra tempus Paschale ; totum quidem , si ita opus fuerit , ob longiorem Aspersionem ; secus si Aspersio finiatur antequam Psalmus absolvetur ; finita Aspersio-ne , omissa quod superest de Psal-mo , subdatur *Gloria Patri* , & re-petatur Antiphona . Caval. n. 10. Tempore Paschali autem post Anti-phonam , *Vidi agnum* , dicatur alter-natim simili modo Psalmus *Con-fite-min* . Vid. Caval. n. 11. In Domini-na Passio-nis , & Palmarum tacea-tur *Gloria Patri* post Psalmum Mi-

serere , quemadmodum tunc tacetur in Missa , ad quam hæc solemnis Aspersio spectat , ut supra notavimus .

Finita populi Aspersione , Celebrans 43 dat Diacono Aspersorium , quod ipse recipit cum solitis osculis manubrii , & manus Celebrantis , & postea illud consignat Acolyto , qui illud cum vase Aquæ benedictæ deponit , & ad Altare fert librum . Reposito asper-gorio , Celebrans medius inter Sacros Ministros revertitur ad Altare , cui factis respective debitis reverentiis , se sistit erectus ante infimum gra-dum , ubi suo tempore , quando sci-licet terminatus est cantus in Cho-ro , Ministris sacris ante eum tenen-tibus librum , dicit in cantu V. *Osten-de nobis* : cui tempore Paschali ad-ditur *Alleluia* , quia Aspersio hæc spe-ctat ad Missam ; & postea subneicit preces , & orationem , ut in Missali . Post orationem , factis debitibus reverentiis , Celebrans cum Ministris se recipit versus cornu Epistolæ , ubi deposito pluviali , sumit planetam ; & Manipulum , suos item Manipu-los sumentibus sacris Ministris , & postea ad Altare revertitur ad incipiendam de more Missam . Caval. n. 12. Merat. 10. 1. par. 4. tit. 9. n. 20. De eodem ritu Aspersionis servando in minoribus Ecclesiis agit breviter Merat. l. cit. n. 23. qui vi-deri potest .

Qu. hic I. Utrum ad consequen-44 dos effectus Aspersionis Aquæ benedictæ , (de quibus Se&t. sequenti) requiratur ejusdem contactus physi-eus , vel sufficiat moralis ?

R. Sufficere contactum moralem , docet , & probat Quarti de bened-tit. 3. Se&t. 1. dub. 7. Censi au-tem , inquit , intervenire contactum moralem , quoties aspersio Aquæ ac-ce-

ceptatur a personis , super quas dirigitur , signo aliquo e. g. inclinazione , aut simili gestu ; vel si fiat Aspersio super res sensu carentes , quoties intentio Aspergentis ad eas dirigitur , quamvis Aqua non pertingat physice ad illas , ut accidit e. g. in benedictione Palmarum , Cereorum , &c. Porro Exodi 29. 8. dicitur , quod *Sumptum sanguinem respersit in populum* : & ad Hebr. 9. 19. scribit Apostolus , quod Moyses *Accipiens sanguinem vitulorum , & bicornutum cum Aqua &c. omnem populum aspersit*: contactu utique non physico , sed morali praedito. Moralis item contactus proculdubio interveniebat in aspersione cum Aqua lustrali , cunctae supellestilis hominis , qui tetigerat mortuum , ritu descrippto Numer. c. 19. v. 17. & 18. ubi sic : *Tollentque de cineribus combustoris , atque peccati , & mittent Aquas vivas super eos in vas. In quibus cum homo mundus tinxerit byssopum , Asperget ex eo omne tentorium , & cunctam supellestilem , & homines bujuscemodi contagione pollutos.*

45 Qu. II. Utrum excommunicati vintandi , cuiusmodi sunt notoriis Clerici percussor , & quivis nominatio excommunicatus , & specialiter , ac publice denuntiatus , possint uti Aqua benedicta ?

R. Negat Dicastillus apud La Croix l. 7. qu. 26. §. 7. Quia , inquit , benedicitur , ut profit fidelibus ; & utens illa , quantum potest , facit se participem suffragiorum Ecclesiae , quod excommunicato est prohibitum . Nihilominus affirmat cum communi Castropalaus , teste eodem La Croix , quia nullo jure excommunicatis hoc , & similia prohibentur .

S E C T I O III.

*De usibus , & effectibus Aqua
Benedictæ.*

*Ubi attingitur aliquid de Sacramen-
talibus.*

A QUAS benedictæ usus , & effectus 46
esse multiplices , constat ex orationibus , quas fundit Ecclesia in illius benedictione , & ex ea , quas a plerisque dicitur (reculantibus aliis) esse Alexandri I. epist. 1. Porro in laudata epistola scribitur : *Aquam sale conspersam populis benedicimus , ut ea sancti aspersi sanctificantur , ac purificantur ; quod ab omnibus Sacerdotibus faciendum esse , mandamus . Nam si cinis vitula adspersus sanguine populum sanctificabat , atque mundabat ; multo magis Aqua sale adspersa , divinisque precibus sacra populum sanctificat , atque mundat . Et si sale adperso per Eliseum Prophetam sterilitas Aquæ sanata est , quanto magis divinis precibus sanctata , sterilitatem rerum aufert humanarum , & coquinatos sanctificat , atque mundat , & expurgat , & cetera bona multiplicat , & insidias Diaboli avertit , & a phantasmatum versutiis homines defendit : nam si sancta fimbriae vestimenti Salvatoris salvatos infirmos es- se , non dubitamus ; quanto magis virtute sacrorum ejus verborum divinitas sacrantur elementa , quibus sanitatem corporis , & anima humana percipit fragilitas ? Rursus ex Rabano Inst. Cleric. lib. 2. C. 55. Aqua a folidibus mundat , sal putredinem fugat , Aqua nitorem præbet , sal adhibet sinceritatem ; Aqua fecundat , sal a corruptione præservat . Numinum per aspersionem aquæ lu-*

F f 2 stra-

stralis , seu benedictæ , fideles aqua lacrymarum , seu compunctionis animam a fôrdibus peccatorum emundant , ut mox explicabitur : atque monentur , ut sale timoris Domini putredinem malitiae fugent : petant a Deo Aquam gratiarum , qua virtutibus fœcudentur , & salem sapientiae , quæ eos a corruptione præservet . Videri etiam potest Durand. in Ration. Officior. lib. 4. cap. 4. Azor. Instit. Mor. par. 2. lib. 9. cap. 15. a quæst. 1. ad 4. Theophil. Raynaudus tom. 16. sect. 2. pu. 5.

Inter significatos autem usus pios , ac religiosos , & inter effectus spirituales Aquæ benedictæ , duo videntur esse præcipui , & quidem communiter a fidelibus intenti , & experientia comprobati . Unus est , quo Dæmones arcet a nobis . Alter , quo nos venialibus mundat a culpis : unde lustralis dicitur , eo quod hujuscemodi purgationis causa soleat adhiberi . Ideo igitur loca , & mortuorum corpora perfundimus , seu benedicta aspergimus aqua , ut nimirum Dæmones abigamus , ut que fugati , mortuorum corpora omni oppugnatione relinquant libera . Nos etiam ipsos hujusmodi Aqua sancta consuevimus aspergere , tum ut a nobis Dæmones arceamus ; tum ut a venialibus culpis emundemur , ut significatum est .

47 Profecto Aqua benedicta inter ea recensetur , quæ a Theologis Sacramentalia nuncupantur , quæ quidem Sacramentalia creduntur remittere venialia omnia , quibus mens actualliter non inhæreat , sed de his , sive explicite , sive saltem implicite doleat , eaque detestetur ; ut probat D. Thomas 3. par. qu. 87. art. 7.

& Azor. Instit. Moral. par. I. 1. 4. c. 11. qu. 4. & 5.

Hujusmodi autem Sacramentalia habentia vim remittendi venialia , enumerantur ab aliquibus sex , ab aliis vero novem , ab aliis etiam plura : ut videre est apud Azor. cit. qu. 5. & apud Suar. tom. 4. in 3. par. disp. 12. sect. 2. nu. 1. & 14. Qui tamen ibidem observat , hunc determinatum numerum Sacramentalium , quoad hujusmodi effectum remittendi venialia , non esse certa aliqua ratione , aut auctoritate fundatum . Unde melius cum eodem eximio Doctore docebimus : vocari posse Sacramentalia , atque adeo inter Sacramentalia , habentia vim remittendi venialia , numerari possent quaslibet actiones externas , habentes vim prædictam ob aliquem ex triplici sequenti titulo . Nimirum primus est , quia actio ex genere suo , & ex modo , quo fit , habet adjunctum aliquem dolorem peccatorum , vel significationem ejus ; ut Confessio generalis , hoc est : *Confessor Deo omnipotenti* ; vel tunsio peccatoris . Quæ quidem Confessio , ac percussio inter Sacramentalia ab aliis Theologis adnumerantur .

Secundus titulus est propter specialem vim impetrandi remissionem peccatorum , fundatam vel in aliqua propriaitione Dei , vel locutione Scripturæ : ut est in eleemosyna , vel in propria petitione , ut est in oratione Dominica : *Pater noster* &c. quæ quidem oratio , & eleemosyna inter Sacramentalia numerantur .

Tertius denique titulus est ob specialem impetrationem divini auxillii , vel motionem fundatam in orationibus Ecclesiæ , quæ per specialem consecrationem , vel benedictionem ad hunc

hunc effectum applicantur; & hujusmodi est Aqua benedicta, quæ propterea non utcumque operatur ex apprehensione sumentis illam: alioquin tantum valeret, si existimaretur benedicta, quamvis non esset; vel si homo illam assumeret, ut signum excitativum, sine alia benedictione, eundem effectum haberet; quod est præter Ecclesiæ sensum. Habet ergo vim moralem, quasi applicandi Ecclesiæ intercessionem; quam fortasse vim habent etiam aliæ res, quæ fere verbis eisdem ab Ecclesia benedicuntur, ut ex Pontificali Romano constat, de Consecratione Episcoporum, Abbatum &c. Cætera vero, in quibus aliquis titulus istorum non reperitur, non est cur in hoc ponantur numero; vel si vulgo ponuntur, est propter aliquam similitudinem, vel participationem eorum, quæ diximus; Ita Suarez.

Licet autem Sacramentalia dicantur remittere venialia; controvertitur tamen a Theologis: utrum hujusmodi vim habeant ex opere operato, vel solum ex opere operantis? videatur Azorius cit. qu. 5. qui putat causare ex opere operato; & D. Thomas l. cit. qui magis indicat, causare ex opere operantis; & Suarez tom. 4. in 3. par. disp. 12. Sect. 2. qui etiam ibi a numero quanto hanc posteriorem sententiam tueretur; imo ibidem a num. 10. docet: Probabiliter videri, non esse in Ecclesia potestatem ad instituenda signa sensibilia, & quasi instrumenta, quæ ex opere operato tollant peccata venialia. Videri etiam potest Theophil. Raynaud. tom. 16. sect. 2. pu. 1. & 5. versus finem. La-Croix l. 6. par. 1. q. 40. §. 3.

Quidquid autem sit de hujusmodi questione, nobis sufficiat pro praxi monere, ac notare primo: Sacramentalia, ut causent prædictum effectum, opus esse adhiberi pie, & religiose; & sic Aqua benedicta non remitteret venialia ei, qui ea se aspergeret simpliciter, ut maculam aliquam detergeret corporalem: vel illam biberet simpliciter ad sitim extinguendam: quod constabit ex sequentibus.

Not. 2. Ad hoc ut Sacramentalia causent remissionem venialium, etsi non exigatur motus aliquis, qui sit verus actus contritionis, vel amoris Dei super omnia: requiritur tamen in omnium sententia dolor aliquis, ac detestatio eorum in charitate, & aliquo modo facta ex gratia. Suar. to. 4. in 3. par. disp. 11. Comment. in cit. art. 3. D. Thomæ nu. 4. Sive explicite, sive saltem implicite: puta, si Aqua benedicta quis se asperget ex intentione, ut sua sibi venialia remittantur: tunc enim hujusmodi aspersio ex prædicta intentione facta, est implicita detestatio ipsorum venialium; hinc prædictum effectum nequaquam produceret Aqua benedicta in dormiente; e. g. si ea dormiens aspergatur.

Nota tertio: Sacramentalia remittere venialia omnia, si quidem ad omnia se dolor extendat sive explicite, sive implicite conceptus; secus vero si non ad omnia, sed ad aliqua: tunc enim illa non remitterent, ad quæ dolor se non extenderet. Quod docet D. Thomas l. cit. in responsione ad 2. ubi hæc habet: *Ad secundum dicendum, quod omnia ista (Sacramentalia) quantum est de se, operantur ad remissio-*

sonem omnium peccatorum venialium : potest tamen impediri remissio , quantum ad aliqua peccata venialia , quibus mens actualiter inbaret ; sicut & per fictionem interdum impeditur effectus baptismi .

Nota quarto : Sacramentalia non semper remittere totam poenam debitam veniali peccato , quod remittunt quoad culpam ; hoc etiam docet D. Thomas I. cit. in responsione ad tertium , sic : *Ad tertium dicendum ; quod per predicta (Sacramentalia) tolluntur quidem peccata venialia quantum ad culpam , tum virtute alicujus satisfactionis , tum etiam virtute Charitatis , cuius motus per predicta (Sacramentalia) excitatur . Non autem per quodlibet predicatorum (Sacramentalium) semper tollitur totus reatus poenae : quia sic , qui esset omnino immunis a peccato mortali , Aspersus Aqua benedicta , statim evolaret : sed reatus poenae remittitur per predicta secundum modum fervoris in Deum , qui per predicta excitatur , quandoque magis , quandoque autem minus . Hæc Doctor Angelicus .*

49 Qu. hic : Utrum Aqua benedicta possit adhiberi ad usus communes , & profanos , puta ad miscendum vinum pro potu , ad extinguendam fumum &c.

R. Affirmat , si absit contemptus , Tamburinus Method. celebr. Miss. lib. I. c. 2. §. 3. n. 6. Quia , inquit , in hac , & similibus modicis benedictionibus non cum tanto rigore agitur , vel agi intenditur ab Ecclesia ; Ita ille : cuius opinionem approbat Gobat. 10. 2. tr. 5. c. 23. Sect. 5. qu. 6. n. 259. idipsum sentit Quarti de bened. tit. I. Sect. 7. dub. 4. versus finem , & La-Craix

lib. 6. par. I. qu. 4. §. 6. fine , qui tamen fatetur , alias contrarium suadere .

Nos dicimus : id non licere sub veniali : quia Aqua benedicta procul dubio benedicitur ad usum pium , & religiosum , ut constat , & patet ex dictis ; atque adeo ejus benedictio est media inter simpliciter consecrativam , & simpliciter invocativam ; quæ autem sic benedicuntur , debent religiose tractari , & non posse sunt ad usus communes , & profanos , quantumvis decenter , adhiberi . Videantur dicenda I. 3. 2. Februari. art. 3. ubi de Cereis benedictis in die Purificationis . §. 8. qu. 3.

Confirmatur ex Tancredi de Relig. tr. 2. lib. 4. disp. 9. quest. I. n. 3. ubi quidem innuit , veniale esse , uti Aqua benedicta ad usus communes ; ait enim : non videri mortale , si contemptus absit , uti Aqua benedicta ad potum ; & forte nullum peccatum , si fiat ex aliqua causa . Dum autem dicit : non videri mortale : innuit , esse procul-dubio veniale , sine justa causa factum , & etiamsi cum aliqua causa fiat , dubitat , an nihilominus excusari valeat a veniali ; ait enim : forte nullum peccatum , si fiat ex aliqua causa . Favet etiam Durandus in Ration. lib. 6. c. 75. n. 12. ubi docet : sanctificare aliquid , esse , ex contactu , seu admixtione sacram rei reverendum , & sanctum effici , ut patet , inquit , in Aqua benedicta , cui alia admisceatur ; ita Durandus : ubi plane innuit , Aquam benedictam esse rem sacram , sanctam , reverendam . Ergo non est ullo prorsus modo ad usus communes adhibenda , sed tantummodo pios , & religioni conformes . Accedit Theophili-

philus Raynaudus tom. 6. Sect. 2. pa. 6. prope finem, ubi ait: quod et si admotione Aquæ e Mensa benedicta residua sicut canis restinguere, culpa vacaret; nemo tamen id affirmaret de Bruti ore immisso in labrum Aquæ benedictæ religioso cultui destinatum, ut inde bruti sicut depellat; ita laudatus Auctor: unde manifeste significat, non esse dubium; Aquæ benedictæ, de qua hic sermo est, deberi aliquem religiosum cultum, atque adeo non posse adhiberi ad eosdem usus communes, atque profanos, ad quos poterat ante benedictionem. Verum & ipsem Quarti de bened. tit. 3. Sect. 1. dub. 4. docet, ut supra n. 34. vidimus, quod si tamdiu differatur renovatio Aquæ benedictæ, ut Aqua corrumpatur, aut valde foedetur, sit peccatum veniale contra reverentiam debitam rebus sacris, & ob indecentiam, & aliquam populi (si nimirum id contingere in Templo) offensionem. Item, ut n. 32. notavimus; idem Quarti monet, quod quando benedicitur nova Aqua, vetus projiciatur in Sacrum. Jamvero si ex ipso metu Quarti Aqua benedicta est res adeo sacra; nullo pacto convenire videtur, eamdem ad usus adhibere profanos; quantumvis honestos.

ARTICULUS IV.

De Missa.

50 **T**N Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis in Dominicis infra Octavas, vel aliis a Festo duplice impeditis unica tantummodo cantanda est Missa: In Dominicis quidem infra Octavas de Dominica cum commemoratione

ne Octave; in aliis vero Dominicis, non privilegiatis, & in quibus sit de occurrenti Festo duplice, Missa de Feste cum commemoratione Dominica, e-jusque Evangelio in fine, S. R. C. 22. Decemb. 1753. in VVilan. in Lithuania. ad 12. dub. apud Caval. 10. 5. in Collect. recentior. decretor. & in opere Merati in 2. append. Decretor. Miss. n. 974. & videri potest Gavantus in Rubr. Miss. par. 1. t. 7. n. 2. ubi etiam rationes assignat, cur in Dominica occurrente Festo duplice, non dicantur duas Missæ Conventuales, una de Festo, altera de Dominica; cum Dominica nobilior sit Feriis habentibus Missam propriam, in quibus tamen occurrente Festo, dicuntur duas Missæ, de Festo, & de Feria. Confer etiam Merat. tom. 1. par. 3. tit. II. n. 4. decr. 17:

Si in Dominicam primæ classis intercederit dies Anniversaria Consecrationis Episcopi, vel in aliud ex solemnioribus Festis, non potest dici Missa de dicta Consecratione, sed in ipsa Missa de die fieri debet Collecta pro Episcopo sub unica Conclusione, ut disponit Cærimoniale Episcoporum, & declaravit S. R. C. 4. Aprilis 1705. confer dicenda 25. Decembr. n. 101.

Missa Conventualis in Dominica 51 celebratur, dicta in Choro Hora Tertia. Rub. Gen. Miss. tit. 3. n. 2. Pro Missis Conventualibus videri possunt dicta lib. 1. c. 2. qu. 5. & sequentib. Interrog. & dicenda tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 4. de Missa.

In Dominicis prohibentur Missæ 52 votivæ privatæ, & de Requiem. Rub. Gen. Miss. tit. 4. n. 3. & tit. 5. n. 2. & S. R. C. 15. Februar. in Fiventina; & 28. Februarii 1660. in

Ja-

Januen. apud Caval. to. 3. c. 9. d. 1. Vide etiam Gavant. in *Rubr. Miss. par.* 1. tit. 4. n. 3. lit. o. La-Croix lib. 6. par. 2. qu. 72. §. 2. & qu. 73. §. 1.

In Dominicis, & Festis potest celebrari Missa de Requiem pro Defunctis insepulto cadavere. S. R. C. 13. Maij 1603. Sermo est de unica Missa solemni; videantur dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 8. n. 22. *Missa votiva solemnis de B. V.* potest celebrari in die Dominica ratione concursus populi. S. R. C. 20. Novemb. 1662. in Aretina. Merat. ind. decret. Miss. n. 397. Hoc Decretum intelligitur de Dominicis, aliisque Festis non privilegiatis, & dummodo Dominica non incidat in Festum duplex primæ, vel secundæ classis, vel infra Octavas privilegiatas; vide etiam dicta lib. 1. c. 2. fine. *Missa votiva cantata de B. V. M. cum Gloria & Credo* potest celebrari in die Dominico causa voti, vel alia causa S. R. C. 16. Junii 1663. in Aretina; apud Merat. ind. decr. Miss. n. 401. Hoc decretum intelligendum est quemadmodum præcedens, & quoad dicendum *Gloria*, & *Credo*; Confer dicenda lib. 3. XI. Decembr. n. 3.

Missa secunda de Passione Domini cum Gloria, & Credo in Altari Sanctissimi Crucifixi singularis Dominicis præter Resurrectionis Domini nostri, & Pentecostes, non conceditur, neque potest tolerari. S. R. C. 2. Julii 1661. in Toletan. apud Merat. Ind. decr. Miss. n. 391. Prædicta Missa votiva non solum in Dominica Resurrectionis, & Pentecostes declaratur non celebranda, verum etiam nec in cæteris Dominicis per annum. Diebus autem aliis, quibus licent Missæ votivæ, etiamsi solemniter ce-

lebretur, non est in ea dicendum *Gloria*, quia cum in ea Missa, juxta rubricas, adhibendus sit color violaceus, in hujusmodi colore non cantatur *Gloria*. Confer dicenda inferius p. 54. fine; unde ex hac etiam ratione errabant, qui hujusmodi Missam in Dominica celebrantes, in ea *Gloria* recitabant. Quamvis autem Missæ votivæ private dici non possint, currente officio duplice, vel Dominica &c. pro re tamen gravi, vel publica Ecclesiæ causa die quilibet, etiam Dominica, & duplice poterunt solemniter decantari, exceptis solemnitatibus majoribus. Merat to. 1. par. 1. tit. 4. n. 12. Quænam sint solemnitates majores excipiendæ, explicat ibidem Meratus n. 54. & videri possunt dicenda in cit. Append. c. 3. n. 83. Quænam vero Ecclesiæ causa publica, vel res gravis debeat reputari pro votivis hujusmodi celebrandis, explicat idem n. 52. & 53. qui videri potest, dum hic animadvertisimus quod *Receptio ad habitum*, & *Professionem Religiosam* sub re gravi numerari non potest, ut ex consuetudine cantari possit Missa votiva solemnis, etiam de *Spiritu Sancto*, in Dominicis, vel *Duplicibus*; & hic abusus omnino est derogandus. S. R. C. 24. Julij 1683. in Ruremunden. apud Merat. Ind. decr. Miss. num. 462.

Non potest Missa votiva de Spiritu Sancto, vel alia celebrari, etiam ab Episcopo, pro eligenda Abbatissa in Festo duplice, vel Dominica. S. R. C. 28. Aprilis 1708. in Bracharen. apud Merat. Ind. decret. Miss. n. 606. Missa de Dominicis, vel de Festo duplice occurrenti dicenda est; non Votiva de Sacramento, ubi in Dominicis fit particularis Processio SS. Sacra-

evimenti, cum commemoratione tam
men SS. Sacramenti. Vide dicenda
in Appendix ad calcem Diarii cit.
cap. 5. n. 20. & 22.

Missa solemnis in Dominica infra
Octavam alicujus Sancti non debet ce-
lebrari de eodem Sancto, licet de con-
senso Ordinarii fiat Processo ad ejus
Ecclesiam S. R. C. 24. Julii 1660.
in Aretina. Apud Merat. Ind. de-
cret. Miss. n. 389.

53 In Dominicis, in Missa de Do-
minica dicuntur tres orationes, ut
suis locis assignantur in Missali, nisi
aliter notetur in quibusdam Domini-
nicis, suis etiam locis in eodem Mis-
sali. Rub. gen. Miss. tit. 9. n. 11.
At in Dominicis infra Octavas oc-
currentibus, in Officio Missæ de Do-
minica, dicuntur duæ orationes, una
de Dominica, secunda de Octave.
Rub. gen. Miss. tit. 9. n. 10. Por-
ro Missa de Dominica infra Octa-
vam admittit commemorationem O-
ctavæ. Rub. gen. Miss. tit. 7. n. 1.
Duæ autem in dicto casu dicuntur
orationes, non tres; quia diminutio
orationum indicat majorem solemnitatem
ob respectum Octavæ; vide
dicenda 8. Decemb. n. 21. Si vero
legatur Missa de Dominica antici-
pata, ut accidit post Epiphaniam,
dicuntur tres orationes, quia tunc
Missa est Ferialis; vide dicenda tract.
2. lib. 2. p. 2. in ejus 1. par. c. 2.
n. 9. In Ecclesiis Regularium diebus
Dominicis, quibus tam Regulares,
quam exteri celebrant de Dominica,
possunt exteri uti coloribus paramen-
torum, quibus utuntur Regulares ratio-
ne alicujus Octavæ; Ⓛ Regulares ce-
lebrantes in alienis Ecclesiis uti colo-
ribus juxta ritum earumdem; Ⓛ tam
exteri in Ecclesiis Regularium, quam
Regulares in alienis possunt apponere

TOM. I.

commemorationem Octavæ, ut supra,
occurrentis, servata rubrica de dupli-
ci oratione in Dominicis infra Octa-
vam. S. R. C. 11. Junii 1701. in
una Tertii ordinis S. Francisci apud
Caval. to. 3. c. 12. d. 5. qui n. 1.
animadvertisit, quod etiæ in decreto
dicatur: possunt uti: non est tam-
men liberum, ut colore &c. sed
necessarium: ut constat ex eisdem
ejusdem Tertii Ordinis in responsio-
ne ad primum dubium, ubi dicitur:
debent se conformare, saltem quoad
colorem. Vide dicta lib. 1. c. 2. n.
52. Apponere autem commemora-
tionem Octavæ, & nonnulla duplice
orationem recitare, liberum quidem
est. Caval. n. 2. Vide rursum di-
cta l. cit.

De Dominica fit commemoratione,
quando in ea agitur de Festo dupli-
ci. Rub. gen. Miss. tit. 7. n. 1.

Symbolum Fidei, seu *Credo* dici-
tur in omnibus Dominicis per an-
num, etiamsi in illis fiat de Festo,
in quo alias non diceretur, vel Do-
minica vacet. Rub. gen. Miss. tit.
11. initio. Non dicitur tamen in
Missa de Dominica anticipata, etiam
infra aliquam Octavam habentem
Credo, vel in Feriis infra Hebdoma-
dam repetita; vide dicenda tract. 2.
lib. 2. par. 2. ex ejus prima parte
c. 2. n. 6. & 9. Item occurrente Fe-
sto S. Marci die Dominico, in Missa
Rogationum non dicitur *Credo*, quia
est Missa Ferialis. S. R. C. 25. Se-
ptembr. 1688. in Mutinon. ut suo lo-
co notabimus. Nec dicitur *Credo* in
Missis Defunctorum. Rub. Miss. de-
rit. celebr. tit. 13. etiam in Domini-
nica celebratis, nimisrum solemnibus,
& præsente cadavere, juxta superius
indicata. n. 52. Dicitur autem *Cre-
do* in Missis votivis, quæ solemniter,
G g vel

vel pro re gravi, vel pro publico. Eo-
clesiae causa celebrantur, etiam si di-
cantur in paramentis violaceis im-
Dominica. Rubri gen. Miss. tit. 13.
finis. In predictis autem parmentis
violaceis omittitur Gloria in fixis.
Rubri gen. Miss. tit. 8. n. 4. Con-
fer Merati. to. 1. par. 1. tit. 4. n. 40.

55 Praefationem SS. Trinitatis in om-
nibus olim fuisse Dominicis decan-
tata, significat Auctor Micrologi-
de Ecclesiast. observat. c. 60: cuius
testimonium recipit Azorius Institutio-
moral. part 24 lib. II. c. 13, qui in-
fine: Id etiam alii graves testantur
Auctores, ut resert Suarez de Religio-
ne. II. tr. 2. lib. 27. c. 4. n. 16. &
summi potest ex G. Invenimus. 71.
dist. 1. de consecr. ubi Pelagius II.
(Vide tamen Meratum tr. I. par. 1.
tit. 12. n. 6.) inter Praefationes,
quas longa retro vetustas in Romana Ec-
clesia hactenus servavit, ponit Praefationem
SS. Trinitatis; cum tamen
Ecclesia Romana speciale Festum Tri-
nitatis olim non servaret. Confer
Merati. par. 4. tir. 12. n. 2. Ergo
verisimile est, inquit Suarez, Praefationem
illam fuisse in Dominicis re-
citatam, ut Micrologus tradidit. Por-
ro in Ecclesia Romana omnis Do-
minica dies, jam olim specialiter
dicata censetur in Sanctissimam Tri-
nitatis honorem. Vide dicenda in
Dominica Trinitatis Sect. II.

Cæterum quidquid sit de ritu veter-
i, jam notandum: Clementem XIII.
in suo Brevi edito an. 1759. 3. Ja-
nuarii decrevisse, quod singulis die-
bus Dominicis totius anni, quibus
Praefationes propriæ per Rubricas non
sunt designatae, Sacerdotes omnes u-
niuersque Cleri, secularis nempe,
atque Regularis, Praefationem de SS.
Trinitate recitare teneantur in Mis-

sa; & ita inviolabiliton servari
davit. Cuius dispositionis conguen-
tia pater ex eo, quod modo inde
cavimus, hoc est, emam Dominio
omni dicere spaciaditor esse dicaram
in honorem SS. Trinitatis, & ju-
vat etiam audire verba Pontifici me-
morati Decreti tenoris sequentis.

URBIS, ET ORBIS.

SANCTISSIMÆS Dominus noster Cle-
mens Papa XIII. inter multiplices
Apostolatus suis curas Sacrorum Rituum
amplitudinem praecipuis oculis habere non pro-
termittens, pia meditatione perpendit,
quod quantum compertum fas, festis
quisbusvis diebus Ecclesiam iugis culta
Sacrosanctæ, & individua Trinitatis
solemnia colera, quam Deum ipsum,
qui est Pater, & Filius, & Spiritus
Sanctus, i rerum omnium Opifex, & ad
quem oraria referenda sunt in festis
quoque Deipara, & aliorum Sanctorum
venerari, & glorificare proficitur;
maxime tamen decent Dominico die,
quo Deus ipse lucem condidit, quo Ia-
sus Christus a mortuis resurrexit, quo
sedens ad dexteram Patris, Paracletum
Spiritum Sanctum misit de Cœlis,
quo proinde ineffabile, & intelli-
prehensibile Trinitatis Mysterium mani-
festum factum est nobis, quemadmodum
in divino Officio, tum ad Primam re-
citando Symbolum Quicunque, tum
plerumque in ultimo tertii Nocturni ref-
ponsorio Augustissimæ Triadis fit com-
memoratio, idem & in Missæ Sacri-
ficio peragi, & in ea potissimum par-
te, quæ contestantur, dignum, & ju-
ustum esse, Deo gratias agere, eumque
collaudare, benedicere, & prædicare.
Idcirco ad maiorem, splendidoremque
tanti Mysterii gloriam, ut scilicet quis-
que, qui die Dominico Missæ interessa-

de-

debent, latius; atque apertius facti sunt Mysteriis praecondaudentes; datum est ipsi fervitatis obsequum supremo impendente Majestati: statuit, atque deceperit, quod singularis Dominicis diebus totus anni, quibus Praefationes proprie per Rubricas non sunt designatae, incipiunt a Dominica SS. Trinitatis currentis anni MDCCCLIX. Sed credentes omnes utrinque Cleri, Secularis nempe, atque Regularis, Praefationem de SS. Trinitate, que iam inde a centesimis temporibus in usu fuisse dignofuerat, in Missa recitare voleantur, & ita inviolabiliter observari mandabuntur.

Hac die 3. Januarii.

Loco  Sigilli.

D. F. Card. Tamburinus Praefectus:
M. Mateuscanus S. R. C. Secret:

56 In Dominicis autem recurrentibus illis temporibus, aut Festis, in quibus designatur Praefatio propria; non dicitur Praefatio de Trinitate; ut hanc significatum est; sed Praefatio propria Festi, vel temporis; juxta Rub. gen. Miss. tit. 12. n. 2; unde tempore Quadragesimae, in Dominicis dicenda est Praefatio Quadragesimalis: & ita habetur in Director. ad recit. horas, & celebre. Miss: edit. pro statu Ecclesiastico; quemadmodum vidi in quoddam hujusmodi Director. typis edito Romae an. 1763. sicut & in Directoriis particularibus allatum Directorum: Quod est contra id, quod scripsit quidam recentior, qui putavit, in Dominicis Quadragesimae dicendam esse Praefationem de Trinitate. Similiter tempore Paschali; in Do-

minicis ascenda est Praefatio Paschalis, & non de Trinitate, ut etiam notabatur in laudato Directorio: Similiter in Dominicis occurrente in die Octava S. Stephani; vel Sanctorum Innocentium; vel in Vigilia Epiphaniae; quo casu, ut suis respective diebus predictis notabimus, erit dicenda Praefatio de Nativitate scilicet, usque ad diem Epiphaniae exclusive. Similiter si Festi habeat Praefationem propriam; & celebretur cum Octava: Praefatio propria Festi dicitur etiam in Dominicis infra illius Octavam. Rubr. cit.

In Missis quoque votivis in Dominicis celebratis solemniter dicitur Praefatio propria, si propriam habent, si vero non haberint, dicitur Praefatio de tempore, vel Octava; infra quam contigerit hujusmodi Missas celebrare. Rub. gen. Miss. tit. 12. n. 4. Alioquin Praefatio de Trinitate, conformiter ad allegatum Decretum Clementis XIII.

In Missis autem Defunctorum quemque tempore semper dicitur Praefatio communis. Rub. cit. Confessio dicens I. 3: 2. Novenib. n. 83.

Denique ista Missa de Dominicis in Fieri perlecta, seu repetita, non dicitur Praefatio de Trinitate, sed communis, si non occurrat propria de tempore. Sit illa in Missa de Dominicis anticipata dicitur Praefatio communis, vel de Octava, si occurrat habens Praefationem propriam; ut suo loco, ubi de hujusmodi Dom. sermo erit, notabimis. Profecto Missa de Dominicis in Dominicis perlecta habet Praefationem Trinitatis, ob respectum diei Dominicæ; ut fatile patet ex dictis annis precedentibus & unde extra diem

G g 2 Do-

Dominicam non ei competit amplius Præfatio Trinitatis.

An, & quale peccatum sit, non dicere Præfationem propriam, sed communem? & an possit, vel debet suppleri, ubi error advertatur? examinabimus in Dom. Resur. art. 3. qu. 1. & 2.

57 Missa Dominicæ repetitur in Feriis hebdomadæ; si nimur de Feria agendum sit, & propria Missa non fuerit de Feria, dicatur Missa præcedentis Dominicæ, omissis *Gloria in excelsis*, & Symbolo, præterquam tempore Paschali, in quo semper dicitur *Gloria in excelsis*, excepta Missa Rogationum; & in Adventu prætermittitur *Alleluja* post Graduale cum suo versu. Rub. gen. Miss. tit. 14.

A R T I C U L U S V.

De Renovatione Ciborii, seu Sacre Pyxidis.

58 FIERI debet aliquando renovatio Ciborii, seu Sacrae Pixidis, & Monstrantiarum, ne species nimium antiquæ corrumpantur, vel mucescant; & si aura sit humida, facilius corrumpuntur, quam si sit secca; hinc tum non debet tardi expectari, præterim in hyeme; ut monet La-Croix lib. 6. par. 1. qu. 96. §. 1. & par. 2. qu. 47. §. 7.

In Rituali Romano Pauli V. ubi de administr. SS. Euchar. post initium: Parocho dicitur: *Sanctissima Eucharistia particulas frequenter renovabis*: La-Croix loc. cit. suadet, ut renoventur singulis mensibus. In constitutione Clementis VIII. incip. *Sanctissimus*. 31. Aug. 1595. to. 3. Bullar. Cherub. §. 2. præsabitur

ut *Sanctissimum Eucharistie Sacramentum*, quod pro infirmis asservatur, singulis octo diebus, aut saltem quindecim renovetur. Dicitur: *aut saltem quindecim*: ad innuendum: per se renovandum singulis octo diebus, & non nisi ex aliqua justa causa renovationem differendam ad quindecim dies. Sed jam Sacra Congregatio Episcop. in Ravennaten. 5. Aprilis 1573. declaraverat: quod *Renovatio Sanctissimi Sacramenti* debet fieri quilibet Dominica, non autem differri ad quindecim dies. Apud Caval. to. 4. c. 6. d. 17. Quæ quidem frequentia septem, vel octo dierum præcipitur in Capitulis quorumdam veterum Conciliorum, ut in Synodo Wigoriensi sub Waltero Episcopo Ann. 1240. capit. 7. legitur: *Circa species, que essiguntur ad hoc Sacramentum, quod pia recordationis W. prædecessor noster statuit in prima Constitutione approbantes, & verba Canonis distincte proferenda; de Hostiis consecratis non ultra septem dies conservandis, ne forte per eads vires, vel diurnans conservationem humiditatem contrabant, aut mucorem, propter quod abominabiles gustui, vel aspectui turpes appareant; firmiter præcipimus, quod ipse super hoc statuit observari*. Hæc in laudata Synodo, quæ sunt descripta to. 11. Concilior. Labbei, & Costartii par. 1. pag. 575. col. 2. edit. Lut. Paris. an. 1671. Similia habentur in Synodo Bajocensi circa an. Dom. 1300. capit. 12. ubi præcipitur, quolibet die octavo Eucharistiam renovari, ne sui vestitate aliquam indevationem moveare valeat, aut horrorem. cit. to. 11. Concilior. par. 2. pag. 1452. col. 2. His faveat C. *Permitimus* 57. de sentent. excommunic. tamen tempore In-

Interdi^ti conceditur , semel singulis hebdomadis celebratio Missæ ad renovandas particulas pro infirmis .

- 59 Quod autem Græci Eucharistiam Feria V. in Cœna Domini consecratam asservare conseruerint in annum integrum pro infirmis ; hoc non obstat ; nam in primis consecrant in pane fermentato , qui non ita facile corrumpitur . Deinde ipsis etiam Græcis nihilominus ritus hujusmodi iteratis sicut vicibus a Romanis Pontificibus proscriptus ; & iusti sunt , Eucharistiam pro infirmis asservatam renovare singulis octo , aut ad summum quindecima diebus . Vid. Benedic^t XIV. Const. 47. incip. *Allatae sunt §. 29. to. 4. Bullar. sui.*

Pro ritu purificationis praefatae , & pro dubiis , quæ occurtere possunt in renovatione hujuscemodi , videatur La-Croix l. sup. cit. Cavall. commentar. in sup. cit. Decr. 17. Meratus in Rubr. Miss. par. 2. tit. 10. n. 32. & videri possunt dicenda a nobis tr. 2. Fer. VI. in Parasceve subl. 5. §. 20. qu. 1. n. 263.

A R T I C U L U S VI.

De Collatione Ordinum.

- 60 **O**R DINATIO Clericorum in ministris potest fieri etiam in Dominica , vel Festo duplici , & de precepto in foro ; dummodo non videatur fieri Ordinatio generalis , sed ordinentur pauci . Vid. dicenda lib. 3. 24. Februar. n. 9. & in Septembr. par. 1. n. 37.

- 61 Licet majores Ordines jure communi in solis Sabbatis Quatuor Temporum conferri possint , nec non Sabbatho Sandio , secundum dicenda

in Septemb. l. cit. n. 39. nihilominus si Episcopus non possit in Sabbatis predictis absolvere Ordinationem , putant Sylv. Rosel. Henricus Sanch. Villal. contra Aversa apud La-Croix lib. 6. par. 2. qu. 331. §. 3. posse pergere in Dominica , sed continuandum esse jejunium ab Ordinante , & Ordinandis , ut censeatur manere eadem dies . Idem sub eadem conditione , & si urgeat necessitas , docet Durandus in Ration. Offic. lib. 2. cap. 1. nu. 37. ex C. Litteras de Temp. Ordin. Quod si non continent jejunium , Suarez aliique cum Gobat , teste eodem La-Croix , negant fieri posse . Sermo autem est de jejunio naturali pro communione facienda . Vide dicenda in Septemb. par. 1. nu. 69. In illo etiam casu , quod continuetur jejunium , addit Castropalus , & approbat La-Croix , Episcopum non posse eidem conferre unum Ordinem majorem in Sabbato , & alterum in Dominica : quia censetur , eodem die contulisse eidem duos Ordines sacros ; & ita quidem dicitur in supra laudato C. Litteras , ubi insuper punitur Episcopus , qui in Sabbato quemdam in Diaconum , & proxime sequenti die Dominico (etiam continuato jejunio) eumdem in Presbyterum ordinavit .

Ordinatio Episcopi fit in die Dominico , & nequit jure communi in alio die consecrari ; uti habetur ex Anacleto Papa in C. Ordinationes 1. dist. 75. & ex Leone I. in C. Quod die 5. dist. eadem , & Pontific. Rom. tit. de Consecr. electi in Episc. Determinationis autem diei Dominice rationem assignat Durandus cit. lib. 2. c. 2. n. 6. vulgatus Alcuinus C. de Sabbatho in 12. Lect. Amalarius de

de Ecc. Offic. lib. 2. c. 2. fine; quia videlicet Apostolis in Dominica, nimirum Pentecostes, Spiritus Sanctus datus est. At cit. C. Quod die. dicitur: ideo Episcopos ordinari in Dominica, quia Apostoli in Dominica Episcopos ordinaverunt Paulum, & Barnabam. Denique Suarez tit. 1. de Relig. tr. 2. lib. 2. c. 4. n. 14. putat, hujusmodi institutionis rationis rationem fortasse fuisse, quoniam videntur Apostoli in Dominica, nimirum Resurrectionis, consecrati fuisse a Christo Domino Episcopi; recole dicta art. 1. qu. 3. n. 9. §. *Nono in ipsa Dominica.*

ARTICULUS VII.

De Cæremonia orandi in Dominica erecto corpore.

63 **J**esus standi ad Orationem, hoc est, orandi erecto corpore in Dominicis, sicut & Paschali tempore, jam olim servari in Ecclesia consuevit; & quidem de tempore Paschali constabit ex suo loco dicendis tr. 2. l. 5. par. 1. c. 3. & etiam hic significare oportebit, adducendo testimonia pro die Dominica.

Quod itaque ad Dominicam spectat, id patet ex Tertulliano lib. de corona Militis cap. 3. ubi ait: *Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare.* Item ex Concilio Niceno I. Can. 20. & refertur C. Quoniam 10. dist. 3. de Confessr. his verbis. Quoniam sunt in die Dominica quidam ad orationem genua flexentes, & in diebus Pentecostes; propterea statutum est a Sancta Synodo (quoniam confona, & conveniens per omnes Ecclesias custodienda consuetudo est) ut stantes ad Orationem ve-

ta Domibus reddamus. Item Alexander III. relatus in C. Quoniam. die ferius ait: *Diebus autem Dominicis, & aliis principis festis statibus, sive inter Pascha, & Pentecosten, genuere flexio nequit quae debet fieri; nisi quis ex devotione id vellet facere in secreto.* Idem constat ex S. Hilario prot. in Psalmor. explanat. cuius verba mox recitatimus; item ex August. ad Januar. epist. 119. capa. 15. ex recension. Lovanien. edit. colon. an. 1616. ex S. Maximino Episcopo Taurinensi. hom. 3: de Pentec., rursus ex Basilio Cesar. lib. de Spiritu Sancto c. 27. quem infra audiemus: ex Isidoro loco mox citando, & ex aliis Patribus, veteribusque Scriptoribus ecclesiasticis.

Quia quidem consuetudo ab ipsis Apostolis dicitur instituta; ut tradit S. Hilarius l. cit. ubi ait: *Hec Subdata Sabbatorum ea ab Apostolis religione celebrata sunt;* ut bis Quinquagesima diebus (hoc est: quinquaginta diebus a Paschate ad Pentecosten) nullus neque in terram strato corpore adoraret; neque jejunia festivitatem bujus spiritualis Beatitudinis impediret. Quod ipsum extinxerunt etiam in diebus Dominicis est constitutum. Idem ex Ireneo testatur Auditor questionum, & Respons. ad Orthod. inter Opera Justini M. qu. 15. & indicat Tertullianus loc. cit. & S. Isidorus Hispalens. Episcopus verbis infra laudandis.

Hoc autem fit propter easdem 64 rationes, ex quibus die Paschæ, & tempore Paschali non fletimus genua ad orationem; nimirum primo propter Domini Resurrectionem. Enimvero omnis Dominica dies significat primo Domini Resurrectionem: unde Durandus in Rationib.

lib. 7. c. 1. n. 25. dicit : omnino dominicas esse olearias ipsius festi Pascha Resurrectionis. Preseatio toto anno dominicis diebus Christi Resurrectionis revolutar, ut explicatum est art. 1. qu. 2. Et quidem ipsa domini Salvatoris Resurreccio facta est in dominica, ut constat; unde & nomine dominicas hac dies antonomastice sibi attribuit, ut cit. qu. 2: docuimus, & latitiae deputatur.

Hanc rationem significat S. Gregorius apud Durand. in Rat. lib. 6. c. 28. n. 8. ubi ait: Qui in dominica dix. genua flectit, Deum resurrectione negat. Cui auctor S. Gregorius dixit: negare Christi domini Resurrectionem eum, qui in dominica genua flectat? explicabimus n. 69. sed apertissime hanc rationem assignat S. Maximus homil. supraoit. & S. Isidorus Episcopus Hispalen. lib. 1. de eccles. Offic. c. 33. fine, restatur, hanc esse traditionem Majorum, dicens: Die dominica Majores nostri nec ieiunium agendum, ne genua esse flectenda ob reverentiam dominicae resurrectionis tradiderunt.

Rursus dominica significat statim beatitudinis celestis, & futuram resurrectionem nostram: Unde etiam in dominico die stantes oramus, quod est segnum fuisse resurrectionis. Ita quoque laudatus Isidorus l. cit. c. 24. de Dom. Idem innuit Hilarius verbis supra laudatis, & clarissimus habet Basilius l. supra cit. ubi ait: In prima Sabasti (hoc est in dominica!) credi perficimus deprecationes, sed rationem non omnes novimus. Non solum enim quod veluti simul cum Christo resuscitati, que sursum sunt, querere debeamus, in die resurrectionis data nobis gratia, stan-

der patentes: nosmetipos commonefacionis: sed quod is dies videtur alios quo modo invito venerari sancti. Eius que quam sit principium dierum, non prius a Moysi, sed unus appellatur ab. Factum est, inquit, Vespere, & die Domini, dies unus: namque quis saepe recurrat, ut annus sit idem, & certus, unum illum singularem, ac verum obstatum, cuius Psalmista aliud eubi in Psalmis meminit, per se significans; diem, inquam, post horum temporum statum nunquam finiendum, Vesperae nescium, nec successori cedens rem, hoc est, aeternitatem, quae nec finem habet, nec senium noscit. Nec essarium igitur in hoc die Ecclesia suos alumnos docet, sanctas absolvere preces suas, ut assidua commonitione vite illius nunquam destitura, non negligamus, ad eam demigrationem parare viaticum.

Denique cum dies dominica specialiter latitiae deputetur ob rationes praedicas, & alias art. 1. qu. 3. fusi explicatas: ideo etiam a genuflexione abstinere in ea consuevere fideles. Porro genua flectere ad orandum, preuentia, & ludens est indicium, ut notat S. Isidorus Hispalen. Episcopus de Eccl. Offic. lib. 1. cap. 33. de Pentec. Rabbanus Maurus de Inst. Cleric. l. 2. c. 41. Durand. in Ration. l. 6. c. 86. nro 17. Per hunc enim habitum corporis mentis humilitatem ostendimus: vulgatus Alcuinus de Divin. Offic. cap. de Paral. Dumque in terram cadimus, memoramus nos in Adamo cadisse, & mole cororis gravari, immemiscimus, & ipsum anima nostra in vitia, dum corpore ad terram eadimus, paenitendo fatemur: Honor. in Gemma l. 1. c. 17. & S. Basilius loco supra cit.

Ideo

65 Ideo nota hic primo ; etiam antiquitus Penitentes (nimirum publicos , de quibus dicemus tr. 2. in Fer. 4. Cin. subl. 2. §. 11. qu. 1. & in Fer. V. Cœnæ Domini subl. 9.) semper genua flexisse in ipsa quoque Dominica , ex Concilio Carthaginensi VI. , ut refert Raynaudus to. 6. tr. Sacr. Crist. Acath. §. 9. & significat etiam Walafridus Strabo lib. de reb. Eccl. c. 25. post initium .

Nota 2. Nemini umquam fuisse prohibitum genuflectere ad orationem in Dominicis , & Paschali tempore : affirmat Gavantus in Rubr. Miss. par. 1. tit. 17. num. 1. fine ; idipsum significat Durandus testimonio infra allegando qu. 1. Licet aliter tradere videantur Tertullianus , & S. Hilarius verbis supra laudatis n. 63. Cæterum assertioni Gavanti favet Rub. gen. Miss. tit. 17. n. 2. ubi monentur audientes Missam privatam , semper genuflectere , etiam tempore Paschali , atque adeo & in Dominicis ; nimirum quia in Missa non solum oramus , sed maxime adoramus ; ratrone ergo adorationis curvantur genua in Missa , etiam in Dominicis , & tempore Paschali , ut ait idem Gavantus loco cit. n. 2. litt. h. Porro aliud est orare , aliud adorare , ut notat D. Augustinus ad Paulinum epist. 59. ex recens. Lovan.

Nota 3. Ipsam quoque cæmoniam orandi erecto corpore in Dominicæ , jam non consuevit servari ad omnes preces etiam publicas ; & solemnies , sed solum ad unam , vel alteram ; puta ad Antiphonam finalem in Horis Canonicis a 1. Vesperis Sabbati precedentis ex Rubr. gen. Brev. tit. 36. nu. 3. Profecto ritus

standi ad orationem in Dominicæ incipit a Vespera Sabbati ad Vesperam sequentem Dominicæ , ut Johannes Cassianus tradit lib. 2. Instit. c. 18. quia a Vespera ad Vesperam computari consuevit Ecclesiasticus dies quoad hujusmodi Divina Officia , quemadmodum explicavimus l. 1. c. 1. art. 1. n. 8. Unde qui in Dominicæ sero recitant privatum Laudes Feriæ secundæ post consuetum Vespertinum Salutationis Angelicæ signum , debent ad prædictam finalem Antiphonam genuflectere . Gavant. in Rubr. Brev. Sect. 5. c. 22. fine. Deinde præfata eadem cæmonia standi ad orationem in Dominicæ consuevit insuper usurpari ad significatam orationem , seu Salutationem Angelicam , ut nuncupari comuniter solet , quæ in honorem Sanctissimæ Dei Genitricis , & ad recolendum Mysterium Incarnationis Dominicæ , quotidie recitatur ad pulsus Campanæ , ut notum est , in Aurora , in Meridie , & post occasum Solis ; (de qua pia consuetudine populi Christiani egimus l. 1. c. 5.) dicta igitur oratio , seu Salutatio Beatissimæ Virginis recitanda est erecto corpore , a Sabbato sero usque ad Dominicam sero .

Qu. hic I. An præter Dominicam , in alijs quoque diebus solemnioribus debeamus ritum servare prædictum standi ad orationem , puta ad Antiphonam finalem in horis Canonicis ; & ad orationem , seu Salutationem Angelicam ad pulsus Campanæ ? Dubium oritur ex eo , quia Alexander III. supra relatus docet : Dominicis diebus , & aliis præcipuis Festivitatibus non esse flexenda genua in Orationibus publicis . Item Durandus in Ration. lib. 6. c.

A. c. 80. dicit : præter tempus Paschale , & omnes Dominicæ , in Festivitatibus etiam Beatae Marie , & diebus aliis Festis genua flectenda non esse , nisi in præsentia Corporis , & Sanguinis Christi .

B. Suarez de Relig. to. I. tract. 2. lib. 2. c. 10. num. 4. dicit , esse obscurum , quid laudatus Pontifex intelligat per præcipias Festivitates ? Et quamvis Glossa ibi ver. Præcipius intelligat omnes Festivitates ibi comprehendendi , quas observari præcipiuntur in cap. I. de consecr. dist. 3. & in ultimo de Feriis : Verum forte , inquit Suarez , cærenomia ista numquam observata fuit in omnibus diebus Festis indifferenter , sed in quibusdam majoribus , qui in eo textu dicuntur præcipi . Deinde Clemens VIII. renovans cærenomiam istam in Breviario , non facit mentionem Festivitatum , sed tantummodo Dominicarum .

Dico itaque cærenomiam orandi stando , seu erecto corpore , cœpisse primum servari in Dominicæ Resurrectionis , & tempore Paschali , & in omnibus Dominicis ; deinde vero videri , extensam fuisse ad alias Solemniores Festivitates , puta Nativitatem Domini , Epiphaniam , Assumptionem B. V. propter eamdem rationem illam assignatam pro Dominicæ n. 64. Tandem vero restrietam fuisse , ut erat ab initio , ad solas Dominicæ , & tempus Paschale .

67 Qu. II. An cærenomia orandi stando , seu erecto corpore , obliget sub peccato in iis saltem precibus , in quibus hactenus consuevit servari , aut quando Rubricæ præscribunt ?

B. Suarez de Relig. to. I. tr. 2.
TOM. I.

lib. 2. c. 10. n. 4. simpliciter dicit : cærenomiam standi tempore Paschali , & Dominicis , non spectare ad obligationem præcepti . Item Diana edit. coord. to. 3. tr. 6. R. 45. §. 4. tradens etiam Doctrinam generalem pro similibus cærenomiis , hæc habet que habentur ex jure Ecclesiastico de stando v. g. ad Evangelium in Missa C. Apostolica . de consecr. dist. I. de non geniculando inter Pascha , & Pentecosten Cap. Quoniam de Feriis , de assurgendo ad Gloria Patri , ex Concilio Basileensis sess. 21. & similia non tam habent vim præcepti , quam directionis . Et si quid peculiariter præcipitur in Rubricis , ut recidunt flexis genibus , vel capite discooperto , & inclinato , vel stando , & assurgendo , vel hoc , aut illo modo ; maxime præscribitur pro recitatione publica , propter significationem mysteriorum , in quorum memoriam sunt instituta bujusmodi cærenomia , & debent communiter servari , etiam in recitatione privata , quamquam in hoc , si omittantur ex aliqua causa , & sine contemptu , nullum sit peccatum ; & revera non habent propriæ vim legis , aut præcepti , sed solius directionis , & regulæ , ut Officium magis pie , & magis religiose dicatur . Vide Palaum ubi supra , qui etiam docet : sedere cum standum est , vel stare , cum est flectendum ex Rubricæ prescripto , non videtur esse peccatum , si absque contemptu fiat , quia non videtur præcipi , sed consuli , & ordinari majoris devotionis gratia . Idem etiam docet Gargias . Hæc Diana .

Tamburinus tamen in Decal. lib. 2. c. 5. §. 6. n. 4. docet , præcisso adhuc contemptu , esse veniale , non stare , aut non genuflectere , etiam extra Chorum , quando id præcipit

H h Ru-

Rubrica: nihilominus simul approbat prædictam Doctrinam Caſtropalai apud Diana[m].

68 Ex his habes 1. non stare, cum ad orationem ex præscripto Rubricæ standum est; esse etiam extra Chorum, aliquam venialem culpam ex Tamburino, nullam vero ex Caſtropalao, García, Diana, & videatur etiam ex Suarez.

Habes 2. non stare, cum ad ſalutationem, B. Virginis ad pulsum campanæ, standum est: nullum eſſe peccatum; fecluso tamen contemptu conſuetudinis hujusmodi Ecclesiastice. Etsi omnino standum sit, ad conſequendas Indulgentias confeſſas a Benediſto XIV. ſalutationem hujusmodi recitantibus. Vide dicta, l. 1. c. 5. de Salutat. Angelica n. 3. & ibidem qu. 3. n. 19. Itaque ſalutatio Angelica ad pulsum campanæ quotidie recitari ſolita, recitatur ſtando in Dominica a primis Vesperis, ſeu post ſolis occafum, diei Sabbati uſque ad occafum ſolis inuulfive diei Dominicæ: quam condiſionem requirit laudatus Pontifex ad lucrandam indulgentiam ab eo confeſſam recitantibus illam. Ita quidem ratione Indulgentiarum: per ſe autem nullum erit peccatum, ſi flextis genib[us] recitetur.

69 Sed dices: Cur itaque S. Gregorius aſſerit, eum, qui Dominica genuſteſtit, Christum resurrexiſſe negare, ut ſupra n. 64. tetulimus? Proſecto hic loquendi modus manifeſte indi- cat prohiſionem gravem, ne quis in Dominica genuſteſtit. Sed & Baſilius neceſſitatemi orandi erecto cor- pore in Dominica manifeſte affirma- re videtur; ex eo enim ſuperius haec verba laudavimus: *Necſarium igitur in hoc die (Dominico) Ecclesia ſuos*

alumnos docet, ſaintes abſolvet pre- ces suas.

R. Illud S. Gregorius dicit, quia, cum in die Dominica ad orationem ſurgere conſueverit populus christia- nus, ad ſignificandum Christi Do- minii Resurrexiſſonem, ut eſt expli- catum; hinc nonnulli Hereticorum, qui Christum resurrexiſſe negabant, in Dominica genuſteſtebant, ad ſui profeſſionem erroris, & ad contra- dicendum Catholicæ veritati. Simi- le exemplum habes in jejunio olim ob rationem eamdem ab iisdem ha- reticis in Dominica cuſtoditum; Ca- tholicis vero in ea tunc etiam pariter interdictum. Vide dicenda art. 9. qu. 1.

Ad anctoritatem vero Baſiliī dico: eum praedicto modo loquendi, mi- nime ſignificare ſimplicem, veram- que neceſſitatem, ſed meram conve- nientiam, & medium aptum ad fi- nem excitandi fidelium. Mentes in cogitationem beatæ Reſurrexiſſonis, & mansioñis ſupernæ; ut manifeſte colligitur ex ejusdem verbis, que ſta- tim ſubjicit, assignando rationem, ex qua, id eſſe, affirmaverit, neceſſarium, dicens: *Ut affida commoniſſio- ne vita illius nunquam defiſure, nea negligamus ad eam demigrationem pa- rare viaticum.* Proſecto ex D. Tho- ma 3. p. qu. 65. art. 4. c. neceſſa- riū reſpectu finis dicitur aliiquid dupliciter: Uno modo, ſine quo non potest haberri finis; & hoc eſt ſim- pliciter neceſſarium ad finem. Alio modo dicitur, eſſe neceſſarium id, ſine quo non habetur finis ita con- venienter; hoc autem non eſt ſim- pliciter neceſſarium ad finem: Ita Sanctus Doctor; unde conſtat hoc verbum, neceſſarium, neceſſe eſt: aut ſimile non ſemper importare ſimpli- rem,

cem ; sic veram necessitatem, sed aliquando id solum, quod magis expediat, & valde congruum sit. Sic adhiberi videtur Tob. 12. 13. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. Similiter in epist. 2. ad Philip. 2. 25. Necessarium autem existimavi, Epaphroditum mittere ad vos, quoniam quidem omnes vos desiderabat Eccl. Deinde etiam apud Jurisconsultos Necessarium idem est ac utile, aut quod honestius est; sic Glos. in l. de pupillo §. si plurimum dominorum ff. de operis novi nuntiatione in verbo: necessaria; Et l. Amplius. §. Mili tñ. de liberali causa: in V. Necessarium. Id denique patet ex communi usu loquendi, ex quo passim necessarium esse dicimus id, quod revera nonnisi congruum est, & solum magis expediens.

70 Qu. III. An Psalmus De profundis qui quotidie recitari solet pro Defunctis ad pulsum campanæ post noctis initium: (de qua oratione egimus lib. 1. c. 6.) debeat recitari flexis genibus etiam in l. Vesperis Dominicæ? (Nota in secundis Vespereis, ita recitari debere, non est dubium; ut intelligitur ex dictis num. 65. §. Nota 3.) videtur enim Psalmus proprius Pœnitentium; & certe ab Ecclesia inter Psalms Pœnitentiales dictos annumeratur, & recitatur: at Pœnitentes, ut superius diximus num. 65. init. semper genuflexebant.

&c. Affirmative propter dictam utique rationem: confirmatur exemplo Litaniarum majorum, & minorum; licet enim oremus stantes in Dominicis, & tempore Paschali, ac prædictæ Litaniæ recitentur tempore Paschali, adhuc tamen extra Professionem recitari debent flexis genibus,

ex Joanne Beleth, Gavanto, & aliis, ut dicemus lib. 3. 25. Aprilis art. 9. Sect. 5. subl. 1. n. 17. Nimis quia merorem habent, & recitantes illas peccatorum potius statum representant, quam justorum; unde in iis dicunt: Peccatores te regamus.

Confirmatur item auctoritate Quarti de Benedict. tit. 2. Sect. 12. dub. 9. §. 2. ubi haec habet: Preses explicata pro defunctis, quando datur signum, de quo loquimur, recitari semper debent flexis genibus, etiam tempore Paschali; Et in Dominicis, quia tunc agitur memoria status peccarum, Et Iustus, in quo manent Anima Purgatorii, cui memoria congruit compassio, Et mæror; Et consequenter genuflexio; sicut e contra, gaudio congruit erectio: quamvis enim tempore Paschali, Et in Dominicis propter gaudium resurrectionis stantes orare debamus, excipi tamen debet oratio predicta pro Defunctis, ob rationem explicatam. Confirmatur; quia in Missis Defunctorum, que cantantur tempore Paschali; qui sunt in Choro, genuflexere debent ad orationes Eccl. ergo pariter in casu nostro. Hæc laudatus Auctor.

ARTICULUS VIII.

De Indulgentiis.

Dæ Indulgentia pro sex Dominicis 71 in honorem S. Aloysii Gonzæ. gæ dicetur 21. Junii an. 3.

Indulgentiam in Dominicis concessam habentibus Coronam &c. benedictam a Pontifice, notabimus in Appendice ad calcem Diarii cap. 12. §. 2.

ARTICULUS IX.

De Jejunio.

72 **S.** EPIPHANIUS in compendiaria ex-positione Fidei Catholicae tradit: Ecclesiam nullis omnino Dominicis, ne quidem ipsius Quadragesimæ jejunare solere; in quibus tamen, ut suo loco, ubi de tempore Quadragesimali, dicemus, servanda erit ad-huc abstinentia Quadragesimalis a cibis nimirum vetitis, & tantum solvitur, & intermittitur jejunium perfectum, seu unicum prandium. Hujusmodi vero consuetudinem non jejunandi in Dominica, semper in Ecclesia ab initio fuisse, & quidem ex Constitutione Apostolorum, testes sunt multi Veterum, & colligitur ex variis testimoniosis antiquissimis de hac consuetudine mentionem facientibus, ut patebit ex infra dicendis. Videri etiam potest Card. Bellarminus to. 3. Controv. gener. 3. principal. ult. lib. 2. c. 17. Et Cassal. in Flor. c. 63. Hinc Patres omnes, teste eodem Bellarmino l. cit. c. 23. communis consensu docent, in Dominicis non esse jejunandum; & C. Jejunium 14. dist. 3. de Consecr. firmatur Apostolica Constitutio de jejunio in Dominicis minime servando. Quod si in ea occurrat Vigilia cum jejunio, hoc sit in Sabbato praecedenti, ex Innoc. III. relato in C. Consilium de observat. Jejunior. & eodem tit. C. ex parte ibi: Sanctorum Vigiliæ quorum Festivitates oportet secunda feria celebrari, in praecedenti sunt Sabbato jejunanda. Et est animadvertisendum; non esse liberum in dicto casu anticipare jejunium, sed est obligatio anticipandi, seu illud in Sabbato

celebrandi. Vide dicenda I. 3. 23. Julii n. 8.

Causa vero, cur in Dominica non 73 jejunetur, duplex est: prima, quia in omni Dominica die recolimus memoriam Dominicæ Resurrectionis, quæ fuit in Dominica: & in omni Dominica imitamus gaudium Dominicæ Paschalis. Ob lætitiam igitur, & celebritatem tanti diei in Dominica numquam jejunare solemus: quam rationem, ut acceptam ex traditione Majorum reddit Isidorus de Eccl. Offic. lib. 1. cap. 33. fine ubi ait: *Die Dominico . . . Majores nostri nec Jejunium agendum, nec genua esse flectenda ob reverentiam Dominicæ Resurrectionis tradiderunt.* Profecto Jejunium lucui potius congruit, quam lætitiae, quæ convenit festivæ diei: unde illud Pœnitentium est, atque lugentium: adeoque per se non competit lætantibus, & magnæ exultationis signa demonstrantibus. D. Thomas 2. 2. qu. 147. art. 5. ad 3. verbis laudandis inferius n. 78. Bellarm. l. cit. c. 18. & 23. Albinus lib. de divin. Offic. in priori C. de Septuages. Duran. in Ration. lib. 6. c. 28. n. 15. Cassal. l. cit. Azor. Instit. Moral. par. 1. lib. 7. Raynaud. to. 15. Heter. Spirit. par. 1. Sect. 3. pu. 3. de elect. Sanct. n. 27. & alii passim. Secundum esusa, ex qua primis etiam temporibus in Ecclesia Catholica non erat Jejunium in Dominicis, fuit ad vitandum scandalum, quod tunc poterat adfuisse: ne scilicet viderentur Catholici favere erroribus Hæreticorum, qui in Dominica jejunabant: ut patet ex modo infra dicendis. Sed

Qu. I. An liceat in Dominica jejunare? 74

R. Affirmative: dummodo non fiat

fiat in contemptum moris Ecclesiastici , ex quo in Dominica jejunari non solet ; vel ex aliqua superstitione , aut errore veterum Hæreticorum . Est communis Doctorum , quorum multos expressio nomine infra laudabimus .

Non desunt tamen aliqui , teste Thoma Sanchez in Decal. lib. 2. c. 37. n. 11. qui distinguunt duplēm speciem jejunii , unam exultationis , alteram afflictionis . Jejunium exultationis dicunt illud , quod assumetur , ut mens promptior esset ad gaudium , & ut elevaretur in Deum ; (confer dicenda lib. 3. in Septemb. par. 1. n. 51.) Jejunium vero afflictionis , & iudicis dicunt illud , quod assumitur ad satisfaciendum pro peccatis præteritis , & ad futura cavenda : atque hac facta distinctione Jejunii ; putant , jejunium exultationis licere in Dominica ; secus vero Jejunium afflictionis . Verum communiter non assumitur Jejunium nisi ad corporis mortificationem , & ex motivo pœnitentiaz , ac mœoris . Deinde , ad concedendum , vel negandum Jejunium in Dominica , communiter non consideratur hujusmodi distinctione ; adeoque Jejunium sive exultationis sit , sive tantum afflictionis , licitum est , per se loquendo , in Dominica : dummodo nimirum minime fiat ex aliquo supra significato , ac reprobato fine perverso .

75 Objicies . In Canone 66. alias 65. Apostolorum prohibetur Jejunium Dominicæ his verbis : *Si quis Clericus inventus fuerit die Dominicæ jejunare , vel Sabbato , præterquam uno solo (majoris hebdomadæ) deponatur : sicut autem Laicus , segregetur . Ignatius quoque Epist. ad Philippiens.*

prope finem ait : *Si quis Dominicum diem , aut Sabbathum , una excepto (majoris hebdomadæ) jejunaverit , hic Christi interfector est .* Item Tertullianus lib. de corona Militis cap. 13. inquit : *Die Dominicæ Jejunium nefas ducimus .* Accedit S. Ambrosius enarrat. de ratione celebret. Pasch. epist. ad Episcopos Aemiliae to. 4. pag. 303. edit. Paris. an. 1661. dicens : quod in Dominicæ Jejunare non possumus . S. Epiphanius in Compend. Fidei exposit. inquit : *Dominicas vero delicas omnes dicit Sancta ipsa Ecclesia Catholica , & congressus mane peragit , non jejunat ; baut enim est conveniens in Dominicæ jejunare .* Item S. Augustinus epist. 86. inquit : *Die autem Dominicæ jejunare scandalum est magnum : & habet ibidem permulta ad Jejunium a die Dominicæ ablegandum Catholicis .* Item Gregorius II. in Capitulari ad Marianum , aliosque suos in Bajoarium Legatos c. 10. præscribit : *Ut Fideles doceantur , Dominicis diebus non licere omnino jejunare propter Resurrectionis Dominicæ Sacramentum , neque in Festivitatibus Dominicæ Nativitatis , aut Apparitionis , sive Ascensionis .* Similiter Telephorus Pontifex in sua Constitutione de Jejunio Quadragesimali incipiendo olim pro Clericis a Quinquagesima , ut suo loco notabimus : monet , ut subtrahantur Dominicæ ; *In quibus jejunium non licet observare .* Et in Pœnitentiali Gregorii III. c. 30. imponitur pœnitentia jejunanti in Dominicæ die . Item in Concilio Carthaginensi III. vulgo tamen IV. Can. 64. dicitur : *Qui Dominicæ die studiose jejunat , non credatur Catholicus .* Rursus Concilium Gangrense

re-

relatum C. si quis . 7. dist. 30. jejunium die Dominicæ vetat sub a-mathemate . Similia habent alii Pa-tres , veteresque Scriptores ; Unde factum est , quod eum horrorem conceperint ad jejunandum in Do-minica plerique Viri Sancti , ut ne quidem in Sabbato jejunare voluerint : quia nimisrum , ut ait S. Leo epist. 81. c. 1. *Resurrectionis initium a Vespere Sabbati ducitur* : Ita testa-tur Raynaudus loc. supra cit. n. 31. Ergo in Dominica jejunare non li-cet .

76 R. I. Retorquo argumentum . In eodem Can. 66. alias 65. Apostolorum , qui objicitur , prohibetur , ut patet , jejunium Sabbati : & quidem sub iisdem pœnis , quibus in Domini-na . Similiter S. Ignatius , qui in objectione allegatur , si dixit , jeju-nantes in Dominica esse Christici-das : vocavit etiam Christicidas jeju-nantes in Sabbato ; & alia similia adduci possent testimonia , quæ da-mnant , prohibent , & declarant il-licitum jejunium Sabbati . Ergo nec jejunare licet in Sabbato . Quod est fallum , & contra praxim Ecclesiæ Latinæ ; ita ut non solum jejunium servet in Sabbato , occurrente Vi-gilia in ipso , aut Feria Quatuor Temporum : sed etiam volens trans-ferre Jejunium forte incidens in Do-minicam , statuta lege , illud reponit in Sabbato , ut superius diximus ex Decreto Innoc. III.

77 R. II. in forma . Omitto an Ca-nones sub Apostolorum nomine ven-ditati , sint vere Apostolici : Quod eruditiores Critici negant ; Vid. Ser-ry præl. 13. de Sacr. Benedict. XIV. de Synod. Dioces. l. 11. c. 5. n. 1. Qui tamen in quadam sua epistola Encycl. de pœnis celebr. Mis. vel

excip. Conf. ad Presbyteratus ord. non promoti : quæ est inter ejus Constit. Select. n. 97. incip. *Quam grave* . §. 11. scribit : Certum esse prædictos Canones magnum auctori-tatis pondus habere , cum saltem sæculo Ecclesiæ tertio decurrente collecti fuerint ex plurib[us] Conciliis ante Nicænam Synodum celebratis ; subditque : nunc temporis de hac re inter sacratum Antiquitatum Inve-stigatores convenire , videri . In for-ma itaque ad argumentum respon-dio : relata , & quæcumque alia il-lis similia testimonia intelligenda es-se ita , ut velint , prohibitum in Dominica jejunare , si fiat ex su-perstitione , vel ex errore , vel ex con-temptu Ecclesiæ , vel cum scandalo aliorum : quod illis temporibus eerte contingebat , quibus hujusmodi Canones provida aptavit Ecclesia .

Fuit quidem olim in Dominica jejunare graviter prohibitum , sicut & in die Sabbati , non autem ab-solute , & simpliciter , sed in odium Hæreticorum , qui his potissimum diebus ad confirmandos suos ipso-rum errores , & in contemptum Ec-clesiæ Catholicæ jejunabant : ut lo-quentes de Sabbato ostendamus art. 7. n. 55. Quod autem attinet ad Dominicam , hac die jejunabant or-di-narie Manichæi , ne viderentur do Christi Resurrectione gaudere , quam falsam fuisse , sibi persuaserant , ut ex Ambrosio in epist. 83. , & ex Augustino in epist. 86. cognosci po-test . Item Eustathius , & Aerius , atque eorum Discipuli diem Domini-nicum ad jejunium potissimum de-putabant ; & contra , iidem Aerian-i hebdomadam sanctam conviviis , & potationibus celebrabant ; ut E-piph. hær. 75. & Socrates lib. 2. hy-

Histor. c. 33. testes sunt . Denique Priscillianisti die Dominicis , & in Natali Domini jejunare solebant : quemadmodum tradit S. Leo I. epist. 93. ad Turibium Episc. c. 4.

78 Quod autem non absolute , & simpliciter , sed solum in odium horum Hæreticorum , & ad vitandum scandalum , ne faveri videretur ipsorum erroribus , maxime prohibitum fuerit jejunium in Dominica , satis clare innunt Patres , & ipsa iura , atque Concilia , nec non exempla Sanctorum . Et primo , ex Patribus D. Ambrosius allegata epistola ad Episcopos Emiliae dicit quidem , in Dominica non posse servari jejunium : sed ibidem simul assignat causam , cur non possit , dicens : *Quia Manichæos etiam ob ipsis diei jejunia jure damnamus . Hoc est enim in Resurrectionem Christi non credere . Ita Ambrosius . Similiter Augustinus ex eadem maxime causa ait , scandalum esse jejunare in Dominica : etenim post superius allegata ipsius verba subdit : Maxime postquam innostuit destabilis , multumque fidei Catholice , scripturisque divinis apertissime contraria hæresis Manichæorum , qui suis Auditoribus ad jejunandum , istum tamquam constituerunt legitimum diem : per quod factum est , ut jejunium diei Dominicæ horribilius haberetur . Et licet Augustinus forte videatur docere : præcisa etiam Manichæorum hæresi , adhuc in Dominica jejunare , scandalum esse : revera tamen non id assertit , ac sentit , sed tantum supponit fieri ex aliqua superstitione , & contemptu Ecclesiae Catholice , quæ ob memoriam Resurrectionis Dominicæ in Dominica jejunium dumquam exigit ; enim vero ut re-*

de observant Bellatminus loco cito eo C. 23. Raynaud. loco item citato n. 31. & Thomas Sanchez in Decal. lib. 2. c. 37. n. 12. Augustinus in illa eadem , quæ objecta est epistola 86. ad Castilianum , postquam dixit : scandalum esse magnum jejunare die Dominica : subfunxit rationem , ex qua tamen id jejunium non est illicitum ; docens nimis , semper licuisse in Dominica jejunare , si cum recta intentione , & sine scandalo factum fuisset . Et quidem ibi Augustinus post laudata verba subdit : *Nisi forte aliquis idonus sit , nulla refractione interposta , ultra hebdomadam perpetuare jejunium , ut jejunio quadraginta dierum , quantum potuerit , appropinquet , sicut aliquos fecisse cognovimus : nam & ad ipsum quadragenarium numerum pervenisse quendam , & Fratribus fide dignissimis nobis asseveratum est . Quemadmodum enim veterum Patrum temporibus , Moses , & Helias nibil contra prandium Sababorum fecerunt , cum diebus quadraginta jejunaverunt : ita qui potuerit septem dies jejunando transire ; non fabi ad jejunandum eligit Dominicum diem , sed in iis eum invenit , quos jejunaturum vorit plurimos dies . Jejunium tamen etiam continuatum , si in hebdomada solvendum est , nullo congruentius , quam Dominicæ die solvit . Si autem post hebdomadæ corpus reficitur , non utique ad jejunandum dies Dominicus eligitur , sed in numero , quem voreri placuit , invenitur .) Hæc Divus Augustinus : quibus verbis manifeste significat , non esse per se vetitum , ac malum in Dominica jejunare , sed solum , si hæc dies singulariter eligatur ad jejunandum , studio quodam fin-*

singularitatis , & maxime quando scandalum aliquod parere possit ob suspicionem alicujus erroris : ut quidem facile erat S. Augustini temporibus . Idem significat Hieronymus epist. 28. ad Lucinium prope finem , & refertur C. Utinam . 11. dist. 76. ait etenim : *Utinam omni tempore jejunare possimus : quod in actibus Apostolorum , diebus Pentecostes , & die Dominico , Apostolum Paulum , & cum eo Credentes fecisse legimus . Nec tamen Manichæe hereeos accusandi sunt , cum carnalis cibis præferri non debuerit spirituali . Hæc Hieronymus . Idipsum docere Epiphanius testatur Bellarminus loco citato .*

Jam secundo , ex jure ipso , & Conciliis illud etiam colligitur . Concilium Carthagin. III. vulgo autem IV. dicit quidem : studiose jejunantem in Dominica non esse catholicum judicandum ; sed quis non videt , Concilium , hoc modo loquendi , nequaquam simpliciter prohibere jejunium in Dominica , sed solum , si ex superstitione fiat , & ex errore hæretorum ? Hoc quidem sibi volunt illa verba studiose , & non creditur catholicus . Item Concilium Gangrense prohibuit utique , ut dicitur in objectione , jejunium in Dominica , & quidem sub anathemate , sed in contemptum diei Dominicæ , vel ex aliqua superstitione celebratum , sic enim ait : *Si quis tamquam hoc continentie convenire iudicans , die Dominico jejunaverit , aut in ejusdem diei contemptum , anathema sit .* Vetus igitur jejunium in Dominica servatum prætextu pietatis monasticæ , ut ait Raynaudus loco cit . seu ut Turrianus apud ipsum Raynaudum interpretatur , præ-

textu simulatae exercitationis , cum re vera idcirco nonnulli tunc jejunarent , ut Resurrectioni , quæ in Dominica colitur , contumeliam facerent .

Deinde ex jure in C. Ne quis 15. dist. 3. de Consecr. ex Concilio Cæsaraugust. præscribitur : *Ne quis jejunet die Dominica causa timoris , aut persuasionis , aut superstitionis .* Ex quibus verbis satis patet , carveri quidem , ne quis jejunet Dominica die : verum non absolute , & simpliciter ; sed solum cum scandalo , & ex errore , aut fraude Hæretorum seductus , aut timore perculsus mali alicujus , quod sibi Hæretici intentare minentur in odium Ecclesiæ Catholicæ , nisi suum illorum morem sequatur , jejunandi nimirum in Dominica ; ut notat Azorius Inst. Moral. par. 1. l. 7. c. 16. qu. 9. Rursus in superius laudato C. jejunium , ubi prohibetur jejunium in Dominica , expresse asseritur : id prohiberi , ad vitandum scandalum ; propter errorem nimirum Gentilium , & Hæretorum , puta Manichæorum : *Ut inter jejunium Christianorum , & Gentilium ; veraciter credentium , & infidelium , atque Hæretorum vera & non falsa discretio habeatur .* Quod expressius habetur C. Si quis Presbyter 17. dist. 30. unde Azorius lib. 11. cap. 20. qu. 4. absolute testatur , Canones , & Jura nequaquam imperare , ne quis in Dominica jejunio corpus affligat .

Idem denique tertio , colligitur ex Veterum Eremitarum , aliorumque Sanctorum exemplis , quorum plurimi , ut ex vitis Patrum constat , etiam in Dominicis jejunabant : nec ideo maledicti sunt a Deo , nec ab

ab hominibus Christicidæ appellati ; ut notavit Lessius de Instit. lib. 4. c. 2. dubit. 9. num. 68. Ergo sciebant , non esse simpliciter prohibitum in Dominica jejunare , sed solum si cum scandalo fieret , vel aliquo perverso jam explicato fine . Ergo & olim licuit , & multo magis nunc , metu jam illius scandali penitus ablegato , & erroribus illis veterum Hæreticorum extintis , licet etiam in Dominica jejunare , dummodo non fiat ex errore , ut Manichei , & Priscillianistæ : vel ex contemptu Ecclesiæ , ut Eustathiani , & Aeriani , vel cum scandalo aliorum , ut si quis unum diem jejunaturus , eligat Dominicam . Si quis vero vel ad tentationem carnis superandam , vel quia vovit jejunium totius integri anni , aut totius integri mensis ; non peccabit , si etiam in Dominica jejunaverit ; ita Bellarm. loc. cit. cap. 23. Azo-rius lib. 7. c. 16. qu. 9. Tambur. in Decal. lib. 2. c. 6. §. 1. nu. 5. & lib. 3. c. 15. §. 6. n. 11. & in 4. præc. eccl. c. 9. num. 14. fine . Tancredi to. 4. tr. 3. de Vot. qu. 29. Thom. Sanch. in Decalogum lib. 2. c. 37. num. 12. Sa V. jeju-nium , nu. 7. La-Croix lib. 3. par. 1. qu. 5. §. 3. Raynaud. tom. 15. par. 1. se&t. 3. pu. 3. de ele&t. Sau-dor. nu. 31. qui etiam laudat pro hac doctrina Hugonem , Medinam , Navarrum , Ledesmam , Palatium , Angles , Valentiam , Reginaldum , Filiucium , Laymanum , Bonaci-nam , Serrarium , & Fagundez . Nec est contrarius D. Thomas 2. 2. qu. 147. art. 5. ad 3. ubi Sanctus Doctor inquit : *Jejunia ergo , quæ præcepto Ecclesiæ instituuntur , sunt magis jejunia afflictionis , quæ non con-*

TOM. I.

veniunt in diebus latitiae . Propter quod non est jejunium ab Ecclesia institutum in toto paschali tempore , nec etiam in diebus Dominicis , in quibus si quis jejunaret contra consuetudinem populi Christiani , quæ ut Augustinus dicit , est pro lege habenda : vel etiam ex aliquo errore (sicut Manichei jejunant , quasi necessarium tale jejunium arbitrantur) non esset a peccato immunis : quamvis ipsum jejunium secundum se consideratum omni temporis sit laudabile Òc.) Quibus verbis Angelicus Doctor indicat , non esse absolute , & simpliciter prohibitum jejunium in Dominica : & consequenter non peccari , nisi fiat ex aliqua superstitione , & contemptu consuetudinis ecclesiastice , vel ex aliquo errore ; ut notat Sanchez loc. cit.

Tandem confirmatur ex prohibi-tione , quæ olim erat , jejunandi in Sabbato : ut supra significavimus : ne scilicet Catholici viderentur fa vere quibusdam erroribus nonnullorum Hæreticorum : ut explicabitur in Sabbato art. 7. num. 55. Nunc temporis autem cum illæ hæreses non amplius vigeant , nec earum vel radix videatur existere , cessavit ratio , ex qua abhorrendum videbatur a jejunio in Sabbato , & consequenter abjectus est horror , ac depositus timor jejunandi in Sabbato : Ergo similiter discurrendum est de jejunio Dominicæ , sublatis jam illis erroribus , ex quibus olim fuerat prohibitum , utopte scandali periculo expositum .

Verum quidem est , quod , cum dies Dominicæ ferat secum aliam etiam causam , ex qua in ipsa adhuc non congruit jejunare : ni-mirum , ob memoriam , & lœti-

I i tiam

niam Resurrectionis : ideoque superius allegatus Epiphanius ait : haud esse conveniens in Dominica jejunare : hinc non est facile , ut modo infra monebimus , nec sine causa in ea suscipiendum jejunium ; sed sequendus est mos , & ecclesiastica consuetudo , quæ sublatis etiam veteribus illis hæreticorum erroribus , adhuc tamen nunquam in Dominica jejunare præscribit , immo in ea incidens jejunium transfert in Sabbatum præcedens , nimirum obsequium Resurrectionis Dominicae .

79. Sed instas contra rationem defumptam ab exemplo veterum Patrum Eremi . Testatur Petrus Damiani opusc. 14. quosdam in Monasterio fontis Avellani solitos suisse abstinere coctionibus , Dominicis diebus utriusque Quadragesimæ , quam ex instituto suo peragebant ; unam videlicet ante Pascha Fidelibus communem , alteram propriam ante Natale Domini : jamvero assertit idem Sanctus Damiani , se ob reverentiam sacræ diei , eam abstinentiam diebus Dominicis servari prohibisse . Ergo Monachi rigidissimi ceteroqui , & abstinentissimi non jejunabant in Dominicis : si enim jejunassent , Sanctus Damiani , qui illis ob dictam rationem prohibuit abstinentiam a cibis cotidis ; multo magis utique prohibuisset jejunium . Verum & ipse Sanctus Damiani differte paulo ante dixerat : in utraque Quadragesima , qua Monachi prædicti jejunium perfectum observabant , panem dumtaxat cum sale , & aqua percipientes : (alioqui omnium non suisset habitum jejunium perfectum) exclusum semper a jejunii observatione suisse diem Do-

minicum , ex antiquo videlicet non jejunandi ea die . Rursus in Regula S. Macharii excluditur jejunium a Dominica ; nec non in Regula Teridii , sive Tetradii C. 22. Item S. Isidorus lib. de eccl. Officii concedat jejunari posse paschali tempore , idque confirmat exemplo S. Pauli primi Eremitæ , & S. Antonii Abbatis , nec non aliorum veterum Eremitarum , qui prædicto etiam tempore jejunare non omittebant : animadverit tamen , semper excludendas esse Dominicas , atque eas quidem prædictos etiam Patres exclusisse testatur : *Die autem Dominico (ait) semper esse reficiendum ut Resurrectionem Christi , & gaudium nostrum Gentibus prædicemus , præser-tim cum Apostolica Sedes hanc regiam servet . Post Pascha autem usque ad Pentecosten licet traditio Ecclesiæ abstinencia rigorem prandii relaxaverit , tamen sequi Monachorum , vel Clericorum jejunare cupiunt , non sunt prohibendi : quia Antonius , & Paulus , & cæteri Patres antiquæ etiam his diebus in Eremo leguntur abstinuisse , neque soluisse abstinentiam nisi tantum die Dominicæ . Hæc Isidorus , & ex eo in C. Post Pascha 10. dist. 76. Ergo falsum est , antiquos Patres , veteresque Eremitas etiam in Dominicæ jejunasse .*

B. Quod cum ex una parte non sit res dubia , sed satis certa , & consensus ex vitiis Patrum , aliquantum Sanctorum , multos eorum , quæ frequentabant jejunia , nec in ipsis soluisse Dominicis : (Sic enim ut de aliis raceam , de S. Hilariione simili pliciter testatur Hieronymus in ejus vita : sic testatur Augustinus episc. 86. ad Casulanum , plerosque veteram

rum Patrum susceppta jejunia non intermissee etiam in Dominicis. Et ex alia parte, iidem Hieronymus, & Augustinus, ut l. cit. notavimus, testentur semper licitum fuisse jejuniū in Dominica, non ex errore; aut superstitione susceptum: ideo ex objectis, & quibuscumque similibus testimoniis erui tantummodo debet, jejuniū in Dominica fuisse prohibitum temporibus, & Regionibus illis, ubi, & quando maxime vigebant adhuc supradicti errores hæreticorum, & erat timor scandali, ut dictum est de jejunio Sabbati; vel si vis, etiam dico, antiquos Patres non facile in Dominica sua ipsorum jejunia frequentasse: Eosque potissimum, qui Monachis regulam præscribabant, haud debuisse jejuniū in Dominica imperare; ne viderentur, adversus prævidam Ecclesiæ regulam, regulam præscribere; quin etiam idcirco monere debebant subditos suos, ne facile jejuniū in Dominica servandum sibi metipli assumerent.

Jam vero primum non opponitur sed est conforme doctrinis hactenus traditis; secundum concedimus cum Azorio l. cit. ubi postquam docuit, dubitari non posse, quin etiam in Dominica tuto jejuniū colatur, & objiciens sibi inter alia ex iure allegatum Isidori testimonium relatum in C. Post Pascha, respondet: *In die Dominica nequaquam esse jejuniū observandum, nisi magna, & gravi ex causa, & absque ulla aliorum offensione.* Ita Azorius.

Hinc etiam nostra hac ætate quamvis urgere non videatur suspicio aut hæresecos, aut superstitionis, ad prohibendum jejuniū in Dominica; sed fieri posset ex aliquo pio fine: hoc

tamen ipsum haud facile permittendum: Neque enim frustra, sed consueto Ecclesia non consuevit jejunare in Dominica, immo & in ea occurrens jejuniū transfert in Sabbathum, ut scilicet notavimus, propter commemorationem, & lætitiam Resurrectionis Domini. Quapropter si quis fecus faceret, facile scandalum aliis ingenerari posset privati Spiritus, & in sua nimium opinione abundantis; in quo sensu intelligendus est S. Thomas, ubi superius dixit, quod si quis jejunaret diebus Dominicis contra consuetudinem populi Christiani, non esset a peccato immunis: Adeoque convenit Ecclesiastico mori se Catholicum accommodare, & non facile ab illo discedere, maxime qui in communitate vivit, & una cum aliis comedere debet, qui suum jejuniū deprehendere possint, & de quādam singularitate notare, atque a deo illos possit offendere.

Hoc etiam post Sanchez, & Valentiam monuit Raynaud. cuius, verba placet adducere, que confirmant hactenus dicta. Raynaudus itaque l. cit. postquam nonnulla adduxisset testimonia in condemnationem jejunii in Dominica ex antiquo usu apud plerosque olim contradicente; hæc n. 31. habet: *Non profero bunc antiquum usum, quasi etiam nunc vim legis habeat. Lex enim, quæ primis illis temporibus ad excludendos quosdam errores necessaria fuit (v. g. Manicborum die Dominicæ jejunantium ex Aug. Epist. 86.) sublatis illis erroribus evaguit, unde secluso scandalo, & ex bono fine, sive domande carnis, sive specialis devotionis, fas esse, servare jejuniū die Dominica, tradunt D. Augustinus Epist. illa 86. & D. Hieronymus Epist. 28. qui S. Hilarionem,*

I i 2 etiam.

etiam in Festis, atque adeo etiam Dominicis diebus jejuniū non soluisse, scribit in ejus vita. Sic S. Maria Ogniacensis, &c. tamen sequenti n. 32. subdit: Quamvis autem hæc ita se habeant, tamen quod Sanctez, & Valentia bene monuerunt, negari non potest, quia ad superstitionem, & indebitum cultum superfluum spectat, vel le studio singularitatis jejunare die Dominica, & consuetudinem Ecclesiasticam ea in parte convellere absque convenienti necessitate. Tandem ibidem cum reprehenderit eos, qui se obstringunt ad jejunium servandum, etiam die Dominico, in fine concludit: Longe igitur consultius facient ii, cum quibus agimus, si ad jejunandum die Dominica non se astringant, usumque Ecclesiæ ea die non jejunandi, teneant, præsertim cum facile sit, scandalum aliis ingenerari, & singularitatis studium irreperere in tali dies Dominicæ jejunio: quibus in eventibus negavimus jejunium Dominicæ vacare culpa. Imitantandū potius exemplum S. Juditæ, quæ cum omnibus diebus viduitatis sue jejunia præstaret, sois Sabbatis, ac diebus Festis domus Israel non jejunabat; non refectioni indulgens, sed Religioni deferens; ait S. Ambrosius l. de Viduit. Hæc Rayn.

Confirmatur adhuc auctoritate Hieronymi, qui ad Lucinium cum dixisset: Utinam omni tempore jejunare possimus; quod in aliis Apostolorum diebus Pentecostes, & die Dominico, Apostolum Paulum, & cum eo Credentes fecisse legimus, nec tamen Manichæa bærescos accusandi sunt, cum carnalis cibis præferrri non debuerit spirituali: post pauca subdit: Nec hoc dico, quod Dominicis diebus jejunandum possem, & contextas quinquaginta diebus ferias auferam, sed una-

queque Provincia abundet in sensu suo, & præcepta Majorum leges Apostolicas arbitretur. Ita Hieronymus, & habetur ex eo in C. Utinam 11. dist. 76. quibus verbis Hieronymus duo dicit: & quod in Dominica per se licitum sit jejunare: & quod in ea nihilominus non facile jejunium sit assumendum. Et hæc sufficient pro completa responsione ad quæstionem, quæ proposita fuerat, scilicet utrum in Dominica jejunare liceret?

Qu. II. Si quis studio quodam 81 singularitatis die Dominica jejunaret, aut jejunaret die Dominica sola, & non aliis diebus; vel jejunaret ordinarie diebus Dominicis; esset, juxta haec tenus dicta, peccatum superstitionis; At esset ne leve, an grave?

R. Leve, & veniale tantum esset, cessante scando, & alio malo mortaliter fine, docet Thom. Sanchez in Decal. lib. 2. c. 37. a n. 13. quem sequitur Tancredi to. 4. tr. 3. de vot. qu. 29. prope init. & Tambar. in Decal. lib. 2. c. 6. §. 1. n. 5: Quod probat Sanchez ex doctrina, quam tradiderat n. 10. ubi multis Doctoribus citatis docuerat: Superstitutionem indebiti modi cultus divini, si cultus sit indebitus, quia est tantum superflus, nec adsit contemptus Ecclesiasticæ disciplinæ, nec sit contra præceptum aliquod graviter obligans; fore veniale peccatum: tum quia non est ibi perfecta superstitionis ratio; tum etiam quia bonus animus, ex quo ejusmodi superfluitas proficit, ejus deformitatem minuit. Hujusmodi autem esset jejunium in Dominica dicto modo, & fine servatum.

Qu. III. An sit validum votum 82 jejunandi ordinarie diebus Dominicis?

R. Est

R. Est invalidum, & irritum : quia est votum de re illicita aut certe non de meliori (qualem esse convenit voti materiam) ut patet ex dictis. Quare si quis id vovisset, ad nihil tenetur, nec etiam tale jejenum in alterum diem transferre. Ita Sanchez 1. cit. n. 16. & Suarez to. 2. de Relig. tr. 6. de vot. lib. 3. c. 6. n. 21. fine, ubi quidem docet, quod si quis voveret jejunare in die Dominico, certe non obligaretur voto, ad petendum a Pontifice facultatem servandi tale votum : quia, inquit, est de re simpliciter prohibita intuitu Religionis, & melius est conformari consuetudini, quam dispensatione uti ; ita Suar. qui proculdubio loquitur de voto jejunandi in omni die Dominica, aut ordinarie die Dominica : nam, ut recte monet Sanchez, votum jejunandi aliquibus diebus Dominicis ob aliquem finem bonum, secluso scandalo, ac vano singularitatis studio, esset licitum juxta superius dicta qu. 1. adeoque validum, & obligaret. Consentit quoad hæc La-Croix lib. 3. part. 1. de voto qu. 113. §. 10.

83 Qu. IV. Si quis voveret jejunare quotannis in vigilia, seu die præcedente Festivitatem alicujus Sancti : si illa dies jejunio destinata ex prædicta devotione privata, incidat in Dominicam, potest ne anticipare jejunium in Sabbato ?

R. Affirmat Tamburinus in Decalog. lib. 3. c. 15. §. 6. n. 11. immo præstare, inquit, jejunium in dicto casu anticipare in Sabbato : quia hæc translatio de more cæteroqui ordinatio Ecclesiæ est. Ob rationem eamdem affirmat idipsum Thomas Sanchez in Decal. lib. 2. c. 37. n. 19.

Bonac. in Decal. disp. 4. qu. 2. qu. 6. n. 25. & 26. Raynaud. 1. sup. cit. n. 32. Castropal. par. 2. de es- sent. & obligat. vot. tr. 15. disp. 1. qu. 12. n. 11. Azorius Instit. moral. par. 1. lib. 11. c. 20. qu. 4. Tan credi to. 4. tr. 3. de vot. qu. 29. prope finem, Diana to. 4. edit. coord. tr. 6. R. 55. §. 3. Quod intellige seclusa intentione expressa contraria; votum enim obligat juxta intentionem voventis, ut omnes do cent. Per se loquendo igitur potest transferre jejunium in Sabbathum præcedens, qui vovit jejunium, quotannis in Vigilia alicujus Sancti, si hæc dies aliquando occurrat in Dominica ; quia nimirum se conformaret consuetudini Ecclesiæ, quæ occurrente Vigilia cum jejunio in Dominica, jejunium semper anticipat in Sabbatho.

Ob eamdem rationem idem dic de simili casu, quo quis jejunare vovisset tali die cuiuslibet anni, aut mensis, v.g. die 25. in memoriam, & honorem Domini Jesu Infantis. Hic occurrente prædicta, aut simili die in Dominica, posset jejunium anticipare in Sabbatho, ut nimirum se accommodaret prædictæ Ecclesiæ legi. Unde etiam in hoc casu similis translatio jejunii præstantior est, atque convenientior : ita Thomas Sanchez n. 18. ubi in posito casu jejunium posse propria etiam auctoritate transferri, probat ex eo, quia in omnium intentio qui libet potest votum suum in manifeste melius commutare propria auctoritate. At manifeste melius est, inquit, se conformare universalis Ecclesiæ consuetudini, jejunium in Dominicam incidentis transferentis in Sabbathum præcedens. Quod etiam do cent

q̄at Azoriūs, Bonacina, Diana, Raynaudus, Tancredi, La-Croix l. L. citatis, & Tamburinus l. infr. cit.
 84 Neque est distinguendum inter jejunium exultationis, & afflictionis, ut voluerunt nonnulli apud Sanchez n. 17. concedentes, jejunium afflictionis posse, immo debere anticipari in Sabbatho; eo quod putaverint illud in Dominica non licere: secus jejunium exultationis; volentes hoc debere omnino servari in ipsa Dominica, in qua occurrat, eo quod hoc solum licere putaverint in Dominica: non est, inquam, admittenda hujusmodi distinctione, quam etiam supra num. 74. rejecimus: ubi absolute docuimus cum communi Doctorum, jejunium sive exultationis, sive tantum afflictionis licere, per se loquendo, etiam in Dominica. Quod autem in Dominica non fiat, est ex quodam convenientiori Ecclesiæ ritu, non vero ex intrinseca talis Jejunii inhonestate. Cum vero absolute licet, immo etiam laudabilius sit, convenientem Ecclesiæ ritum sequi; inde est, quod sine ulla distinctione jejunium ex voto sive afflictionis sit, sive solum exultationis in Dominica occurrentis, transferri in Sabbathum præcedens possit, immo & expedit.

Et quamvis Tamburinus in 4. præc. eccl. c. 9. n. 13. putet, esse potius transferendum in proxime sequentem Feriam secundam, quam in immediate præcedens Sabbathum: eo quod, inquit, si in antecedentem diem Sabbati commutes, minus te mortificas: in die enim Sabbathi, jam ex præcepto Ecclesiæ debes a carnis abstinere. Respondeatur tamen: quod satis videatur excusare usus Ecclesiæ, & ratio sese:

illi conformandi: ex quo Ecclesia jejunium in Dominicam incidentem transfert semper non in Feriam secundam, sed in Sabbathum, quamvis aliunde in Sabbatho sit a carnis abstinendum. Et haec quidem est doctrina ipsiusmet Tamburini, quam tradiderat expositione in Decalog. loc. supra cit. ut jam diximus n. præcedenti. Intellige semper nisi quis expresse obligaverit se ad jejunandum omnino tali determinatio die, etiamsi in Dominica occurrerit servandum: ut modo supra monuimus.

Existimat autem Tancredi l. cit. 85 securum, atque probabile, posse in dicto casu, etiam plane omitti jejunium; quia, inquit, votens volunt jejunare die e. g. S. Stephani; at eo incidente in Dominicam, Sabbathum præcedens non est dies S. Stephani; ergo non in Sabbatho præcedenti, sed in ipsa Dominica jejunare deberet. Non est autem censendus voluisse obligare se ad jejunium in ipsa Dominica contra consuetudinem Ecclesiæ. Ergo non tenetur alia die jejunare. Ita fere argumentatur Tancredi pro sua ipsius opinione præfata.

Sed contra est. Ex ratione enim adducta potius sequitur, atque deducitur obligatio in votante prædicto ad jejunium non plane omittendum, sed saltem transferendum. Probatur. Qui votit jejunium, non est censendus voluisse obligare se ad jejunium in Dominica contra consuetudinem, videlicet ordinariam, Ecclesiæ, inquit Tancredi, & quidem recte. Atqui sicut contra consuetudinem ordinariam Ecclesiæ est, jejunare in Dominica; ita similiter contra consuetudinem ordinariam est juf.

jusdem Ecclesiae est , jejunium in Dominica occurrente plane omittere ; consuevit enim transferre in diem alium , nempe in Sabbathum præcedens . Ergo prædictus vovens si non tenetur in posito casu jejunare in Dominica , quia non est censendus ; voluisse obligare se ad jejunandum in Dominica contra consuetudinem ordinariam Ecclesiae , quæ in Dominica non jejunat ; tenetur jejunium suum occurrente in Dominica transferre in aliud diem , nempe in Sabbathum præcedens ; quia similiter est censendus voluisse se obligare ad jejunium juxta consuetudinem ejusdem Ecclesiae .

Quod autem dies ita translata , non sit eadem , e. g. talis Sancti , in qua voverat jejunium : nihil refert , cum de materiali se habeat , quod tali die incidat , seu occurrat talis Sanctus . Porro supponitur , talis dies , in quo occurrit Natale , seu Festum talis Sancti , non fuisse electus per se , & ex hoc ipso , quod esset Natale , seu Festum talis Sancti ; nam id saperet superstitionem , & certe forer contra consuetudinem Ecclesiae , quæ non jejunat in honorem Sanctorum in die Natali , seu Festivo illorum , sed jejunium celebrat in eorumdem Vigiliis . Profecto diem Natalem , seu Festivum decet lætitia , & exultatio ; at jejunium cum communiter assumatur ad corporis mortificationem , & ex motivo pœnitentiae , & mœroris , quemadmodum supra notavimus qu. num. 74. potius luctui congruit , quam lætitiae . Ad hanc rem videantur dicenda lib. 3. 13. Decembr. num. 6.

86 Sed dices : Si cras fit jejunium ex præcepto ; qui prævidet , se excusan-

dum ab illo , non tenetur hodie anticipare . Ergo a pari , qui prævidet , se excusandum ob consuetudinem Ecclesiae a jejunio ex voto occurrente in Dominica , non tenetur anticipare in Sabbatho , sed potest illud omnino omittere .

R. Omissio antecedenti propter dicenda lib. 3. 23. Julii , art. 3. nego consequentiam . Consuetudo enim Ecclesiae non excusat absolute a jejunio occurrente in Dominica . Profecto Ecclesia quo ad jejunium respectu Dominicæ , duo consuevit : Primum ; nunquam præscribere jejunium perfectum in Dominicæ . Secundum : si forte in ea occurrat aliqua Vigilia cum jejunio , hoc consuevit transferre in Sabbathum præcedens , non autem omnino illud omittere . Ex qua duplice Ecclesiae consuetudine fit , quod occurrente jejunio ex voto in Dominicæ , possit quis minime jejunare in illa Dominicæ propter priorem consuetudinem ordinariam Ecclesiae , quæ in Dominicæ non jejunat ; cui tamen consuetudini si voluerit se accommodare , tenetur anticipare jejunium in Sabbatho propter posteriorem aliam consuetudinem ejusdem Ecclesiae , quæ occurrente jejunio in Dominicæ , non omittit omnino , sed illud transfert .

Sed quid ? Si præcedens Sabbathum alio necessario jejunio fuerit ligatum , ad quod teneatur etiam idem vovens ?

R. In hoc casu laudati Auctores , præter Azorium , dicunt : voventem prædictum non posse suum jejunium anticipare in hujusmodi Sabbatho : licet possit illud transferre a Dominicæ in immediate sequentem feriam secundam , vel in propinquiorem con-

se-

sequentem diem alio necessario jejuno solutum. Rationem dat Sanchez loc. supr. cit. fine, quia, inquit, non est æque acceptum Deo jejenum illud aliunde obligans; & votum intelligitur de actu alias non obligante, nisi aliud exprimatur; ita Sanchez.

88 Sed videtur obstare, quod, qui jejuniū ex voto incidens in Dominicam, transferret in Sabbathum præcedens, alio etiam jejuniū ex præcepto ligatum, faceret nihilominus iuxta consuetudinem Ecclesiæ, atque adeo foret æque, immo magis acceptum Deo; recole dicta superius n. 83. ex ipsomet Sanchez. Profetatio Ecclesia jejuniū incidens in Dominicam, transferit in Sabbathum præcedens, quamvis alio aliquo jejuniū ex præcepto ejusdem Ecclesiæ sit occupatum, puta jejuniū quatuor Temporum. Jamvero si jejuniū ex voto occurrentis in Dominicā transferri potest in Sabbathum, alio jejunio ex præcepto non occupatum; idque est æque, immo magis acceptum Deo, ut ipsemet Sanchez affirmat; quia conforme est Ecclesiasticæ consuetudini: cur id ipsum non poterit esse æque acceptum Deo; etiamsi Sabbathum prædictum alio sit jejuniū ex præcepto occupatum: dum etiam id ipsum eadem consuevit Ecclesia?

89 Nec valet ratio illa posterior; quod Votum intelligatur de actu alias non obligante: tum quia absolute loquendo est falsa, cum posset quis laudabiliter adstringere se voto ad id, quod aliunde præstare tenetur. Sic honestum esset votum de non patrando ullo peccato mortali.

Quod si rationem illam ad presentem casum contrahit Sanchez;

quatenus qui tale Jejunium vorvit, intendit se obligare ad aliquid, de quo nullam habebat obligationem; Respondemus, quod adhuc in isto casu Intentio intentione compensatur. Nam etiam qui Jejunium vorvet, Jejunium intendit Ecclesiæ more peradūtum, ut sæpe diximus. Quod si Ecclesia inculpabilis morum magistra ita se gerit, ut duorum Jejuniorum distincta præcepta unico die Sabbati adimpleat, si ex accidenti alterum ex ipsis in Dominicam incidat; (atque id sæpe accidit in Vigiliis S. Matthæi, S. Thomæ Apostoli, & Nativitatis Domini), Cur supra Ecclesiam sapere velit Ecclesiæ subditus, statuendo, distinctam Voti sui obligationem uno eodemque jejuniū Sabbathi non satis impleri?

Puto ergo, talem tuto posse Jejunium ex voto, in Dominicam incidens, transferre in Sabbathum, licet alio Jejunio obligatum.

Qu. V. Si quis vorisset jejuniū 90 unius anni, aut mensis, an teneatur jejunare in Dominicis intra annum, aut mensem occurrentibus?

R. Negative, sed posset illas a jejunio excludere, propter eamdem rationem qu. precedenti assignatam; quia nimurum potest se accommodare ordinariæ consuetudini Ecclesiæ, quæ in Dominicis non jejunat; & cum, ut supponimus, expresse non incluserit in suo voto Dominicis, non esset censendus, voluisse obligare se contra consuetudinem ordinariam Ecclesiæ; Ita Castrop. par. 2. de essent. & obligat. voti tr. 15. pu. 12. nu. 11. Azor. loc. cit. qu. præc. Sanchez n. 20. Diana to. 4. edit. coord. tr. 6. R. 7. §. 2. & R. 55. §. 3. La-Croix lib. 3. par. 1. de Voto qu. 113. §. 10. Tambur.

bur. Bonac. Tancredi, Raynaud. II. supra cit. Id etiam docete videatur Bellarm. I. supra cit. cap. 23. ubi inquit, eum, qui vovit jejunium unius anni, aut mensis, si jejunet in Dominicis, non peccare. Quo modo loquendi, videtur concedere, eumdem non teneri jejunare in Dominicis occurrentibus, atque hanc esse propriam interpretationem sui Voti, quamvis ponat peccet jejunando. Si autem vovens obligaverit se, ad jejunandum in Dominicis etiam occurrentibus, in hoc quidem casu teneretur sine interruptione ulla, atque adeo etiam in Dominicis jejunare: quia ex una parte hujusmodi prolixum, & non interruptum jejunium est licitum, & laudat etiam Augustinus, cuius verba recitavimus qu. 1. num. 78. ex alia parte vero, Votum obligat secundum intentionem voventis. Notandum hic pro priori casu, quo vovens non incluserit expresse Dominicas in voto jejunandi per unum v. g. mensem, etiamsi in Dominicis non jejunet, non teneri eas supplere post mensem; quia votum ad illas Dominicas se simpliciter non extendit.

91 Obj. contra hanc ultimam assertiōnē, in qua dicimus: Dominicās exclusas a jejunio non teneri prædicto modo voventem supplere. Qui vovit quolibet anno, vel mense, tali die jejunium, hoc occurrente in Dominica, si non vult in eadem illud servare, debet transferre, & supplere alia die; secundum ea, quæ nos ipsi docuimus qu. 9. num. 85. adversus Tancredi. Ergo a pari; qui vovit jejunare tali mense, puta Januario, si vult excludere a jejunio Dominicas, tenetur illas sup-

TOM. I.

plerē jejunando, vel antecedenter, vel subsequenter totidem diebus, quæ sunt Dominicæ illo mense occurrentes.

&. Concesso antecedenti, nego consequentiam. Multiplex assignari posset disparitas, sed unam, quam puto clariorem, proferre sufficiat. Disparitas itaque est hæc: qui vovit jejunium quotannis, vel quolibet mense, tali die servandum, vovit singulare jejunium, ad quod censendus est, se voluisse obligare juxta consuetudinem Ecclesie, quando præcipit singulare jejunium; sed consuetudo Ecclesie, quando præcipit singulare jejunium, est, quod hoc incidente in Dominicam, non plane omittatur, sed transferatur: ergo qui vovit singulare jejunium, hoc incidente in Dominica, non debet plane omittere, sed illud transferre in aliud diem, ut qu. præcedenti arguebamus adversus Tancredi. Contra vero, qui vovit jejunare unius anni, vel talis mensis spatio, non vovit jejunium unius diei, nec tot determinate jejunia, puta triginta; sed plura jejunia tali longo quidem tempore explenda; ad quæ proculdubio censendus est, se voluisse obligare juxta aliam consuetudinem ordinariam Ecclesie, quando videlicet præscribit plura jejunia, longo item tempore servanda, seu potius præcipit aliquod determinatum longum tempus in jejunii transfigere. Sed Ecclesia in hoc secundo casu excipit a jejunio Dominicas, & exceptas non transfert. Ergo similiter; qui vovit annum, vel talem mensem in jeuniis transfigere, potest excludere Dominicas, & exclusas minime supplere tenebuntur. Minor hujus ultimi argumen-

K k ti,

ii, in qua sola stat difficultas, probatur exemplo temporis Quadragesimalis, per quod tempus jejunium perfectum intermittitur in Dominicas, & intermissum non suppletur, ut satis constat; ergo &c.

92 Instas. Contra est: immo vero Ecclesia Quadragesimale jejunium, quod in Dominicis intermittit, supplet, anticipando jejunium Quadragesimale a Feria 4. Cinerum: cum proprie observantia Quadragesimalis incipiat a Dominicis I. Quadragesimæ; unde illa dicta fuit, & dicitur *Caput Quadragesimæ*: & ab ea incipiunt solemnitates Quadragesimalis officii. Ergo ex consuetudine Ecclesiarum potius manifeste deducitur contrarium: nimis Dominicas, exclusas a jejunio ex voto unius anni, aut mensis, debere suppleri.

R. Ecclesia ita prescribit jejunandum toto Quadragesimali tempore, ut etiam numerum quadraginta jejuniorum impleri velit. Hæc est ergo peculiaris ratio, cur addat quatuor illas dies a Feria IV. Cinerum.

Olim observantia Quadragesimalis incipiebat a Dominicis I. Quadragesimæ, unde hæc, ut in objectione dicitur, nuncupata fuit, & nuncupatur *Caput Quadragesimæ*. Semper tamen Dominicæ occurrentes a jejunio perfecto fuerunt exclusæ; jejunium ergo perfectum erat solis triginta sex diebus: a Dominicis I. enim Quadragesimæ usque ad Pascha currunt quadraginta duo dies, ex quibus si demas sex Dominicas occurrentes, remanent perfecto jejunio triginta sex dies: ita quidem olim. Deinde vero Ecclesia volens ex una parte, completere numerum jejuniorum quadraginta, ob ratio-

nes, quas exponemus tr. 2. ubi de observantia Quadragesimæ. Et ex alia parte, nolens remittere consuetudinem suam de abstineendo a perfecto jejunio in Dominicis: ideo ante Dominicam primam Quadragesimæ prescripsit quatuor illa jejunia, quæ additis sequentibus triginta sex in Quadragesima explendis, compleant numerum quadragenarium. Hæc omnia ex professo, & fuisse tractabimus, ubi de jejunio, & observantia Quadragesimali ageamus. Quod autem predicti quatuor dies jejunii non additi fuerint Quadragesimæ ad supplendas Dominicas in Quadragesima occurrentes, est etiam per se satis manifestum; Enimvero Dominicæ a jejunio in Quadragesima exclusæ sunt sex; dies vero jejunii Quadragesimæ additi sunt quatuor, non item sex; ergo satis manifestum est, eos nequaquam additos fuisse ad supplendum Dominicas a jejunio perfecto excludendas.

Qu. VI. Cum, ex una parte, 93 non sit contra consuetudinem Ecclesiarum, abstinere a carne in Dominicis, ut patet ex Quadragesima, & etiam ex Adventu, in quo ut plurimum Regulares Ordines abstinenter a carne, adhuc in Dominicis: nec non ex aliis Regularium Ordinibus qui ex Instituto abstinenter a carne: & ex alia parte, qui tenetur jejunare ex precepto Ecclesiarum, si ob aliquam rationem excusetur a jejunio seu ab unica refectione, remaneat tamen obligatus abstinere a carne; ideo queritur; an similiter qui tenetur jejunare ex voto? Ita ut quando dicitur; eum posse non jejunare in Dominicis occurrentibus intra annum, aut mensem

sem , quem vorit in jejunio transi-
gere ; per id intelligentur solum ei
permitti plures refectioes in dictis
Dominicis ; at minime posse vesci
carne : quemadmodum tempore Qua-
dragesimali , quo in Dominicis oc-
currentibus permittuntur quidem plu-
res refectioes , minime vero come-
stio carnium .

R. Probabile est , quod , qui vo-
vit jejunium per annum , aut men-
sem , possit in Dominicis occurren-
tibus extra Quadragesimam comedere
etiam carnes , posito , quod ei
permittitur multiplex refectio . Ra-
tio assignatur : quia probabile est ,
quod in jejunio ex voto non pro-
mittitur directe abstinentia a car-
ne ; sed indirecte , & accessorie ,
quatenus est pars essentialiter ad
jejunium requisita , & accessoria ipsi
jejunio ; eo vel maxime quod ma-
gis pertineat ad essentiam jejunii
unica comedio ; de ea enim om-
nes consentiunt , non autem de ab-
stinentia a carnibus . Quare cum
semel violato , vel relaxato jejunio
cesset obligatio circa principale , ces-
sare videtur circa accessoriarum absti-
nentiam a carnibus . Sic argumen-
tatur Th. Sanchez in decal. lib. 4.
c. 11. n. 43. & Barthol. a S. Fau-
sto apud Dianam to. 4. edit. coord.
tr. 6. Resol. 82. q. 4.

94 Quod si secus fiat in jejunio ex
præcepto Ecclesie , ubi violato vel
dispensato jejunio quoad unicam re-
fectionem , remanet obligatio ad ab-
stinentiam a carne . Respondet idem
Sanchez : id esse ex eo , quia distin-
cto præcepto Ecclesia præcipiat absti-
nentiam a carne in diebus jejunii ec-
clesiastici , obligans ad abstinentiam
a carne , etiam eos , qui excusantur
ab unica refactione . Ejus doctrinam

adhuc alia notata digna continen-
tem juvat exponere ipsius verbis loc.
cit. ubi objiciens sibi jejunium ec-
clesiasticum , inquit : *Respondeo : du-
plex ex capite præcipi ab Ecclesia in
diebus jejunii ab ipsa indicatis absti-
nentiam a carnibus . Prinus est indirec-
te , & accessorie , in quantum scili-
cat , jejunium absque ipsa confitistro
nequit . Et bac ratione sobos illos obli-
gat , qui ad jejunium tenentur . Quare
excusati a jejunio , sive quia illud se-
mel violavere , sive quavis alia ex
causa , non peccant contra id jejunii
præceptum , comedendo carnes . Quia
cum cesseret obligatio principalis jeju-
nii , cessat quoque obligatio accessorie
abstinentiae . Posterior est , quia est
præceptum aliud generale ecclesiasticum ,
directe per se , & independenter a ja-
junandi obligatione , adstringens omnes
fideles ad carnium abstinentiam omni-
bus diebus jejunii ab Ecclesia indicatis .
Et contra hoc peccant , edendo carnes ,
excusati a jejunio , sicut etiam peccant
edendo lacticinia in jejunis Quadrage-
simalibus . Dico ergo : voruentem jeju-
nare solum : non vorere abstinentiam
a carnibus posteriori modo ab Ec-
clesia præceptam : cum votum in du-
bio sit strictissime interpretandum , ut
minus obliges , in quantum fieri pos-
sit . Sed illam vorit priori modo .
Quare quacumque ratione excusatus hic
fuerit a jejunio illo promisso , etiam si
culpa sua id fregerit , comedendo car-
nes , vel quicquam aliud , non pecca-
bit amplius , iterum carnes edens , si-
cunt nec quicquam aliud comedens . Qua-
re latum est discrimin inter obliga-
tum ex præcepto ecclesiastico ad jeju-
nium , & obligatum ex solo voto .
Quippe ille prima vice comedens car-
nes , nec excusatus a jejunio , duplex
peccatum , necessario confitendum , com-
mit-*

mittit : alterum in jejunii legem , ea comeditione violatam : alterum vero in legem aliam peculiarem obligantem ea die abstinere a carnisbus , independenter a jejunii obligatione . At comedens carnes in die solius jejunii promissi , unicum peccatum admittit contra solum jejunii votum , quatenus ea comeditione id violatur . Et tandem haec pars probatur , quia vovens certa die jejuniū , non in diei honorem , excusatusque ab illius diei jejunio , sive quia jam illud sua culpa violavit , sine necessitate excusante a culpa ; non tenebitur a carnisbus abstinere , sed tenetur alia die jejunare : alias cum ad posterius constet obligari , esset ad duo obligandus , qui unicum jejuniū vovit . Ergo in voto jejunii non clauditur abstinentia a carnisbus , ut omnino præcipitur ab Ecclesia : tunc enim teneretur ea die ab illis abstinere , sed tantum ut indirecte cadit sub jejunii præcepto . Et juxta hoc dicendum est : non magis delinquere contra votum edendo carnes , quam quicquam aliud , quo jejuniū violaret : ita sat esse fateri violationem jejunii voto promissi , non explicando , an esu carnium violatum sit . Et ideo haec pars est mibi probabilior . Et idem prorsus censeo de jejunio in pœnitentiam sacramentalem injuncto . Huc usque Sanchez . Cujus sententiam tamquam probabilem admittit Layman to . 2. lib . 4. tract . 4. c . 3. de Voto qu . 3. num . 3. & Tambur . de præc . eccl . tr . 4. par . 4. c . 3. num . 32. Item ipsam probabilem esse dicit Diana loc . cit . & Resol . 83. § . 3. rursus illam approbat , aitque satis esse probabilem ; & Resol . 84. § . 2. illam amplectitur , eamque absolute docet ; eamdem probabilem esse fatetur La-Croix lib . 3. par . 1.

de Voto , qu . 113. § . 10. Illam , citans Dianam , Laymanum , Barthol . a S. Fausto , & Portel . sequitur Tancredi to . 4. tr . 3. de Voto qu . 21. tamquam probabilem contraria . Similiter Leander a SS. Sacr . par . 1. tr . 5. de Sacram . Pœnitent . disp . 8. § . 8. qu . 13. Etsi contraria sententia valde probabilis videatur Azorjo Inst . Moral . par . 1. lib . 11. c . 20. qu . 6. eamque veriorem censeat Castrop . par . 2. de Relig . de es- sent . & obligat . Vot . tr . 15. disp . 1. pu . 12. nu . 15. Et eamdem ut cer- tam sustineat Suarez to . 2. de Re- lig . tr . 6. lib . 4. de obligat . Vot . c . 7. n . 9. & 12.

Qu . VII. Supposito , quod in Qua- dragesima , ne quidem in ipsis Do- minicis possint comedи ova , & la- tæcinia ab iis , qui non habent Bul- lam . Cruciatae , aut simile privile- gium , uti docebimus tr . 2. lib . 4. par . 1. cap . 1. art . 9. quæst . 1. Quæres : an peccet contra votum , comedendo ova , & lacticinia in Do- minicis Quadragesimæ , qui in ea jejunat ex voto (intellige in sensu deducto per quæst . 3. num . 82.) . Item , an qui jejunat ex voto in Dominica extra Quadragesimam , teneatur abstinere ab ovis , & la- tæciniis , in locis , ubi non est consue- tudo abstinendi ab his in jejunis ? & magis esse potest difficultas de locis , ubi in omnibus jejunis absti- nientia prædicta servatur . Denique : an qui habet Bullam Cruciatae , aut simile privilegium comedendi ova , & lacticinia , possit comedere ea in Dominicis etiam intra Quadragesi- mam , si teneatur jejunare ex voto .

& . Et dico 1. Eum , qui tenetur jejunare ex voto , si habet Bullam Cruciatae , aut simile privilegium , cer-

certum est, posse in Quadragesima vesci ovis, & lacticiniis in Dominicis, & quocumque alio die, etiam si jejunet, ut dicemus tr. 2. lib. 4. part. 1. c. 2. ubi de Bulla Cruciatæ, art. 1. Sect. 1. Subsect. 1. qu. 2. Similiter extra Quadragesimam in locis, ubi sit consuetudo ab his abstinenti in omnibus jejuniis; ita aliis relatis Tho. Sanchez 1. supra cit. n. 49. & ipse Castropal. 1. item supra cit. n. 17. Ratio est, quia habens Bullam Cruciatæ simpliciter dispensatur ab obligatione abstinenti ab ovis, & lacticiniis, dum manet in loco, ubi Bulla promulgatur: ut suo loco explicabitur; quam dispensationem vovens non est præsumendum rejicere.

Dico 2. eum, qui tenetur jejunare ex voto extra Quadragesimam, etiam si careat Bulla, in illis locis, ubi non est consuetudo abstinenti ab ovis, & lacticiniis: tamquam certum habeatur, posse illa comedere sive in Dominicis, sive quocumque alio die jejunaverit extra Quadragesimam; ita Sanchez n. 52. & ipsi Castropal. 1. cit. Suarez 1. sup. cit. n. 9. & Azorius. Ratio est 1. quia est probabilius opinio, nec jure, nec consuetudine universalis interdici ova, & lacticinia in jejuniis extra Quadragesimam. Sanch. Suarez, Azorius, Castropal. quia simpliciter non est illa abstinentia de ratione jejunii, nisi ad summum Quadragesimalis: Vide dicenda in Fer. VI. art. 1. qu. 3. & lib. 3. in Septemb. par. 1. Sect. 5. subsect. 5. qu. 2. Non est autem præsumendum in dicto casu, Voventem voluisse se obligare ad strixiorem jejunii formam, quam quæ apud suos est in usu.

Dico 3. probabile esse: eum, qui tenetur jejunare ex voto, non peccare contra votum, sed solum contra præceptum Ecclesiæ, si non habens Bullam, aut simile privilegium, comedat ova, & lacticinia in Quadragesima; uti etiam dicemus tr. 2. 1. 4. par. 1. c. 1. art. 9. qu. 14. Similiter extra Quadragesimam in aliis jejuniis Ecclesiæ in illis locis, ubi ex consuetudine ab his abstinetur in omnibus jejuniis. Ratio est, quia in dictis jejuniis non præcipitur abstinentia ab ovis, & lacticiniis, nisi distincto prorsus præcepto a jejunio; adeoque in jejunio ex voto non includitur obligatio ad abstinentium ab ovis, & lacticiniis. Ergo qui illa comedit, sicut non peccat contra jejunium, ita nec contra votum; ita Sanchez num. 53. Tancredi loc. sup. citat. quæsto 21. Diana sup. cit. Resol. 84. §. 2. qui citat Portell. Hanc sententiam videtur etiam sequi Chiavetta Consult. 189. n. 3. fine, & favet etiam Toletus in Sum. lib. 6. c. 3. n. 2. ubi docet; esse tria præcepta distincta hæc, nimirum, præceptum jejunii, præceptum abstinenti ab eßu carnium, & præceptum abstinenti a lacticiniis, & ovis. Contrarium tamen tenet Sylvester V. *jejunium* n. 15. idem verius censet Castropal. par. 2. de essent. & oblig. vot. ar. 15. disp. 1. pu. 12. n. 18. Suarez to. 2. de Relig. tr. 6. de vot. lib. 4. c. 7. n. 9. idipsum sentire videtur Azorius Instit. Moral. par. 1. lib. 7. c. 10. qu. 2. fine, & lib. 11. c. 20. qu. 6. Utramque sententiam esse probabilem, inquit Tamburinus in Decal. lib. 3. c. 15. §. 6. n. 11. Priorem existimant probabilem etiam Salmantic. in append. tr. 6. de

de Bull. Cruc. cap. 5. pu. 2. num.
46. fine.

Dico 4. probabile esse , eum qui tenetur jejunare ex voto extra Quadragesimam in iis etiam locis , ubi est consuetudo abstinendi ab ovis , & lacticiniis in omnibus jejunii communibus ; posse hæc comedere in diebus , in quibus non occurrit jejunium ex præcepto Ecclesiæ : seu commune jejunium ex obligatione gravi servandum . Sequitur ex dictis , nimirum 1. ex eo quia probabilius est , in jejunis extra Quadragesimam nec jure , nec consuetudine universalis prohiberi ova , & lacticinia : 2. ex eo quod probabile est , ut jam diximus , in ipsa etiam Quadragesima , & in locis , ubi est consuetudo abstinendi ab his in omnibus communibus jejunis , distincto prorsus præcepto tunc hæc prohiberi ; adeoque votum jejunandi non includit per se abstinentiam ab ovis , & lacticiniis . Etsi contrarium teneat Azor. I. l. cit. & Suarez cit. n. 9. putet esse verisimilius .

Nota tamen ; quæcumque postremis hisce duabus assertionibus a me dicta sunt , tanquam de ipsa abstracta voti natura , & essentia procedere , considerando videlicet quid ipsa per se voti natura ferat , relate ad jejunium , quid præceptum Ecclesiæ superaddat . Verum de voto , ut est in facto , aliter omnino discurrendum ; cum non ab ipsa tantum rei natura , sed a Voventis intentione potissimum Voti obligatio deducatur . Jamvero puto , cum de aliquo hujusmodi emissio Voto quæstio inducitur , an secum ferat obligationem abstinendi a lacticiniis ? de Persona quærendum esse , & de loco , in quo tale Votum factum fuerit ;

tum vero neque plus , neque minus obligatum pronuntiari debere Voventem , quam consueta jejunandi ratio in sua ipsius Regione obtinuerit . Prudentissimum enim est opinari , mentem Voventis Jejunium a Jejunii vulgari notione , ut apud suos viget , non aberrare : totum illud ergo complecti videtur , totum illud excludere ; quod recepta in suo domicilio jejunandi ratio vel amplectitur vel excludit . Quod si quis doctior , non obstante loci sui consuetudine , ex qua Jejunia etiam extra Quadragesimam fiant cum abstinentia a lacticiniis , sciens ipse hanc abstinentiam non pertinere ad primævam Jejunii naturam , & essentiam , Jejunium vovere velit absque tali abstinentia , in diebus non obligatis Jejunio Ecclesiastico ; non alio utique jure judicandus erit , quam quod ipse sibi libens constituit .

Qu. VIII. An possit comedere carnes in Dominicis occurrentibus in Adventu , qui vovit celebrare Adventum , prout communiter celebrant Monachi , seu multæ Familiae Regularium ?

R. Puto , quod non . Ratio est , quia abstinentia a carne etiam in Dominicis custoditur a Regularibus , qui Adventum celebrant , etiamsi non jejunent in iis . Vid. dicenda tract. 2. lib. I. par. I. c. 4. ubi de jejun. & abstin. Advent.

Attamen aliter fortasse dici posset si quis vovisset jejunare in Adventu ; sicque se expressisset : *vovo jejunare in Adventu* . Tunc enim sic exprimendo votum suum , ad jejunium simpliciter videtur se obligasse ; scilicet directe ad unicam refractionem , & indirecte ad abstinentiam a carne : Juxta superius dicta qu. 6. adeoque , se.

secundum ibidem probabiliter dicta, quando non jejunat, seu non servat unicam refectionem, tunc non tenetur abstinere a carne ratione sui voti; quia illam abstinentiam non inclusit; nec tenetur ratione jejunii, quia non adest. Cæterum hæc, & familia melius colligi poterunt ex ipsius intentione voventis, quam habuit, quando votum suum emisit; ut enim alias notavimus; votum obligat secundum intentionem voventis.

97 Qu. IX. An qui vovit per annum, aut mensem abstinere a carne, vel laeticiniis, possit excipere Dominiccas occurrentes, sicut potest excipere, qui per idem tempus vovit jejuniū,

R. Negative. Ratio est, quia non est unde dispensetur ab abstinentia a carne, aut laeticiniis in Dominicis. Quod si dispensatur ille, qui simpliciter vovit jejunare per idem tempus, ratio est, quia cum ex una parte, Ecclesia non consueverit in Dominicis jejunare, seu servare unicam refectionem: potest ille se accommodare huic consuetudini Ecclesiasticae, eximendo a jejunio suo Dominiccas, in illis non servando abstinentiam a multiplici refectione, ut sit in jejunio; ex alia parte vero, posito quod ei permittitur multiplex refectio, adeoque solvit jejuniū, jam non tenetur abstinere a carne, quia hæc abstinentia tantum indirecta, & accessorie includitur in suo voto, & omnino dependenter, & supposita unica refectione, ut superiorius in præcedentibus est disputatum, & resolutum ex satis probabili sententia. Hæc autem ratio ex nulla parte favet ei, qui simpliciter vovit abstinere a carne, vel laeticiniis per annum, aut mensem: non favet quidem ex prima parte; enimvero

quamvis Ecclesia non consueverit servare, seu præcipere in Dominicis unicam refectionem; servat tamen ac præcipit abstinentiam a carne, & laeticiniis, ut patet in Dominicis Quadragesimæ. Nec ratio eadem favet ex secunda sua parte; etenim qui vovit abstinere a carne, vel laeticiniis, per se, & directe vovit talem abstinentiam, ut patet; adeoque qui illam simpliciter per annum aut mensem vovit, ad illam per id tempus omnino tenetur; neque potest excipere Dominiccas, quia non est unde excipiat, nisi illas a voto suo aut expresse exceperit, aut ex circumstantiis voto additis, rationabiliter præsumeretur excipere voluisse. Et ita docet Diana to. 4. edit. coord. tr. 6. R. 7. §. 2. qui laudat pro hac sententia Bellarmin. Layman. Bofs. Azor. Sanchez, sequitur Cotonius l. 1. controv. 12. de votis, c. 2. qu. 2. n. 20. & consentire videtur La-Croix lib. 3. par. 1. de voto qu. 113. §. 10.

Qu. X. An qui vovit jejunare 98 triginta diebus, & sic se expressit in voto; possit excipere a suo jejunio Dominiccas occurrentes?

R. Potest quidem excipere, nec tantum Dominiccas, sed & alias, si libuerit, dies, puta Ferias quintas; tenetur tamen deinde dies omnes, etiam Dominiccas, in quibus non jejunavit, supplere, jejunando aliis diebus, donec compleat numerum triginta dierum jejunii. Ratio prioris partis est, quia non se obligavit jejunare hoc, vel illo determinato tempore, puta continuis triginta diebus (ut supponitur). Ergo, etiamsi postquam cœperit jejunare, intermisserit jejuniū suum in Dominicis, aut etiam aliis diebus; si sup-

si suppleverit, donec fecerit triginta jejunia; verificabitur tandem, quod triginta diebus jejunaverit, adeoque impleverit votum suum, quod simpliciter fuit jejunandi triginta diebus.

Ratio autem secundæ partis est, quia: cum voverit jejunare simpliciter triginta diebus; videtur se sim-

pliciter obligasse ad ipsa numero triginta jejunia, ergo tot servare tenetur. Secus est de eo, qui se obligavit jejunare hoc mense, puta Januario, ut in quæstione V. hic quidem potest, ut ibi docuimus, excludere a jejunio Dominicas occurrentes, ita ut nec supplere teneatur exclusas.



CA-

C A P U T II.

N O T A N D A I N F E R I A I I.

E X P L I C A N T U R A R T I C U L I S III.

Art. I. *De Missa Defunctorum, & Votiva SS. Trinit.*

Art. II. *De Indulgentiis.*

Art. III. *De quadam superstitione.*

A R T I C U L U S I.

*De Missa Defunctorum, & Votiva
SS. Trinitatis.*

I FERIA secunda cujusque hebdomadæ, in qua Officium fiat de Feria, Missa principalis, seu Conventualis dici potest pro Defunctis. Si autem fuerit propria Missa de Feria, vel de Festo Simplici, vel resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita, & infra hebdomadam non occurrat aliud dies, in quo resumi possit; in Missa de die fiat commemoratio generaliter pro Defunctis. Excipitur tamen Quadragesima, & totum tempus Paschale, & quando per annum Officium est duplex, vel semiduplex, quibus temporibus non dicitur Missa Conventualis pro Defunctis: (nisi in die depositionis Defuncti, & Anniversario pro Defunctis): quo casu præter Missam Conventualem, celebrari potest Missa solemnis Defunctorum, communiter loquendo; cæterum hæc item in dicto etiam casu interdicitur aliquando; vide dicta lib. 1. c. 2. n. 15., & dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 8. n. 22. & c. 9. a n. 6.) neque pro eius fit commemoratio. Rubr. gen. Miss. tit. 5. n. 2. Pro hujusmodi

TOM. I.

Rubr. vide Caval. to. 3. c. 8. Comment. in decr. 1. a num. 12. & c. 11. in decr. 2. num. 11. S. R. C. in una Ordinis Minorum de Observantia Sancti Francisci Provinciæ majoris Poloniæ interrogata: An Missæ de Requiem pro Parentibus Fratrum dictæ Provinciæ, quavis feria secunda in quovis Conventu possint cantari exposito Castro doloris, (vulgo Tumulo, Mausoleo) occurrente festo duplice minori, & majori, sed non de præcepto, seu Festivo? Respondit: *Negative* 11. Maii. 1754. apud Caval. to. 5. in Collect. recentior. decretor. & in opere Merati in 2. append. decretor. Miss. n. 980. Confer dicenda in cit. Append. c. 9. n. 7. Nota hic: causam cur Ecclesia diebus Lunæ velit specialiter orare pro Defunctis, esse, quia vult statim post Dominicam succurri illis miseris in Purgatorio degentibus; ita Raynaud. cui consentit La-Croix lib. 6. par. 2. qu. 184. 6. 2. fine; id ipsum significat Gavantus in Rubr. Miss. par. 3. tit. 5. n. 2. litt. S. & videri etiam potest Caval. cit. n. 12. Quare autem dies Hebdomadæ, quæ sunt Dominicam inter, & Sabbatum, nuncupentur Feriæ? explicavimus in procœmio hujus secundæ partis.

In Missali Rom. post Commune 2
L 1 San-

Sanctorum, & Dedicationis Ecclesiae ponuntur Missæ nonnullorum Mysteriorum Domini, Beatæ Mariæ Virginis, & quorundam Sanctorum, quæ dici poterunt tamquam Votivæ, etiam pro principali, seu Conventionali Missa in Feriis Hebdomadæ non impeditis; uti notavimus, & explicavimus par. I. c. I. n. I. Singulis assignantur Feriæ, præsens Feria secunda assignatur Missæ de SS. Trinitate, nisi dicatur de *Requiem*, seu pro Defunctis; uti notavimus n. præced. Non assignatur Missæ de Trinitate Dominica, et si mysterio illi sit dedicata Dominica, quia in Dominica non celebrantur Missæ votivæ, nisi solemnes ratione concursus &c. vel pro publica Ecclesiae causa, vel re gravi; ut suo loco dictum est, in Dom. n. 52. Assignatur autem Feria secunda, quia est propior. In hujusmodi Missa votiva de Trinitate non dicitur *Gloria*, neque *Credo*; oratio secunda de occurrenti erit officio, tertia vero, quæ aliquia secunda foret in Missa diei. Si tamen hæc Missa accidat celebrari pro gratiarum actione, dicaturque privatim; tertia oratio erit: *Daus*, cuius *misericordia*: ut in Missali post Missam votivam de Trinit. sub conclusione separata ab oratione priori, & cum sibi congruenti Secreta, & Postcommun. ut ibidem. Quod si celebretur solemniter pro re gravi, seu publica Ecclesiae causa; oratio prædicta cantabitur sub unica conclusione, cum oratione tantum de Missa, atque cantabitur *Gloria*, & *Credo*. Merat. 10. I. par. I. tit. 4.

n. 24. 27. 40. & 44. Præfatio dicitur de Trinitate. Merat. n. 47. An inclinandum sit caput, ubi nominatur *Trinitas*? Vide in Dom. Trinit. n. 7.

Color paramentorum Celebrantis 3 alb. color autem Altaris conformis Officio in Missa privata; at in solemnni Altaris etiam paramenta alba erunt. Merat. n. 36. Confer dicta par. I. c. I. n. 2.

A R T I C U L U S II.

De INDULGENTIIS.

*De Indulgentia pro Corona Domini
N. J. C.*

Q UICUMQUE in Feria secunda, quartta, & sexta, & in diebus Festis de præcepto recitaverit coronam Domini Nostri Jesu Christi; si confessus fuerit, & sacra Communione refectus, lucrabitur Indulgentiam centum quinquaginta annorum, quam concessit Clemens X. ut refert Piazza de Purgat. par. 2. art. 5. §. 10. n. 35.

A R T I C U L U S III.

De quadam Superstitione.

Q u. Sunt, qui nolint die Lunæ, 5 aliquid dare mutuo, eo quod credant, non ita facile reddendum: queritur: an hi sint ideo de superstitione damnandi?

R. Affirmative. La-Croix. lib. 3. part. I. qu. 5. §. 2. Vide dicenda in Fer. 3. art. 2.

C A-

C A P U T III.

N O T A N D A I N F E R I A III.

E X P L I C A N T U R A R T I C U L I S II.

Art. I. De Missa Votiva SS. Angelorum.

Art. II. De Quibusdam Superstitionibus.

A R T I C U L U S I.

*De Missa Votiva Sanctorum
Angelorum.*

IM Missali Romano post Communionem Sanctorum, & Dedicationis Ecclesiarum, scribuntur Missæ quorundam Mysteriorum Domini, Beatae Mariae Virginis, ac nonnullorum Sanctorum, quæ poterunt celebrari uti votivæ, etiam pro Conventuali, seu principali Missa, diebus infra Hebdomadam non impeditis: quemadmodum notavimus, & explicavimus hic part. I. c. I. n. I. Singulis præfiguntur Feriæ, præsens Feria tertia assignatur Missæ votivæ de Sanctis Angelis, quia natura proximiores Trinitati, cujus Missæ votivæ præcedens fuit Feria designata. Gavant. par. I. tit. 4. num. 3. In ea dicitur 2. or. de Officio occur. 3. quæ alioquin esset secunda in Missa de die. In eadem dicitur *Gloria in excelsis*; quia est hymnus Angelicus. Angeli nimirum cantici hujus exordium cecinere priores in Nativitate Domini; ut ex Durando notat Meratus to. I. par. I. tit. 4. n. 39. Non dicitur *Credo*: Præfatio communis. Poterit etiam pro Votiva SS. Angelorum dici de S. Michaeli Archangelo, prout in Festo Dedicacionis ejusdem; ut ex Rubrica constat

servatis servandis. In fine Missæ dicetur, *Ite Missa est*: quia dictum est *Gloria in excelsis*. Merat. n. 50.

Color Paramentorum Celebrantis 2 albus; Altaris vero erit conformis Officio; secus autem si solemniter celebretur. Merat. n. 36. Vid. dicta I. par. I. cit. n. 2.

A R T I C U L U S II.

De quibusdam Superstitionibus.

Qu. An sit superstitione, seu vana 3 observantia, si quis nolit iter arripere die Martis, ne in Milites, aut latrones incidat, vel si nolit aliquod opus incipere, ne malum eveniat?

R. Affirmative, La.Croix lib. 3. par. I. qu. 5. §. 2. Tambur. in Decal. lib. 2. c. 6. §. 1. n. 27. & 56. Habemus etiam ex Apostolo ad Galat. 4. *Dies observatis, & menses, tempora, & annos. Timeo vos, ne forte fine causa laboraverim in vobis.* Quibus verbis Augustinus in Ench. c. 79. & refertur C. *Quis astimaret. 17. 26. qu. 5. ait, Apostolum reprehendere illos, qui certis diebus, sive mensibus, sive annis volunt, vel nolunt aliquid inchoare, eo quod secundum vanas doctrinas hominum fausta, vel infausta existimant tempora.* & Epist. 119. c. 7. ad ea-

L 1 2 dem.

dem Apostoli verba , inquit : *Eos enim culpat , qui dicunt : non proficisci per bodie , quia posterus dies est . Similiter laudata Divi Pauli verba intelligit , explicatque Chrysostomus adducendus 25. Januarii , art. 4.*

Quam explicationem laudat Suarez de Relig. to. I. tr. 2. lib. 2. c. 2. n. 5. An autem hujusmodi superstitiones sint de mortali damnandæ , vel solum de veniali arguendæ ? Vide Tambur. cit. n. 27.



CA-

C A P U T I V.

N O T A N D A I N F E R I A I V.

E X P L I C A N T U R A R T I C U L I S I I I .

Art. I. *De Missa Votiva SS. Apostolorum Petri, & Pauli.*

Art. II. *De Jejunio, & Abstinentia a carnibus.*

Art. III. *De Indulgentiis.*

A R T I C U L U S I .

De Missa Votiva SS. Apostolorum Petri, & Pauli.

¶ IN Missali Romano post Communione Sanctorum, & Dedicationis Ecclesiarum habentur Missæ quædam, quæ celebrari conceduntur uti Votivæ, etiam pro Conventuali, seu Principali Missa in Feriis Hebdomadæ non impeditis, quemadmodum notavimus, & explicavimus hic par. I. c. I. n. I. Præsenti Feriæ quartæ assignatur Missa de SS. Apostolis Petro, & Paulo, forte quia in hac feria Romam dicuntur ingressi; vel quia in hac Feria martyrio coronati; vel quia sunt in Ecclesia veluti duo luminaria magna in firmamento Cœli, Sol, & Luna, quæ fuere creata in Feria quarta. Gen. I. 19. vel quia occupatis aliis Feriis ab aliis Missis Votivis ob rationes suis respectivis locis allegatas, & allegandas, hec Feria his Apostolorum Principibus debeatur tamquam Patronis totius Ecclesiarum. Vid. Gavant. par. I. tit. 4. n. 3. & par. 4. tit. 17. n. 3. In ea 2. or. conformis Officio. 3. quæ alioquin secunda foret in Missa de die. Illo autem tempore, quo assignatur pro Missa communii Oratio *A cunctis*;

dicenda est in hac Votiva, Oratio *Concede*, de Sancta Maria, ut rubrica præscribit; ne si dicatur Oratio *A cunctis*, bis fiat explicita mentio in orationibus Sanctorum Petri, & Pauli. Gavant. par. I. tit. 9. n. 15. Quamvis etiam in hac Missa Oratio *A cunctis*, recitari potuisset, si Rubrica aliud non præscripsisset; in ea reticendo verba illa, in quibus de his SS. Apostolis expressa mentio fit; quemadmodum hæc Oratio non omittitur, cum dicitur Missa de Sancto Patrone, sed illa verba: (*Cum Beato N.*) ubi est nominandus Patronus principalis loci, vel Titulus Ecclesiarum, reticentur, uti notavimus hic par. I. c. 2. n. 11. fine, & dicetur I. 3. 2. Februarii n. 62. Porro non omnia, quæ in Rubricis præscribuntur, ex necessitate aliqua sic disponuntur; etsi tali facta dispositione Rubricæ, ita oporteat fieri. Confer dicenda 17. Septembris n. 8. & 10.

In hac Missa votiva de SS. Apostolis Petro, & Paulo non dicetur. *Gloria in excelsis*, neque *Credo*. Præfatio propria de Apostolis. Tempore Paschali pro Votiva dicetur Missa, ut in Festo S. Marci Evangeliste 25. Aprilis, præter orationem, Epistolam, & Evangelium, quæ sumentur ex propria Votiva SS. App. Pe-

Petri & Pauli. *Rubr. ad calcem ejusdem Missæ votivæ.*

- 2 Color paramentorum Celebrantis privatim erit rub. Altaris vero erit conformis Officio; secus autem si solemniter celebretur. Merat. n. 36. vide dicta 1. par. c. 1. n. 2.

A R T I C U L U S II.

De Jejunio, & Abstinentia a Carnibus.

- 3 **F**ERIA IV. congregatum est secundo (nam primo coactum fuit in Sabbato præcedentis Hebdomadæ, ut dicimus to. 2. in Sabbato ante Dominicam Passion. n. 18.) Concilium Judæorum de Christo occidendo, quando eorum Pontifices astiterunt, & Principes Sacerdotum convenierunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Psal. 2. 2. Quo & Judas Diaboli substitutus, atque Legatus se contulit, Ecce illis; quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Matth. 26. 15. Jam vero in detestatione tanti sceleris, mos fuit antiquis Christianis, Feriam quartam tristes exigere, atque jejunos, ut haberetur C. de *esu carnium* 11. & C. *jejunia* 16. dist. 3. de *Consecr.* ac refert etiam S. Augustinus Ep. 86. ad *Casul.* versus finem, Epiphanius exposit. fid. Vulgatus Clemens Romanus lib. 7. *Constit.* c. 24. & Petrus Alexandrinus in *Canonib.* can. 15. ubi inquit: in quarta Feria ex Patrum traditione jejunium servare oportere: quod in ea initum sit a Judæis consilium de prodedendo Christo; apud Theophil. Raynand. to. 15. par. 1. fest. 3. pu. 3. de *elect.* Sandor. n. 29. A Lapide in Matth. 26. 3. Sua-

rez to. 2. in 3. par. disp. 34. *sext.* 1. post initium. Bened. XIV. de *Fest. Dom.* c. 5. §. 1. initio. De *jejunio in hæ olim Feria ob prædictam causam celebrato scribit etiam Jo. Belethi de divina Offic. c. 91.* Hujusmodi tamen perfectum jejunium remittebatur quoad unicam refectionem toto tempore inter Pascha, & Pentecosten. vid. Azor. *Instit. Moral.* par. 1. lib. 7. c. 16. qu. 8.

Videtur tamen nos adeo universalis fuisse hæc abstinentia a Carnibus decursu temporis: quod ferunt verba Nicolai I. ad *Consult. Bulgar.* c. 5. *Quarta Feria, quamvis e cæteris diebus preter sextam Feriam sit amplius macroribus operandum, præcepit, quod Dominus ipso iam die in corde terra idest Judæ traditoris, quodammodo sepultus orat, dum hunc ipsum morti traditore meditabatur; tamen si vestrum quis, eodem die vult, potest omnino carnes comodore.*

Ex quo habes, iam tunc non 4 fuisse obligationem jejunandi, aut a carnibus abstinendi in Feria quarta; quod etiam affirmat *Glossa* in C. de *esu carnium* 11. dist. 3. de *Consecr.* in V. *quarta Feria*, ubi ait; *De quarta Feria est consilium jejunandi, seu a carnibus abstinendi.* Etsi aliter aliquando fuisse, significetur ex Apollonio apud Palladium in ejus vita, & refertur in supra cit. C. *Jejunia*; ubi dicitur: *jejunium quartæ Feriae non esse solvendum, nisi grandis aliqua necessitas fuerit, & quod hoc die si haec necessitudo prædicta jejunium solveret quis, videretur cum Judæ traditore tradere Salvatorem.* Deinde vero hujusmodi obligatio gravis eviguit, ut dictum est.

Si aticubi tamen aderit, servanda erit,

erit; & quidem testantur Azor. Institut. Moral. par. I. l. I. c. 19. qu. I. & A Lapide loc. cit. Feriam quartam cujusque Hebdomadæ jejunio deputari in Græcia, & quibusdam locis Polonie Regno subjectis; & Majore teste, in Scotia, atque Britannia. In hujusmodi itaque & similibus locis si consuetudo praedita sub obligatione gravi adhuc forte retineatur, servanda est. Unde Raynaldus to. 9. tract. de Juda prodit c. 8. n. 7. refert ex Henrico Spondano ad an. 1548. n. 13. Polonas Feriam quartam, in memoriam, seu detestationem prodiit hac die Christi Domini, adeo religiose exigere consueisse, ut anno 1548. male audierit, & in haereseos suspicionem venerit Rex Sigismundus, quod in solemnni epulo Germanis quibusdam Principibus, ac etiam Imperatoris, & Ferdinandi Regis Legatis exhibito, hac feria quarta carnes illis apponi curasset tamquam advenis, locali illa a carnibus abstinenti consuetudine non adstrictis.

⁵ Denique Jo. Boeth de divin. Offic. c. 91. Durandus in Rational. I. 6. c. 70. fine, & cum eo Amalarius de Eccl. Offic. I. 2. c. 2. Rupert. de divia. Offic. I. 3. c. 5. & I. 5.

13. docent, ex eo quia hac Feria quarta venditus fuerit Christus, inde factum fuisse, quod in Jejunii usu post sextam Feriam, quarta primum locum habeat: idque admittit Azor. Institut. Moral. par. I. l. 7. c. 14. fine, & c. 15. qu. 5. fine, & Gavantus in Rubr. Miss. par. 4. tit. 7. n. 26. Quod etiam confirmari potest ex Nicolai I. verbis supra laudatis. Sed hic etiam peculiaris respetus Feriæ IV. usque dum viget; Nam communis Ecclesiae ritu Jejunium Jubilæi, & quatuor Temporum, præter Feriam sextam, & Sabbatum, celebratur in Feria quarta (Vid. dicenda I. 3. in Septemb. par. I. n. 56.) & privata fidelium pietas, post feriam VI. & Sabbatum, hunc jejunio (si quod facere velint) destinat diem.

A R T I C U L U S III.

De Indulgentiis.

UNUS hic, tanquam propria hujus diei notanda venit Indulgentia, videlicet pro Corona D. N. J. C. de qua diximus Feria 2. art. 2, quoniam illam quoque respicit Feriana.

C A-

C A P U T V.

N O T A N D A I N F E R I A V.

EXPLICANTUR ARTICULIS III.

Art. I. *De Missis Votivis Spiritus Sancti, & SS. Sacramenti.*

Art. II. *De Officio Votivo hebdomatico SS. Sacramenti.*

Art. III. *De pia Commemoratione Institutionis SS. Eucharistiae, sub noctem Feriae V.*

ARTICULUS I.

*De Missis votivis Spiritus Sancti,
& SS. Sacramenti.*

1 IN Missali Romano post Commune Sanctorum, & Dedicationis Ecclesie habentur Missæ nonnullorum Mysteriorum Domini, B. M. V. & quorumdam Sanctorum, quæ dici valeant uti Votivæ, etiam pro Conventuali, seu principali Missa infra hebdomadam in Feriis non impeditis, ut notavimus, & explicavimus hic par. I. c. I. n. 1. Singulis assignantur Feriæ, in qua celebrentur; præsens feria V. assignatur Missæ de Spiritu Sancto, vel Missæ de SS. Sacramento; & pro posteriori quidem patet causa suæ institutionis; pro priori autem opinatur Gavantus par. I. tit. 4. num. 3. fortasse quia die quinta Creationis, Aquæ, super quas Spiritus Dei ferebatur, omne reptile, & omne volatile produxerunt. Gen. I. 23.

2 In Missa Votiva de Spiritu Sancto Or. 2. conformis erit Officio. Vide Merat. to. I. par. I. tit. 4. n. 28. Oratio tertia, quæ alioquin secunda foret in Missa diei. Cum autem hæc Missa possit ex Rubrica ipsa Missalis etiam celebrari in gra-

tiarum actionem: in hoc casu dicitur in ea oratio: *Deus, cuius misericordia*: eodem ritu tradito in fer. 2. n. 2. ubi de Missa SS. Trinitatis celebrata ob eamdem causam. Merat. loc. cit. n. 27. atque si celebretur privatim 3. Or. erit, *Deus cuius misericordia*; ut in Missali post Missam Votivam de SS. Trinitate sub conclusione separata ab oratione priori, & cum sibi correspondente Secr. & Postcom. ut ib. Quod si celebretur solemniter, Oratio tantum præfata dicetur sub unica conclusione cum oratione de Missa. Quo in casu affirmat Bissus apud Merat. to. I. par. I. tit. 9. n. 14. orationem præfatam concludendam esse; *in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus*, licet Spiritus Sanctus nominetur tantum in præcedenti oratione. Verum, ut animadvertis idem Merat. huic sententiæ videtur obstat declaratio S. C. ex qua in Missa: *Si secunda Oratio est de Spiritu Sancto, aut de eo fit mentio; tertia sive ultima non debet concludi: ejusdem Spiritus Sancti Oc. S. R. C.* 15. Septemb. 1736. in Toletana apud Merat. ind. decr. Miss. num. 695.

Cum eadem Missa ex eadem Rubrica dici possit, ad postulandam gra-

gratiam Spiritus Sancti : in hoc casu , loco orationis Deus qui corda : dicitur Or. Deus , cui omne cor patet : ut in eodem Missali ad calcem præfatae Missæ , cum correspondente sibi , ut ibidem , Secreta , & Postcommun. five private legatur , five solemniter decantetur . Merat. cit. nu. 27.

In hac Missa non dicitur *Gloria in excelsis* , neque *Credo* ; nec *Sequentia* , quæ habetur in Missa Festi Pentecostes ; dicitur tamen Præfatio propria de Pentecoste , omissis verbis : *bodierna die* : Merat. cit. num. 27. & 49.

Color paramentorum Celebrantis privatim rub. Merat. num. 36. In Missa vero solemni etiam Altaris erit color Missæ conformis , seu rub. confer dicta i. par. c. i. n. 2.

3 Altera Missa , quæ in hac eadem feria V. poterit celebrari uti Votiva , est de SS. Sacramento : & habetur in Missali post præcedentem Missam votivam de Spiritu Santo . Hæc posterior dicitur similiter sine *Gloria* , & sine *Credo* , nec dicitur *Sequentia Lauda Sion* . Gavant. par. 4. tit. 17. n. 3. confer dicenda articulo seq. nu. 15. Oratio 2. de Officio , 3. quæ alioquin secunda foret in Missa de die : Vide dicenda in Appendice ad calcem Diarrii c. 3. nu. 25. ubi etiam vide , an sit inclinandum caput in Missa , quando nominatur Sacramentum . Præfatio dicitur de Nativitate Domini , sine *Communicantes* , prop. diei Nativit.

Color paramentorum Celebrantis privatim albus . Merat. nu. 29. & 36. In Missa autem solemni etiam Altaris erit Missæ conformis . Confer dicta par. i. c. i. n. 2.

TOM. I.

A R T I C U L U S II.

*De Officio Votivo hebdomatico
SS. Sacramenti.*

AGITUR SECTIONIBUS II.

Sect. I. *De Hor. Canon.*

Sect. II. *De Missa.*

S E C T I O I.

De Horis Canonicis.

Q u. I. A quibusnam Officium Votivum hebdomaticum SS. Sacramenti possit in singulis Feriis V. recitari ?

R. Ab habentibus specialem concessionem hujusmodi . Fratribus Minoribus de Observantia concessum fuit a S. Pio V. per specialem Bullam sub die 8. Januarii 1568. , ut possint recitare Feria V. non impedita (ut quæstione sequenti explicabitur) Officium SS. Corporis Christi ; apud Quintanadven. to. 1. singular. de Sacram. tr. 8. de recit. hor. singular. 11. n. 1. Chiavet. Consult. 54. nu. 1. Item Fratribus Discalceatis de Monte Carmelo concessit privilegium Sixtus V. ut quilibet Feria V. non impedita Missam de SS. Sacramento celebrare possint : Bulla edita Romæ 11. Julii 1587. quæ incipit : *Reddituri de commissso* . Ex hujusmodi autem concessione inferunt Chiavetta loc. cit. , & Quintanadvenas singular. 12. n. 4. & 5. concessionem eidem factam , recitandi Officium SS. Sacramenti ; cum Officium , & Missa debeant inter se concordare , quoad fieri potest : ut monet Rubr. gen. Miss. tit. 4. fin.

M m ne.

ne. Confer dicta l. i. c. 2. n. 51. initio. & dicenda in Sabbato num. 40. versu: *His postis.* Nec dici potest, quod concessio sit de celebranda simpliciter Missa Votiva: nam cum haec aliunde liceat diebus non impeditis; concessio Pontificia illis facta nihil operaretur. A concessione item praefata longe diversa est illa, quae aliquando facta invenitur ab Apostolica Sede quibusdam Ordinibus Regularium, ut nimirum Sacerdotes exteri in suis illorum Ecclesiis celebrantibus tali die, possint legere Missam de tali Sancto, de quo iidem celebrant Regulares; de qua re videri possunt dicta l. i. c. 2. qu. 16. n. 53.

Per quam utique concessionem non permittitur praefatis exteris, posse etiam Officium recitare de eodem Sancto, vel Festo, nisi id insuper exprimatur.

Deinde Clemens VIII. idem privilegium concessit Fratribus Eremitis S. Augustini in Bulla quae incipit: *Decet Romanum Pontificem:* sub die 5. Martii 1596. & extenditur hoc privilegium etiam pro Monialibus sub regula S. Augustini. Quintanadven. singul. 11. n. 3. & Chiavet. loc. cit. Rursus idem Clemens VIII. die 8. Octobr. 1597. Religiosis SS. Trinitatis, recitare posse, concessit, Officium SS. Sacramenti semel singulis hebdomadis die non impedita. Apud Quintan. singular. 12. n. 6. & Chiavet. loc. cit. Item ex indulto Clementis XI. dato Româ 17. Atig. 1715. in omnibus Regionis, Dominiis, & Statibus hæreditatiis Augustissimæ Domus Austriacæ recitatur Officium SS. Corporis Christi sub ritu semiduplici: omnibus Fetiis quintis non impeditis.

Brev. Rom. in Rub. de hoc Officio hebdom.

Item Clero Sæculari, & Regulari Civitatis Alexandriæ Officium hujusmodi recitandi privilegium concessit Benedictus XIV. 10. Decembris 1755. Apud Lucium Ferrar. in Biblioth. to. 8. edit. 3. Bonon. in secunda append. pag. 366. col. 2. sunt & alii simili gaudentes facultate: unusquisque consulat privilegia sua: & videri potest Quintanadv. loc. cit. singul. 13. 16. & duob. sequentib. & Chiavet. loc. cit. a num. 2.

Qu. II. Quinam sint dies impen- 5 diti, seu in quibus non liceat recitare hujusmodi Officium?

R. Hos notavimus hoc lib. 2. par. 1. c. 2. de Offic. hebdom. num. 3. vide ibi dicta; attamen specialiter notandum hic, quod et si S. R. C. 22. Novembr. 1664. ediderit decretum hujus tenoris: *Habentes privilegium recitandi Officium SS. Sacramenti Feria V. singularium hebdomadarum & Sabbato Officium B. M. V. sub ritu semiduplici, exceptis solitis temporibus: si in predictis diebus, vel in uno eorum reponendum esset Officium translatum, possunt ulterius transferre translatum, & in dictis diebus recitare Officium juxta privilegium:* apud Zachariam Ind. Decret. num. 979. Et si, inquam, S. C. ediderit decretum praefatum; nihilominus standum est posteriori decreto ejusdem S. C. 20. Martii 1706. ex quo prohibetur fieri de hujusmodi Officiis votivis in diebus impeditis Festo novem lectionum, etiam translato: uti notavimus par. 1. l. cit. sed & & ipsa Sacerdotum Rit. Congreg. decretum illud etiam expresse revocavit Anno 1740. i. Octobris, & aliud

aliud edidit conforme laudato Decreto anni 1706. quod alternum Sacrae Congregationis decretum ita se habet: *Ubi adest indulatum recitandi qualibet Feria V. per annum Officium SS. Sacramenti*, occurrente in eadem Feria V. quocumque Officio novem lectionum, etiam translato, omissa recitatione SS. Sacramenti, facienda est Officium ea die occurrens, etiam si esset de die infra Octavam. S. R. C. 1. Octobr. 1740. apud Cavaler. to. 2. par. 2. c. 43. d. 21. quod inseruit d. 15. n. 7.

Hujusmodi autem Votivum Officium SS. Sacramenti adnexum Feria V., ea impedita, non potest in alia, vel praecedenti, vel subsequenti Feria recitari: ut animadvertisimus cit. par. 1. c. 2. n. 4.

6 Qu. III. De ritu, & ordine recitandi hoc Officium Votivum Santissimi Corporis Christi.

R. Recitantes ex legitima concessione Officium SS. Corporis Christi in qualibet Feria V. per annum non impedita Feso novem lectionum, illud persolvere debent ut in die ejusdem solemnitatis. S. R. C. 12. Julii 1664. in una Ord. Minor. de Observantia. apud Caval. to. 2. c. 24. At vero: In Officio SS. Sacramenti concessio ex Indulito Apostolico extra tempus Paschale, non potest dici Alleluja in Responsoriis Matutini, & Versiculis Laudum, Responsoriis brevibus Horarum, & Versiculis ad Magnificat, ut recitatur in Feso SS. Sacramenti. S. R. C. 10. Decembr. 1740. in Salisburgen. apud Caval. 1. cit. d. 15. & to. 4. c. 9. Comment. in decr. 1. n. 4. & in opere Merati in 2. append. Decret. Breviar. n. 410. Item Officium SS. Sacramenti, quod recitatur ex privilegio in Feria V. non

impedita per annum a Festis duplicitibus, vel semiduplicibus, demptis quoque feriis Adventus Quadragesime &c. Si concurrat in Vesperis cum alio Officio semiduplici, dividit Vespertas a Capitulo. S. R. C. 1. Julii 1747. in Zagabrien. apud Caval. tom. 2. in append. ad cap. 28. d. 5. si videlicet celebretur sub ritu semiduplici; nam in semiduplicium concurrentias non attenditur Festorum dignitas, nec locum habet Rubr. de concur. num. -2. versu: *Inter Festas*. Vide Caval. to. 2. c. 18. d. 11. nu. 13. Porro ut animadvertisit idem Caval. in supracit. decr. 14. nu. 2. licet hoc Officium Votivum SS. Corporis Christi recitandum esse dicatur, ex superiori allegato decreto, *ut in die ejusdem solemnitatis*; & licet dictio: *Ut*: stet similitudinare, denotetque omnimodam similitudinem in substantia, & qualitate, quapropter dubium non sit, Officium recitandum esse, prout extat in die solemnitatis SS. Corporis Christi; non adeo tamen omnimodam similitudinem importat, ut in quibusdam accidentibus non subeat varietatem, causa vel Indultronum, vel temporum rationis, ob quae illa accidentia fuerunt inventa; ut patet ex secundo inter decreta allata n. præc. & adhuc melius explicabitur.

Itaque quoad ritum, seu classem 7 attinet, hoc Officium est semiduplicis, vel duplex minus, prout servunt respectiva Indulta. Primæ, & secundæ Vesperæ ordinentur juxta Rubricas generales de concurrentia Officii. Omnia sumuntur ex die solemnitatis SS. Corporis Christi.

In Vespere, & Laudibus, si sub ritu semiduplici celebretur, fiant

M m 2 Com-

Commemorations communes , seu suffragia de Sanctis : Tempore paschali vero , iis omissis , fiat commemoratio consueta de Cruce . Si occurrat festum simplex , fit de eo commemoratio ante ipsa suffragia , & commemorationem prædictam . In Officio SS. Sacramenti , quod recitatur singulis quintis Feriis in Germania ; & in Officio Immaculatae Conceptionis , quod ex indulto S. R. C. recitatur in Germania sub ritu duplice in Sabbato , quoad Commemorations in his faciendas , servetur Rubrica de commemorationibus . S. R. C. 23. Junii 1736. in Einsidlen apud Merat. ind. decr. Brev. nu. 333. & Caval. to. 2. c. 24. d. 12. Nimirum Officia etiam Votiva , si sub ritu duplice celebrentur , Commemorations communes , seu suffragia Sanctorum excludunt . Vid. Caval. loc. cit. n. 1. Dicantur preces ad Completorium , si hoc Officium sub ritu semiduplici celebretur , & non concurrat cum duplice , aut duplex cum eo : Item ad Completorium Feriae quartæ dicuntur in fine hymni : *Jesu tibi &c. Qui natus es de Virgine* : etiamsi in Vesperis facta sit tantum commemoratio de SS. Sacramento ; nisi hymni illius Festi , quod Feria quartæ celebratum est , habeant ultimam stropham propriam , qua sint concludendi . Eodem modo terminantur hymni per Horas minores in Feria V. usque ad Completorium inclusive : dummodo in Vesperis fiat de SS. Corpore Christi saltem commemoratio , & hymnus Vesperarum sit ejusdem metri , nec habeat Festum sequens conclusionem propriam . *Rubr. de hoc Offic. hebd.*

⁸ Ad Matutinum lectiones 1. Nocturni semper erunt de Scriptura oc-

current. lectiones 2. & 3. noctur. ut in proprio libello impresso pro hujusmodi privilegiatorum commodo juxta mensium diversitatē . Dicit Caval. to. 2. c. 24. in decr. 14. num. 4. quod si mense aliquo plures Officium fieri eveniat de SS. Corpore Christi ; admodum erit laudabile , non semper recitare lectiones eisdem , sed ad varietatem sumere eas , quæ in altero mense locum non habent , vel minus recitentur . Quoniam vero , et si hujusmodi lectiones per menses sint distributæ , nullum inter se habent necessarium ordinem , aut connexionem ; nihil vetat in posterioribus mensibus , ad varietatem , legi lectiones præcedentium , quæ lectæ non fuerunt , et si in mensibus intermediis lectæ fuerint illæ , quæ iisdem sunt assignatae . Ita Caval.

Si contingat fieri commemoratio de aliquo Sancto , qui propriam habeat lectionem ; nona lectio legitur de Sancto : si habuerit duas lectiones , ex duabus fit una . Porro ut notat Caval. l. cit. num. 5. privilegium excludendi nonam lectionem occurrentis simplicis , quo donatur Octava Corporis Christi , in Officium votivum minime derivat : ad maiorem namque diversitatem postremis temporibus reperitur concessum : qua quidem solemnitate caret hoc Officium Votivum per annum . In Laudibus fiant Commemorations , ut supra notavimus pro Vesperis , si celebretur sub ritu semid.

Ad Primam in R. br. dicuntur *Qui natus es* , & dicantur Preces Dominicales , si celebretur sub ritu semiduplici . Denique ad Horas , & in 2. Vesperis , & Completorio fiat . ut supra dictum est n. 6.

An

9 An autem *Alleluja* tacendum sit in Antiphonis Laudum? Negat Caval. in cit. d. 15. nū. 5. eo quod allegatum Decretum id non præscribit: si voluisse, expressuisse utique.

In Paschate autem, seu tempore paschali dicenda sunt *Alleluja* juxta Rubricam de tempore paschali, & similiter juxta alias Rubricas ejusdem temporis hoc officium tunc recitandum. Quapropter tempore paschali omnia dicuntur, ut in die solemnitatis Corporis Christi: sed tres psalmi cuiuslibet Nocturni dicuntur sub prima Antiphona respectivi Nocturni. In fine Invitatorii, Antiphonarum, *V. & R.* additur *Alleluja*, ubi non habetur. Responsoria brevia tunc dicenda, erunt ut in die solemnitatis, & in *R. br.* ad Primam duplicabitur *Alleluja*, & dicetur *V. Qui natus es*; & in fine hymnor. *Iesu tibi*, ut supra num. 7.

S E C T I O II.

De Missa

10 Qui recitant hodie Officium Votum Hebdomaticum SS. Sacramenti, dicant Missam de SS. Sacramento ut in Votivis ad calcem Missalis Rom. ex Decr. S. R. Cong. 12. Julii 1664. in una Ordinis Minor. Observant. apud Caval. to. 2. c. 24. d. 14. Quod decretum ignoravit Petrus Conti Opusc. de Offic. menstr. & Hebdom. Opusc. 1. l. 2. c. 1. pun. 1. §. 5. ubi a n. 254. conatur probare, dici posse Missam, ut in Festo Corporis Christi.

11 In hac Missa dicatur *Gloria in excelsis*; ut probat Petrus Conti l. cit.

n. 260. quia ex Rubr. Missal. tit. 8. n. 3. dicitur *Gloria in Missa*, quando in Officio ad Matutinum dicitur *Te Deum*; sed in hoc Officio recitatur *Te Deum*; ergo in hac Missa, quæ concordat Officio, recitandum *Gloria in excelsis*. Et quamvis in Missa Votiva de Sacramento non dicatur *Gloria* juxta Rubr. Miss. id tamen intelligendum est, quando Missa Votiva dicitur ut proprie talis; videlicet, quando non concordat Officio. Ideo enim illæ Missæ in fine Missalis descriptæ nuncupantur Votivæ, quia dicuntur pro Voto, seu pro desiderio, & pro libito Celebrantis, vel petentis Missam, quando id permisum sit ex Rubricis; Confer dicenda in Sæbbato n. 40. versu *Profecto Missæ Votivæ*. Hæc autem Missa votiva de SS. Sacramento; posito quod de eodem recitetur Officium, Officio concordat, adeoque non est proprie loquendo Votiva; quapropter non debet pati privationem hymni Angelici prædicti; ut etiam animadvertis Caval. l. cit. n. 6. & Meratus to. 1. par. 1. tit. 4. n. 29. sed & expresse præscribitur id in Rubricis adnexis huic Officio Hebdomatico SS. Sacramenti.

In hac eadem Missa dicitur 2. & 12. 3. Or. pro diversitate temporis per annum. Rub. adnexa huic Officio Hebd. n. 8. Caval. comment. in cit. d. 14. n. 6. allegat etiam pro hac re decretum S. R. C. 4. Julii 1705. quod describit to. 4. c. 7. d. 42. nosque dabimus in Appendice ad calcem Diarii c. 3. n. 25. Verum in illo Decreto sermo est de Missis votivis vere, & proprie talibus, seu quæ non concordant Officio. Ab Octava Paschæ usque ad Ascensionem 2. or. de S. Maria *Concede nos.*

3. Ec-

3. Ecclæsæ, vel pro Papa. Rubr. gen. Miss. tit. 9. n. 6. Ab Octava Epiphaniæ usque ad Purificationem 2. or. de B. V. Deus qui salutis. 3. Ecclæsæ, vel pro Papa. Rubr. cit. nu. 3. Etiam si autem transferatur Festum Purificationis, non ideo tamen dicuntur ulterius præfatae duæ orationes, sed cessant a die 2. Februarii; vide dicenda 2. Februarii art. 4. n. 61. A Purificatione, videlicet post diem secundam Februarii usque ad Quadragesimam, & ab Octava Pentecostes usque ad Adventum 2. or. *A cunctis*. 3. ad libitum. Dicitur itaque in hac Missa votiva Hebdomatica SS. Sacramenti 2. & 3. or. pro diversitate temporis per annum modo prædicto; nisi facienda sit aliqua commemoratio; tunc enim 2. or. erit de simplici, 3. or. quæ secundo loco assignatur ratione temporis, ut explicatum est. An sit inclinandum caput, ubi nominatur Sacramentum? vide in Appendice ad calcem Diarii, c. 3. n. 25.

13 Non dicitur *Credo*, ex Rubrica annexa huic Officio Hebd. n. 8. & Decr. S. C. R. 26. Augusti 1752. quod dedimus par. 1. c. 2. n. 5. Id etiam docet Caval. in cit. d. 14. n. 6. ex eo quia non est Missa solemnis, sed semiduplex; (Porro ritus semiduplex non sapis solemnitatem, juxta præsentem disciplinam Ecclesiæ; licet aliquando *solemne*, & *solemniter* fuerit etiam usurpatum ad significandum Festum semiduplex; confer Merat. to. 2. Sect. 2. c. 2. n. 7.) Igitur hæc Missa, quemadmodum Officium, non habet solemnitatem Festi, vel Octavæ SS. Corporis Christi. Idipsum docet Tobias Lohner apud Petrum Conti l. cit. pu. 2. §. 5. n. 327. & Guyetus apud

eumdem l. 3. pu. 6. §. 1. n. 519. ubi fatetur, esse sententiam communem; licet ipse Conti contrarium insinuare conetur, sed jam non est audiendus. Docet autem Caval. to. 5. c. 12. n. 18. (alias 19.) dicendum esse *Credo*, ubi Officium votivum hoc SS. Sacramenti celebraretur sub rito duplice. Præfatio de Nativitate tantum: Rubr. loc. cit. In fine Missæ: *Ite Missa est*, quia dictum est *Gloria in excelsis*.

Tempore Paschali additur ad Introitum duplex *Alleluja*, & unum in fine Offertorii, & Communionis. Eodem tempore Paschali post Epistolam omittitur Graduale, & ejus loco dicuntur *Alleluja*, & versus ut in Votiva de SS. Sacramento habetur pro dicto tempore. Infra Hebdomadas Septuagesimæ, & Sexagesimæ post Graduale, omissa *Alleluja* & *V. sequenti*, dicitur Tractus, ut in cit. Missa votiva habetur.

Qu. I. Utrum in Missa hujus Officii Votivi Hebdomatici SS. Sacramenti, possit dici Sequentia: *Lauda Sion?*

& Negative, quia ex decreto S. C. R. superius allegato, quando prædictam Officium recitatur, qui legit Missam de SS. Sacramento, debet illam legere, ut in communi in Missali, seu ut in Votivis. Sed etiam adest decretum expressum S. C. R. 18. Junii 1689. apud Lucium Ferrar. V. Offic. Divin. art. 3. nu. 113. declarans non esse dicendam. Porro ut notat Caval. in sup. cit. d. 14. n. 6. Missa Festi habet Sequentiam, quæ est nota solemnitatis, ac insuper additionem versus *Alleluja* instar Paschalis temporis: quare jure visa est minus apta dici per annum: sed magis Votiva, quæ cæ-

te-

teroquin in reliquis convenit cum Missa Festi.

Multo minus poterit prefata Sequentia recitari in Missa vere, proprieque Votiva, seu quæ non concordet Officio; quod veniale fore, docet Franciscus de-Lugo lib. 5. de Missa, c. 9. qu. 8. n. 30. & universaliter docent plerique Doctores apud laudatum Lugo loc. cit. non posse Sacerdotem Missam propriam aliquorum Festorum dicere tamquam votivam (intellige vere, & proprie talem) extra Festum (adde & Octavam, si habent, quia facit unum eum die Festo: unde infra Octavam dici solet Missa ut in Festo, si propria non assignatur): Si Missale ponat Missam Votivam de tali titulo, seu Festo, v. g. de Passione, de Spiritu Sancto, de Trinitate &c. nam ideo ponit Missas Votivas horum Festorum, quæ congruenter dicantur aliis diebus per annum. Vide dicenda in Sab. art. 4. Sect. 2. n. 40. Si autem celebretur Missa Votiva solemnis de Sacramento infra Octavam Corporis Christi, an debeat dici ut in Festo, atque adeo Sequentia recitari? Vide in Appendice ad calcem Diarii, c. 3. de exposit. SS. Sacram. ar. 1. n. 24.

16 Qu. II. Utrum sint prohibitæ Missæ de Requiem & Votivæ, quando recitetur Officium Votivum SS. Sacramenti; quemadmodum prefatæ Missæ interdiæ sunt infra Octavam Corporis Christi?

&. Negative. Octavæ enim Corporis Christi hujusmodi privilegium conceditur ob solemnitatem, maioremque celebritatem, qua tamen caret Officium Votivum. Caval. in sup. cit. d. 14. n. 5.

17 Qu. III. Si, quando recitatur Of-

ficium Hebdomaticum SS. Sacramenti, legatur alia Missa Votiva non habens Praefationem propriam, utrum dicenda sit Praefatio de Nativitate, quæ dicenda foret, si legeretur Missa de SS. Sacramento, ut supra prescriptum est?

&. Negative. Sed dicenda est Praefatio communis quotidiana, aut de tempore, si sit tempus habens Praefationem propriam, puta tempus Paschale. Constat ex sequenti declaratione S. C. R. Quando per annum fit apud privilegiatos Officium de Immaculata Concepcione, vel sub alio Titulo, vel de S. Maria in Sabbato, vel de SS. Sacramento; si dicatur aliqua Missa Votiva non habens Praefationem propriam, Praefatio debet esse de communi, vel de tempore, si tunc specialis dicatur, non vero ea, quæ est conformis Officio, & servetur Rubrica gener. tit. 12. S. R. C. 16. Junii 1708. in Parisien. apud Caval. to. 5. c. 14. n. 38. In allegato autem tit. 12. n. 4. sic legitur. In Missis Votivis dicitur Praefatio propria, si propriam habeant, si vero non habuerint, dicitur Praefatio de tempore vel Octava, infra quam conigerit hujusmodi Missas celebrari, alioquin Praefatio communis. Nulla hic mentio fit Praefationis correspondentis Officio, quod recitatur, si forte propriam habeat. Validum utique argumentum, ait Cavalerius, l. cit. n. 47. fine, ad comprobandum, nullam in Missis Votivis habendam esse rationem illius.

AR-

ARTICULUS III.

*De Pia Commemoratione Institutionis
SS. Eucharistiae sub noctem
Feriae V.*

- 18 ALICUBI, ut in nostra Sicilia, quilibet Feria V. noctis hora secunda, seu duabus horis postquam tenebrae factae sunt, Festivo Campanarum pulsu signum datur, ad faciendam Commemorationem Institutionis SS. Eucharistiae, recitando hymnum *Pange lingua gloriosi Corporis Mysterium*, cum consueto *V. Panem de Cælo & R. Omne delectamentum*, atque oratione, *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili*. Celebratur autem hujusmodi commemoratione in Feria V. quia in hac Feria Christus Dominus transiit de hoc Mundo ad Pa-

trem, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum instituit; instituit enim illud, pridie quam pateretur. Passus est autem in Parasceve, seu in Feria VI. Fit autem commemoratione haec noctis tempore, eo quod noctis tempore fuerit Eucharistiae peracta institutio, ut ex Evangelistis habetur, & scribit item Apostolus 1. ad Corint. c. 11. v. 23. & 24. Quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit; accipite, & manducate; hoc est Corpus meum.

Denique Commemoratione haec habetur hora praedicta; quia circa hanc horam creditur Christus consecrasse panem, & vinum in Sacramentum Corporis, & Sanguinis sui; & ita sentit, atque argumentis insinuat Suarez to. 3. in 3. par. disp. 41. Sect. 4. fine.



CA-

C A P U T V I.

N O T A N D A I N F E R I A VI.

E X P L I C A N T U R A R T I C U L I S V.

- Art. I. *De Abstinentia a Carne.*
- Art. II. *De Missis Votivis Passionis, & Crucis.*
- Art. III. *Nor. pro Officio Sancte Maria in Sabbato.*
- Art. IV. *De Indulgentiis.*
- Art. V. *De quadam Superstitione.*

A R T I C U L U S I.

De Abstinentia a Carne.

ECCLESIA Catholica abstinet a carne in Feria VI. Dubitandum non est, hujusmodi abstinentiam esse Apostolorum traditionem, idque colligitur ex Ignatio M. epist. ad Philip. prope finem ex ordine 5. in edit. Lugdun. 1582. pag. 420. Tertulliano lib. adversus Psychicos c. 14. Ex vulgato Clemente Romano tribus in locis Constitutionum Apostolicarum lib. 5. c. 16. c. 19. & c. ult. Quæ quidem Constitutiones etiæ nec Apostolorum, neque Clementis Romani sint; nihilo minus collectæ creduntur ex pluribus Conciliis ante Nicænam Synodum celebratis; conscriptaque ab Auctore, qui floruerit Sæculo saltem tertio decurrente. Vid. Merat. to. I. par. I. in præliminar. n. 26. Item illud colligitur ex Clem. Alex. lib. 7. Strom. Petro Alex. in Can. 15. Cyrill. Alex. lib. 10. in Levitic. Epiphan. in compend. exposition. Fid. Augustin. epist. 86.

Rursus jejunium Feriæ VI. commemorat Origenes homil. 10. in Levit. Hieronymus in epist. ad Galat. TOM. I.

c. 4. v. 10. & apud Palladium in vita Apollonii ex dictis ejus habetur id, quod refertur in C. jejunia 16. dist. 3. de consecr. ubi dicitur: jejunium sextæ Feriæ non esse solvendum, *Nisi grandis aliqua necessitas fuerit*. Ex quibus, & similibus testimoniorum patet, jam olim in Ecclesia fuisse consuetudinem jejunandi in Feria sexta; unde Leo IV. relatus C. de esu carnium. 11. dist. 3. de consecr. consuetudinem abstinentiæ a carne in Feria VI. vocat vetustissimam, & non improbandam traditionem; quamque monet semper esse tenendam.

Putant plerique contra nonnullos in Feria sexta olim fuisse jejunium perfectum; hoc est, præter abstinentiam a carne, unicam quoque refectionem fuisse servatam: ita Joannes Beleth de divin. Offic. c. 78. Azor. Instit. Moral. par. I. lib. 7. c. 15. qu. 3. & alii. Idque colligit Azorius, ex Epiphan. hæref. 75. & ex cit. C. de esu carnium. Quod tamen jejunium perfectum remittebatur quoad unicam refectionem toto tempore intra Pascha, & Pentecosten. Vide Azor. I. cit. c. 16. qu. 8.

Nunc autem certe non tenentur fideles ex præcepto, aut consuetu-

N n dinc

dine Ecclesiæ universalis ad jejunium perfectum in Feria VI. sed solum ad imperfectum, ad abstinentiam nimirum a carne: ut habetur ex Nicolao I. ad Consulta Bulgarorum c. 5. ubi Pontifex solum dicit; in Feria VI. esse carnibus abstinendum. Rursus de sola abstinentia carnis fit mentio inter quinque vulgata Ecclesiæ præcepta: est enim jam hæc abstinentia a carne in Feria VI. etiam ex præcepto Ecclesiæ. Nunc autem esse solum obligationem, ad abstinendum a carne, habet sepsus & praxis communis fidelium, & docent Doctores. Quæ quidem abstinentia jam ab antiquis temporibus obligavit sub mortali, ut colligitur ex laudato C. jejunia; ubi, ut supra diximus, monetur, jejunium Feriæ sextæ non esse solvendum, nisi grandis aliqua necessitas fuerit; & insuper asseritur: qui hoc die sine necessitate solvisset statutum jejunium, videri cum crucifigentibus crucifigere Salvatorem; & habetur etiam ex Epiphanio hær. 75. & 80. Petro Alex. I. cit. & aliis antiquis Scriptoribus. Item Glossa in cit. C. de esu carnium in V. quarta Feriæ. ait: De quarta Feria est consilium, de sexta præceptum; abstinendi a carnibus. Et etiam nunc obligat sub gravi abstinentia a carne in Feria VI. numeraturque inter quinque vulgata præcepta Ecclesiæ, ut jam diximus; quæ præcepta Ecclesiæ per se obligant sub gravi; & ita habet communis sensus fidelium, & docent Doctores. Azor, loc. cit. Sylvester V. jejunium qu. 10. n. 27. La-Croix lib. 3. par. 2. qu. 236. §. 1. & cæteri Theologi morales, ubi de hac abstinentia.

2. Causam vero, & finem extrinse-

cum levandi prædictum jejunium si-
ye abstinentiam in Feria VI., do-
cent uniformiter Patres, & Docto-
res esse memoriam Passionis, &
Mortis Domini Salvatoris, quam
propter nos homines, & propter no-
stram salutem hac die subire digna-
tus est; & ob Apostolorum hac ipsa
de causa maiestitiam; Ita Innocen-
tius I. epist. 1. (alias 25.) ad De-
centium Episcopum c. 4. n. 7. ubi
inquit: *Sexta Feria propter passionem
Domini jejunamus. Sabbatum preter-
mittere non debemus, quod inter tri-
stitiam atque lætitiam temporis illius
videtur inclusum.* Nam utique constat,
Apostolos biduo isto & in merore suis-
se, & propter metum Judeorum se
occultaruisse. Quod utique non dubium
est, in tantum eos jejunasse biduo me-
morato, ut traditio Ecclesiæ habet
C. Quæ utique forma (jejunandi) per
singulas tenenda est hebdomadas, pro-
pter id, quod commemoratione diei illius
semper est observanda. Hæc Innocen-
tius I. Similiter Nicolaus I. loc. cit.
Augustinus ep. 86. Vulgatus Clemens
Rom. lib. 5. Constit. Apostol. cap.
ultimo. Isidorus de Offic. eccl. lib.
1. c. 42. Apollonius in C. *jejunia*
16. dist. 3. de consecr. S. Epiph.
in compend. exposit. fid. Petrus A-
lex. I. cit. & alii passim.

Dixi: hanc esse causam, & fi-
nem extrinsecum; quia finis intrin-
secus præcepti ecclesiastici abstinen-
tiæ a carne est honestas ipsa virtu-
tis temperantia, quæ in iustitudi
abstinentia continentur: Corporis i-
tem mortificatio, & carnis nostra
prudens, & moderata maceratio; et
enim per voluntarias afflictiones carna
concupiscentiæ moritur, virtutibus spi-
ritus innaturatur. Ut S. Leo I. ait
serm. 2. de jejun. decimi mens.

Qu.

3 Qu. I. Quid veniat nomine **Carnis Ecclesiastico** præcepto prohibitæ?
 & Veniunt corpora animalium, non tantum omnium, sed solum eorum, quæ communis existimatio hominum, & consuetus usus Ecclesiæ jam decrevit esse carnes prohibitas. Porro in hac, & similibus materiis existimatio prudens, & communis dominum est maxime attendenda. Sed etiam in re presenti habitus est, & haberi semper debet respectus ad finem Ecclesiæ, quæ propterea prohibet certis diebus, atque temporibus carnes prædictas, quia sunt alimenta multum nutrientia, hominumque vires admodum reficiantia. Tambur. in decal. lib. 4. c. 5. §. 1. n. 10. & in 4. præc. Eccl. c. 3. n. 2. Bonac. to. 2. disput. ult. de præc. Eccl. qu. 1. pu. 2. n. 1. Azor. Instr. Moral. par. 1. lib. 7. c. 10. qu. 6. fine. Enimvero Ecclesia per hujusmodi abstinentiam, præter honestatem, quæ in ipsa est, ut pertinet ad virtutem Temperantiae, intendit etiam corporis nostri mortificationem, & macerationem, ut modo notatum est: hanc autem intendit, ut carnis nostræ adversus spiritum nostrum concupiscentis vires reprimantur.

4 Dixi 1. Nomine carnis Ecclesiastico præcepto prohibitæ venire corpora **Animalium**, quo nomine veniunt etiam corpora humana; quamvis enim humanas comedere carnes, sit aliunde prohibitum ipso jure naturæ: adhuc tamen est prohibitum jure Ecclesiastico; quia humana corpora sunt vere, & propriè caro, qualis ab Ecclesia intelligitur in sui ipsius præcepto, quo certis diebus, sive temporibus eum carnium interdicit.

Diversa etiant sunt motiva juris naturæ, & juris Ecclesiastici; hæc significavimus supra; illa vidéri possunt apud Lessium loc. infr. cit.

Ex qua doctrina sequitur, quod duo peccata committeret, qui carnem humanam comederet die, quo ex præcepto Ecclesiæ sunt carnes prohibitæ: unum contra præceptum Ecclesiæ; alterum & quidem gravius contra præceptum naturæ, quæ & ipsa hujusmodi comedionem aversatur quam maxime.

An autem carnes humanas comedere, sit intrinsece malum, ita ut nec in necessitate extrema, aut ad famem mortalem sedandam, aut ad morbum mortiferum, vel gravissimum expellendum, quod forte aliud non patiatur remedium, illas liceat adhibere? Alii negant probabiliter, alii probabiliter item affirmant: Vide Dianam edit. coord. to. 7. tr. 5. R. 76. Lessium de Just. lib. 4. c. 3. dub. 2. Th. Sanchez in Decal. to. 1. lib. 1. c. 18. a n. 11. Tolet. Instr. Sacerd. lib. 8. c. 60. n. 3. Sa. v. comedere n. 1. qui affirmat licere in prædicto casu necessitatis extremae. Tambur. in Parerg. ad 4. præ Eccl. disput. unica de pecc. circa cib. & pot. c. 2. a n. 1. qui affirmant licere in prædicto casu necessitatis extremae. Item vide Azorium Instr. Moral. par. 1. I. 7. c. 22. qu. 4. qui negativæ sententiae magis adhæret; quique etiam animadvertisit, esse nefas, carnes humanas bestiis devorandas objicere: etsi non desint, qui putent, id aliquando licere in vindictam publicam ad aliorum terrorum.

Dixi 2. Ecclesiastico præcepto prohiberi carnes animalium, non tamen omnium. Profecto Animalia in aquis

viventia , seu quæ extra aquas diu vivere non valent , quæque Pisces dicuntur ; inter carnes Ecclesiastico præcepto prohibitas minime censentur . Bonac. I. cit. Azor. Inst. Moral. par. I. l. 7. c. 10. qu. 6. fine , & est opinio communis .

Nec sunt audiendi Jo. Beleth de div. Offic. c. 80. fine , & Durandus in Rationali lib. 6. c. 7. n. 22. qui dicunt , quod , cum quidam pisces sint habentes ex una parte formam quadrupedis Animalis , & ex altera pisces , possint quidem comedи ex parte , quæ pisces videtur ; ex alia vero minime , in diebus , quibus carnes interdictæ sunt . Quod absque ullo fundamento asseritur : vel enim absolute , & simpliciter inter pisces ; vel absolute , & simpliciter inter carnes veritas hujusmodi sunt animalia computanda . Vide dicenda n. 7. Deinde communis sententia , ut dictum est , generatim , & absolute pronunciat de omnibus , & singulis animalibus diu in aquis viventibus , ea absolute , & simpliciter inter carnes prohibitas censenda non esse .

Ranæ quoque , etsi extra aquas diu vivant , inter carnes tamen minime computantur ex uniuersali usu . Lutram (ex amphibiis animalibus , de qua Plinius hist. animal. c. 30. fine) Salmanticenf. to. 5. tr. 23. c. 2. pu. 2. §. 1. n. 14. ut verisimilius tenent , esse pisces . Sunt nonnulla volatilia pennata , quæ nimium delestantur aquis innatare , vel quia sibi utiles , vel quia in illis proprium competentem cibum Natura mirabilis appetere dedit , & querere docuit . Hæc etsi inter carnes veritas computanda esse doceant Jo. Beleth , & Durandus II. cit. Salmantic. to. 5. tr. 23. c. 2. pu. 2. §. 1. n. 14. & Fa-

gund. apud Tambur. in 4. præc. Eccl. c. 3. n. 4. nihilominus , cum vitam aquis immersam degere videantur , quasi pennati pisces reputantur in nonnullis locis , & carnes minime prohibite esse censentur ; quod licite fiet , si quidem pii , probique viri receperint , & Ecclesiæ Pa- stores annuerint . Hac enim in re , ut initio dictum est , moralis existimationis , & humani judicii ab Ecclesia approbati ratio habenda est ; habito semper respectu ad finem supradictum Ecclesiæ , quæ nimis carnies prohibet , ut sunt alimenta multum nutrientia , & hominum vires admodum reficiantia . Et hinc est , quod pisces minime prohibeat , quia Pisces hoc minime præstant . Cæterum expedit pro solutione prædicti dubii , si occurrat in particulari aliqua species hujusmodi volatilium , consulere Apostolicam Sedem ; Ita Benedictus XIV. de Synodo Diœces. lib. 11. c. 5. n. 12. fine . Ex eo autem quod Ecclesia ideo carnes prohibeat , ut sunt alimenta multum nutrientia , & hominum vires admodum reficiantia , non censentur secundo inter carnes prohibitas Testudines terræ , & Conchæ , seu Limaces , & Locustæ , quamvis sint animalia extra aquam viventia . Tambur. in Decal. lib. 4 c. 5. §. 1. n. 10. & in 4. præc. Eccl. c. 3. n. 1. Salmanticenf. to. 5. tr. 23. c. 2. pu. 2. §. 1. n. 14. La-Croix lib. 3. par. 2. qu. 238. §. 1. Bonac. I. cit. & de Limacibus etiam Navar. in Man. c. 21. n. 15. & de Locustis etiam Azorius Instit. Moral. par. I. lib. 7. c. 10. qu. 6. fine .

Chamæleon autem inter carnes prohibitas debet adscribi ex Salman- tic. loc. cit. aliisque apud Tambur.

in

in 4. præc. Ecclesiæ cit. c. 3. n. 3. ubi etiam inter carnes censentur Lacertæ terrestres; sed tum Lacertæ tum Chamæleon, dubitari posse, an sint carnes prohibitæ, indicat Tambur. ibi nu. 3. quid de Viperis judicandum? statim infra dicemus.

6 Interrogabis hic I. Si forte apparet Animal nobis incognitum, & incidat dubitatio, an sit caro prohibita, nec ne? Quomodo solvenda sit questio?

R. Recurrendum ad indicia Animalis carni, & arguendum a notis ad ignota. Indicium autem animalis carni, aliqui dicunt, esse, si possit diu vivere extra aquas. Haec regula, & hujusmodi indicium, si solum proponatur, merito rejicitur a Tambur. in decal. l. cit. qui re&te notat, etiam Testudines Terræ, & Limaces extra aquas vivere, & tamen inter carnes prohibitas non annumerantur, ut modo supra docuimus.

Dieo itaque, indicium Animalis carni in prædicto dubio esse, quod simile sit animalibus, quæ carnea censentur modo explicato. Similitudo autem hæc est triplex: Primo quod terrestre sit, vel extra aquam diu vivat. Secundo, ut quoad formam similius sit animalibus certo carneis modo explicato. Tertio, & præcipue ut pars præstet nutritionem validam, viresque similiter reficiat comedentium. Sic enim servatur regula ducta ex communi hominum existimatione, & consueto usu habendi pro carnibus prohibitis corpora illorum animalium, quorum eus validè nutriat, & humanas vires admodum reficiat: ita enim æquum est, haberis respectum ad prædictum finem Ecclesiæ, ob

quem prohibet carnes. Vide Tambur. in decal. loc. cit. nu. 11. La-Croix, & Bonac. ll. cit. Benedict. XIV. de Synod. Diœces. l. 11. c. 5. n. 12. Hinc Tambur. n. 12. incusat ad dicendum: Viperas non esse recensendas inter carnes prohibitas: quia Viperæ simillores sunt Anguillis, quæ prohibitæ non sunt, utpote pisces, quam cæteris animalibus prohibitis; item videntur esse nutritionis exiguae, cum sint multum terrestres, atque admodum medicinales; ita Tamb. cuius opinionem refert etiam, nec contradicit La-Croix l. cit. Et vero si illa duo, quæ Tambur. tribuit Viperis, admittantur, favet Tamburino Benedict. XIV. loc. cit. ubi quidem meminist hujusmodi exempli de Viperis a Tambur. propositi.

Post inquisitionem vero remanente dubio, an aliquod animal constet carne prohibita, nec ne? Docet Pasqu. & Gob. & videtur approbare La-Croix l. cit. censeri posse, quod non: quia est possessio pro libertate comedendi, quamdiu non probetur esse prohibitum. Cæterum expedit pro solutione hujusmodi dubii, si occurrat in particulari aliqua species animalium, consulere Apostolicam Sedem, ut supra monuimus ex Benedict. XIV. loquentes de quibusdam volatilibus.

Interrog. II. Utrum animalis carni partes omnes prohibitæ sint, quando carnes interdicuntur?

R. Omnes utique illius partes, quæ sunt quomodocumque ejusdem constitutivæ: quia dum animal prohibetur, non possunt non prohiberi omnes ejus partes, quæ ipsum constituunt: ut cartilagines, nervi, medulla, lingua &c. Tambur. in de-

decal. l. cit. nu. 13. & rursus de præc. Eccl. tr. 4 c. 3. num. 6. & Diana tom. 4. edit. coord. tr. 6. Ref. 70. §. 2. Vide tamen dicenda in Sabbato art. 7. n. 54.

- 8 Interrog. III. An jus ex carnisibus prohibitis sit caro?

R. Affirmative: Continet enim partes subtiliores substantia carnis per etiacionem aliquarum. Et quidem si in hac re attendi maxime debet communis hominum existimatio, illam habemus de facto testantem, jus esse carnem, unde etiam usus inter carnes justenumeratur. Vid. Tambur. in decal. l. cit. n. 13. & in 4. præc. Eccl. c. 3. nu. 6. Salmanticens. tom. 5. tr. 23. c. 2. pu. 2. §. 1. n. 15. Andream Mendo in Statuta opin. benign. dissert. 8. qu. 4. nu. 18. Tho. Sanch. in Sum. l. 4. c. 11. n. 48.

- 9 Interrog. IV. An ova, quæ intra Gallinas inveniuntur, sint caro?

R. Tria ovorum genera inveniri possunt intra Gallinas. Primo ova perfecta, & completa, cum ipso etiam putamine, seu cortice duro: & de hujusmodi ovis non est dubium, ea non esse carnem in sensu intento a præsentis quæstione: quidquid in contrarium affirmet. Jo. Beleth de divini. Offic. cap. 8. & c. 121. Quantumvis etiam adducat auctoritatem Hieronymi contra Jovinianum absolute dicentis: ovum, lac, & caseum nihil aliud esse, quam carnem liquidam: id tamen nihil evincit ob eandem rationem, ex qua Lac & Caseus non sunt Caro in sensu præsentis quæstionis. Secundum genus ovorum est illorum, quæ intra Gallinas inveniuntur absque perfecto putamine, seu prædicto duro cortice; verum sunt sere com-

pleta, quia vitellum habent, albamine circumvolutum, & albumen membrana jam tectum est, licet ea nondum in corticem perfectum obduraverint, quæ ova nos Siculi dicimus: *Ova papari*, & de his etiam ovis dicendum; ea non esse carnem, quia consuetudo communis ita habet: & ratio ipsa fraudet; quia jam quoad substantiam ipsissima ova sunt, ac illa, quæ jam habent putamen seu durum corticem; nec prædicta ova obdurato jam cortice mutabuntur intrinsecus: perfecta enim intrinsecus sunt, atque completa; nec parti alicui carnes adherent, ex qua ulterius alimentum trahant: Unde ea non esse carnem expresse docet Tambur. in Decal. l. 5. §. 1. n. 19.

Dubium autem esse potest de tertio ovorum genere, quæ intra Gallinas inveniuntur. Tertium enim genus est illorum, quæ solum habent vitellum adhuc racemo carnem adhaerens, ex quo succum trahit nutritium; & vocari solet *ova non nata*. Jam vero de hujusmodi ovis Diana edit. coord. to. 4. tr. 6. Resol. 52. §. 4. absolute docet, neque ea esse carnem, & posse consequenter comedи, sicut cætera ova perfecta: quia, ait, sunt ejusdem speciei, & generantur ex eadem materia, qua generantur ova perfecta, quæ pariunt Gallinæ. Idem sentit Tambur. in decal. l. cit. & de præc. eccl. tr. 4. c. 3. num. 12. excipit tamen racemum illum, unde prædicta ova pendent: quia, ait, hæc sunt eadem substantia, ac cætera quævis ora, licet magis, minusve completa; ille vero racemus est ipsissima caro.

Bardi autem apud ipsum Tambur.

- hunc de præc. Ecol. I. cit. haud difficiens de maiestatis hujusmodi ovis, refugit tamen numerari inter lacticinia ovi uita illa iuster acini, quae dicta ratiōne sunt adnatae, & affixas quia, inquit, recipient adhuc naturam sanguinis, & siendam sunt in ovi substantiam conversa. At negat hoc Tambur. ibi, dicens, saponem, calorem, aliaque omnia ostendere, ea non esse sanguinem, sed concreta in substantiam ovi.
10. Spedatis rationibus, videtur probabilius, omnia ova hujusmodi adhuc imperfectissima non esse carnem, sed quid serpentinam carnis ducens originem: Verba quia in questione, an aliquid sit caro, vel non; existimationem hominum esse maxime attendendam, fatetur, & docet ipse Tambur. in decal. I. cit. n. 10. & 16. hinc dico: spectari debere consuetudinem locorum, que si inter carnes praedita ova emameret, omnino in hujusmodi locis ea prohibenda sunt; qualis consuetudo, & communis existimatio. nunc videtur esse: in nostro Regno Siciliæ, quaptum inquirere potui, profecto vescentes ovis, & lacticiniis sive in Quadragesima, sive extra Quadragesimam in Feria VI. & Sabato, aliisque diebus, quibus prohibetur caro, hujusmodi tamen ovis vesci non audent.
11. Interrog: V. An laridum, axungia, & quacumque pinguedo animalis carpe nondum vi ignis liquefacta sint caro?
- R. Praedita inter carnes sunt omnino censenda, quia vere sunt partes utcumque animalis in omnium hominum conceptu, & non mera, & propria excrements; ita Tambur. in decal. lib. 4. c. 5. §.
- I. n. 14. & in 4. præc. Ecol. c. 3. n. 6. Jo. Beleth de div. Offic. cap. 8o. Andreas Mendt in statera opin. benign. differt. S. qu. 4. num. 18. Quidquid alii dixerint apud Viva in prop. 22. Alekand. VII. n. 14. & apud Tambur. in 4. præc. Ecol. I. cit. n. 11. & apud Mendt n. 17. quorum opinionem nu. 18. indicat esse falsam, dura sententiam nostram, dicit, esse veram, subditque nullum se in illa opposita opinione reperire solidum fundamentum. Predicta itaque comedere non licet diebus, quibus carnes interdicuntur. Quod intellige, nisi forte horum aliquid in aliqua Regione ratione inveteratae confuetudinis permittatur; ut notat Viva I. cit. & ipse Mendt cit. nu. 18. Vide dicenda interrogat. 6. n. 16.
- Obj. Aristoteles de gener. animalium lib. I. c. 18. circa finem, docet, quod *Pinguedo excrementum est bonitate substantie salubre* & atque adeo pinguedo non est caro. Et vero, pinguedo ignis calore liquefecit, quod non habet caro; unde potius convenit cum ovis, & lacticiniis, nam originem trahit a carne, sicut ova, & lac. Ergo &c. Ita nonnulli apud Tambur. in 4. præc. Ecol. I. cit. n. 11.
- R. Nego antecedens in sensu intento ab Adversariis; & ad autoritatem Aristotelis dico: ipsum intelligi posse ita; ut non neget, pinguedinem esse carnem, rigorose loquendo: cum negeri non posse; esse partem utcumque animalis, & non merum, & proprium excrementum. Cæterum existimatio Aristotelis locum non habet in hac materia, in qua plus valet existimatio hominum christianorum, quæ pingue-

guedinem , iaridum , axungiam inter carnes ab Ecclesia prohibitas enumerat . Profecto regula optima dignoscendi carnes certis diebus ab Ecclesia prohibitas , illa est , quam supra dedimus nu. 3. videlicet , ut ex inter carnes prohibitas censcantur , quas communis hominum maxime Christianorum existimatio , & consuetus usus , jam decrevit esse carnes animalis prohibitas .

Quod autem ad probandum , pinguedinem esse verum excrementum , opponitur , illa liquefieri vi ignis , non item carnem : in primis non videtur optimum argumentum distinguendi carnes ab excrementis ; nec recta ista illatio : caro vi ignis non liqueficit ; pinguedo vi ignis liqueficit ; ergo pinguedo non est caro : Nam multa absurdia ex hujusmodi argumentandi ratione sequentur . Secundo , falsum videtur esse , carnem non liquefcere ; nam quid est jus ? nisi quid continens partes subtiliores substantiae carnis per elixationem aliquatas ; ut notavimus supra inter. 3. nu. 8. & tamen jus est prohibitum vescientibus ovis , & lacticiniis . Imo videtur , quod si ipsa massa , seu pulpa carnis , nimium super ignem detinetur , & in aqua elixeretur , fere tota liqueferet , remanentibus solum nervis , venulis , chartilaginibus , reticulisque nonnullis , quibus mirabiliter contexitur , & colligatur qualibet massa carnis , sicut etiam remanent ex adipe , & pinguedine vi ignis liquefacta , ut notavimus interrog. sequent. in fine . Videtur itaque , quod sicuti pinguedo , ita & caro liquefacit . Differentia solum est in quantitate temporis , & modo liquefendi , quod scilicet pinguedo

liquefacit tum in aqua , tuan sine aqua , modico temporis spatio ; caro autem , seu pulpa carnis , & caro solida liquefacit in aqua , longiori tempore . Non recte ergo probatur , pinguedo esse excrementum ex eo , quod vi ignis liquefiat .

Nec denique illud vere dicitur : pinguedinem originem trahere a carne , sicut ova , & lac ; unde potius conveniat cum ovis , & lacticiniis . Enimvero licet aliquo modo videatur pinguedo originem trahere a carne ; tamen longe alia ratione , quam ova , & lac ; profecto pinguedo , iaridum , axungia vere sunt partes utcumque animalis , quales certe non sunt ova , & lac . Demum dato etiam quod in ratione physica pinguedo trahat originem ex carne , sicut ova , & lac ; in ratione tamen & aestimatio ne morali , quae hic est maxime attendenda , non est ita .

Interrog. VI. An Sagimen sit caro ? 13

R. Sagimen , sive iaridum , seu pinguedo vi ignis liquefacta , & purgata , atque segregata etiam a suis venulis , nervulisque absque ullo dubio carneis , est caro ; quia si caro est iaridum , & pinguedo nondum vi ignis liquefacta , ut interrog. præced. docuimus ; ergo etiam caro est ex prædictis confectum sagimen . Probatur consequentia ; quia eti sagimen sit pinguedo , & iaridum liquefactum , modica tamen illa liquefactione non potest mutare naturam substantiae carnis , sicuti idem ignis si concoquat alias carnes , non mutat illarum naturam ; quemadmodum apparet in jure , quod est caro liquefacta in aqua , secundum dicta interrog. 3. Videatur Tambur. in De cal. I. 4 c. 5. g. 1. n. 14. & de præc. Eccl. tr. 4. c. 3. n. 7. Andreas

Men-

Mendo in statera opin. benign. diss. 8. qu. 4. n. 18. qui tamen num. præcedenti & Azor. Inst. Moral. part. I. l. 7. c. 10. qu. 8. aliquos adducunt contrarium opinantes ; sed illorum opinionem indicat esse falsam Mendo cit. num. 18. dum sententiam suam, & nostram dicit esse veram ; subditque , nullum se in illa reperire solidum fundamentum . Videantur tamen statim dicenda in Resp. ad sequen. objectionem .

14 Obj. Pinguedo , & laridum nondum liquefacta continent quasdam venulas , nervulosque vere carneos , quos , nobis fatentibus , non continent sagimen , cum hujusmodi partes vere carneæ , virtute ignis , vel expurgentur , vel resiliant , vel evaporent ; ergo licet pinguedo sit caro , non inde sequitur , carnem esse sagimen .

&. In antecedenti supponitur falsum ; supponitur enim , laridum , & pinguedinem carnem reputari , eo præcise quia contineant venulas , nervulosque carneos ; quod est falsum ; enimvero , ut notat Tamb. in Decal. I. cit. n. 15. si propter hujusmodi solas venulas , nervulosque , laridum , & pinguedo essent interdicta , semper excusaretur a mortali , qui ea comederet , quia semper esset parvitas materiæ ; in magno enim laridi frusto admodum modicæ venulæ reperiuntur . Si ergo sub mortali dicuntur vetita laridum , & pinguedo , certe non propter aliud , nisi quia ipsa vere sunt ex se carnes ; Ergo si ipsa per se sunt carnes , caro etiam per se est sagimen ex ipsis confeatum , ob rationem jam supra factam . Et vero sagimen esse carnem , communiter docent Audtores , post Viva I. cit. interrog. præc. &

TOM. I.

Diana , qui contrarium aliquanda docuerat cum aliis , deinde vero mutavit sententiam , & to. 4. edit. Coord. tr. 6. Resol. 70. §. 2. fine ingenue hæc habet : *Ego olim docui cum multis Doctorisibus , quod qui haberent privilegium comedendi ova , & laeticinia , possunt comedere sagimen ; tamen re melius considerata , existimo banc sententiam non esse in praxi reducendam , & ideo nunc sententia contrariae adbæreo . Hæc Diana .*

Cæterum concedendum est cum 15 Viva I. superius cit. Busemb. lib. 3. par. 2. c. 3. de 3. præc. Eccl. dub. I. Resol. 3. fine ; & Andrea Mendo cit. n. 18. alisque apud eumdem , quod si in aliqua Regione ex invenientia consuetudine sagimen inter laeticinia , sive inter ea , quæ semetinam carnis trahant originem , computetur ; permitti possit .

Animadvertisendum vero est , non plus permittendum esse , quam consuetudo permittat , ita ut si hæc solum vigeat pro sagamine porcino , licebit hoc unum , non item aliorum animalium , puta Gallinatum &c. ut significat Tamburinus loco statim laudando . Sagimen porcinum in nostra Sicilia ex consuetudine numeratur inter laeticinia , ut tradit Diana relatus a Tambur. in 4. præc. Eccl. c. 3. n. 8. fine , & ipse Tambur. ibidem n. 10. ubi testatur prædictum sagimen in nostris Regionibus in communi omnium existimatione numerari inter laeticinia . Idem docet , & testatur Chiavetta Consul. 61. n. 18. quam nostram consuetudinem non ignoravit , & approbat Mendo I. cit. qui etiam testatur , eamdem consuetudinem haberi in Gallæcia , & Regno Peruano ; Idem etiam affirmit de Britonibus

O o

Syl-

Sylvester in sum. v. *jejun.* qu. 5. n. 16. ex Paludan. Evidem de Siculis nostris juratus & ipse testari possum. Duxi *Sagimen porcinum*; quia si sit *ex adipe* aliorum animalium, v. g. cervorum, Gallinarum, anserum, & similiū; hujusmodi animalium pinguedo non computatur, saltem in nostro Regno Siciliæ, inter lacticinia; ut cum Bardi animadvertis Tamb. cit. n. 10. adeoque sagimen *ex prædictis*, & similibus animalibus carnis, non posset in nostra, & simili Regione comedи in diebus, quibus cæteroqui permittuntur ova, & lacticinia. Cujus distinctionis Tamburinus dat rationem, dicens: *quia fundamentum, unde diximus, probabile esse, intelligi* (etiam) *sagimen porcinum* (nomine lacticiniorum,) *est quia in nostris Regionibus illud in communi omnium existimatione connumeratur inter lacticinia; at non video sagimen aliorum animalium, cum rārum sit, ita connumerari; tanta enim raritas non potuit parere communem existimationem, quare licet phisice eadem sit ratio de boc, ac de suillo, non est tamen moraliter;* & ita sustinet Bardi *Oc.* Hæc Tambur. cit. n. 10. quæ confirmat num. seq. ubi affert P. Gobat; hæc docentem: *Meminerit Confessarius, Laymannum sapienter observare, non esse Teutonibus in Germania movendum scrupulum peccati mortalis, quando loco butyri utuntur sagimine, seu pinguedine anserum, ad condieros cibos illis diebus, quibus fas est, vesci ovis, & caseo; illa enim pinguedo non est caro, & consuetudo abstinendi ab ea, non videatur saltem in Germania introducta cum intentione se obligandi sub mortali.* Ita Gobat; qua ipsius opinione relata, concludit Tamburinus: Opi-

nionem hanc non facere pro nostris Regionibus, propter rationem supra explicatam, quia scilicet non potest hic esse ista consuetudo, enumerandi inter lacticinia hujusmodi etiam sagimen; cum illud apud nos rarissimum sit.

Notat insuper Mendo cit. n. 18. 16 fine, & ex eo Viva loco superius cit. in aliquibus Provinciis introductum quoque fuisse propter olei penuriam, sagimen pro oleo in iis etiam diebus, quibus tenentur ab ovis, & lacticiniis abstinere: quod cum fiat scientibus, & tacentibus Prælatis, qui in hoc, inquit, possunt dispensare, censentur in hoc dispensasse. Licere uti sagimine pro oleo in Regionis, in quibus non est oleum, tenent quoque, aliis adductis, Salmanticen. to. 5. tr. 23. c. 2. pu. 2. §. 1. n. 31. maxime si alii cibi præter legumina, & olera non suppetant, quia dicunt, penuria olei usum sagiminis licitum facit; alias valde difficile necessarius cibus posset præparari. Sanchez vero to. 2. Consil. lib. 5. c. 1. dub. 19. n. 7. suppresso nomine allegat in contrarium, & videtur approbare, quosdam doctos juniores sui temporis non audentes excusare Agricolas, qui etiam causa paupertatis, in locis, ubi non est oleum, præparant herbas larido in diebus, in quibus carnium, & laridi fuis est prohibitus. Sed adhuc hoc non obstante, Salmanticenses dicunt: suam ipsorum sententiam benigniorem esse, atque probabiliorem.

Verum ego dico: in his, & similibus maxime spectandam esse consuetudinem cuiusque Regionis; & videndum quid Theologi in loco morantes, & alii viri timorati in pra-

xi licitum habeant , & Prælati Ecclæsæ , atque Pastores suis ovibus permittant . Vid. dicta Inter. 5. n. 11.

- 17 Nota hic denique : quod frustula suilla , sive Cartilaginiæ illæ , venu-
læque remanentes ex larido vi ignis liquefacto , (Siculi dicimus frittuli , Itali fricciæ ,) hujusmodi , inquam , frustula etiam apud nos reputantur carnes , & absque ullo dubio tales sunt ; ut innuimus n. 13.
- 18 Interrog. VII. An sanguis Animalis carni sit caro , an vero inter lacticinia ; quæ sementinam carnis trahunt originem , computandus ?

R. Sanguinem non esse carnem putavit Stephanus Isnardus Gallus ex Relig. S. Francisci de Paula , & ex veteribus Holtiensis apud Dianam to. 4. edit. coord. tr. 6. R. 70. §. 1. Verum omnino dicendum est , quod sanguis animalis carni verissime caro sit ; neque eo vesci licet diebus , quibus prohibitum est , comedere carnes . Ita Diana loc. cit. §. 2. & alii .

- 19 Sed Obj. 1. Probabile est , pinguedinem animalis carni non esse carnem , ergo probabile est , sanguinem ejusdem non esse carnem . Probas consequentiam . Eadem est ratio sanguinis , ac pinguedinis : cum utraque originem tantum trahat ex carne ; ergo &c.

R. 1. Nego antecedens . Quod esse falsum , intelligi potest ex dictis Interrog. 5. Quod si ibi , & Interrog. 6. permisimus alicubi esum laridi , & sagiminis in diebus , quibus prohibentur carnes ; id fuit ratione inveterate confuetudinis , quæ alicubi viget , aut fortasse fundatur in defectu & penuria butyri aut olei , non vero quod & ipsa , per se loquendo , non sint caro .

R. 2. Etiamsi permittatur ante- 20 cedens , consequentia non sequitur : unde illa negata ; ad ejus probatio- nem nego antecedens . Falsum est , stricte , & rigorose loquendo , ut in præsenti loqui debemus , eandem es- se rationem pinguedinis , & sanguinis . Enimvero in primis sanguis est pars animalis viventis , longe meliori ratione , quam sit pinguedo , ut patet : quatenus sine sanguine vi- ta animalis consistere nequeat : ut experientia satis constat : non item sine pinguedine . Secundo , majo- rem connexionem habet cum carne sanguis , quam habeat pinguedo : nam sanguis est in proxima dispositio- ne ad hoc , ut convertatur in car- nem , cum sit alimentum illius , quod non est pinguedo ; unde tan- tum abest , quod sanguis trahat ori- ginem ex carne , ut potius caro vi- deatur trahere originem ex sanguine . Ex quibus patet , longe diver- sam esse rationem sanguinis , ac pin- guedinis .

Adde quod sanguinem esse car- nem , liquido infertur ex regula di- gnoscendi carnem prohibitam , quam dedimus initio hujus questionis pri- mæ n. 3. Ea autem est , ut illa in- ter carnes prohibitas censeantur , quæ communis hominum , maxime Chri- stianorum existimatio , & consuetus usus jam decrevit esse tales . Sed communis hominum existimatio ha- bet , sanguinem esse carnem prohi- bitam ; ergo sanguis inter carnes prohibitas censendus est . Major vi- detur debere admitti : continet enim regulam optimam morum . Minor patet , si spectetur usus , & con- suetudo universalis , quæ , teste Dia- na loc. cit. rejicit omnino esum sanguinis etiam in diebus , in qui-

bus possumus vesci laetificiniis. Consequentia sequitur.

22. Quod si in aliqua Regione introducta sit consuetudo universalis, esus sanguinis, in diebus, quibus non licet vesci carnibus; (Diana l. cit. ait: non inveniri talem consuetudinem circa esum sanguinis, sicuti alicubi est circa esum sagimianis) de ea, sicut in aliis similibus probatis consuetudinibus discurrendum est.

Quod autem apud Massæum Kresslinger in addit. ad Theol. Moral. Anacleti Reinffestuel tr. 10. dist. 2. qu. 1. Concl. 2. n. 10. in addit. fin. legitur: In Regno Siciliæ consuetudinem dici, vigere, vescendi sanguine in diebus abstinentiæ a carne: & in testimonium adducitur Felix Potestas Scriptor cæteroqui Siculus, tamquam id affirmans to. 1. Exam. Ecclesiæ. par. 3. nu. 2880. animadvertendum est, id esse falsum: nec quidquam tale habet allegatus Author l. cit. sed solum ibi loquitur de sagimine. Quapropter errori potius Typographorum tribendum est, ubi apud Kresslinger l. cit. legimus: *sanguinem*: cum scribendum fuerit *sagimen*: licet hujusmodi errorem in diversis editionibus prædicti operis Massæi legerim, & fortasse in omnibus hactenus editis irreperserit. Cæterum testamur in nostro Regno Siciliæ non haberi ullo proorsus modo consuetudinem vescendi sanguine Animalis caraci in diebus abstinentiæ a carne, neque de ea verbum ullum apud Theologos Siculos scriptum invenies.

23. Obj. 2. Nullus locus in sacris Canonibus assignari poterit, in quo sanguis prohibetur; ergo in jure non habetur lex, quæ prohibeat

sanguinem; ergo sanguis non est prohibitus, quando vesci laetificiniis possumus.

& 1. Argumentum nimis probat, atque adeo nihil evincit: si enim quid evinceret, probaret: semper licere vesci sanguine, etiam quando prohibita sunt laetificinia, & ea, quæ ex carne trahunt originem; nullo enim jure ostendi poterit prohibitio explicita sanguinis. Quod si dicas: esum sanguinis non esse licitum, quando prohibentur laetificinia, & ea, quæ sementinam carnis trahunt originem, quia hujusmodi esus implicite prohibetur a jure in his, quæ sementinam carnis trahunt originem: & ego reponam: esum sanguinis implicite prohiberi a jure, quando prohibet carnes; quia, ut supra ostendi, sanguis inter carnes censendus est. Si autem velis, esum sanguinis in diebus, quibus vesci non licet laetificiniis, esse prohibitum non a jure, sed a consuetudine; & ego adhuc reponam esum sanguinis in diebus, quibus vesci non licet carnibus, esse prohibitum ex consuetudine, & quidem Universali. Quanquam cum de communi Hominum sensu constet Sanguinem pro Carne habentium; idcirco proprie loquendo dicendum est, ejus prohibitionem ex Jure esse, utique juxta communem Hominum sensum intelligendo; quod ipsum si dixeris de sagimine, non refugiam; dummodo constet, in ipso, sicut & in aliis, legitimam consuetudinem potuisse aliter præscribere.

Hinc & 2. Retorquo argumentum. Nullus locus in sacris Canonibus assignari potest, in quo Modulla animalis prohibetur; ergo in jure non habetur lex, quæ prohibeat

beat medullam animalis ; ergo prædicta medulla non est prohibita diebus , quibus vesci non possumus carne . Si dicas : medullam implicite prohiberi in prohibitione carnis , quia nomine carnis veniunt omnes partes constitutivæ animalis ; & ego reponam : sanguinem implicite prohiberi in prohibitione carnis , ob hanc ipsam rationem , quam supra exposuimus nu. 21. & vide statim dicenda in secunda responsione formalis .

Hinc Respondeo 3. in forma ad argumentum ; primo , omissio antecedenti cum suo primo consequente : nego secundam consequentiam . Etiam si ex jure prohibitus ostendi non posset eſus sanguinis in diebus , quibus carne vesci non licet ; non inde tamen rede inferretur , ut notat Diana 1. cit. hujusmodi eſus dictis diebus esse permissus vescientibus lacticiniis ; quia non omnia , quæ prohibita sunt , ostendi possunt prohibita ex jure ; multa enim prohibita sunt a consuetudine , ut est certum ; atqui hujusmodi consuetudo , ut supra vidimus num. 21. fine , militat contra eſum sanguinis dictis diebus . Ergo &c.

Adhuc in forma . R. 2. cum Leandro apud Diana 1. cit. negando antecedens , seu claritatis gratia distinguendo antecedens : Nullus locus in sacris Canonibus assignari poterit , in quo sanguis prohibeatur explicite , omissio antecedens ; implicite , & complexive in aliqua alia prohibitione , nego antecedens ; & distincto simili modo primo consequenti , nego secundam consequentiam . In jure si non explicite , certe implicite , & complexive prohibetur sanguis diebus , quibus carne

vesci non licet , quia prohibita carne , prohibentur omnes animalis partes , quæ caro dici possunt , & sunt , ut cartilagines , nervi , medulla &c. sanguinem vero esse hujusmodi supra ostendimus nu. 21. Et , vero nimis insulsum fuisse , legem in specie exprimere omnes partes constitutivas animalis , quas prohibere volebat , & singulas recensere . Satis ergo fuit , omnia ista complecti sub nomine carnis ; hæc enim omnia caro reputantur , & sunt in communis sensu .

Qu. II. An præceptum abstinentiæ a carne admittat parvitatem matritæ ? 241

R. Affirmative : Et est communis apud Doctores . Siquidem carnes ex eo prohibitæ censentur , quod nimium sint nutritivæ , & castigationi corporis ab Ecclesia intentæ obstant ; cum ergo nonnisi leviter ex levi data quantitate adversus istas seu temperantiæ , seu christianæ mortificationis virtutes excedatur ; levis item censenda est violatio præcepti Ecclesiastici . Porro hæc est humanorum actuum natura , ut eorum bonitas aut malitia sit divisibilis in gradus , quorum etiam formale objectum ex ratione in partes seu gradus divisibili consistatur .

Id vero controversum est apud Doctores , quota carnis quantitas pro levi censenda sit . Quæ jam quæstio cum ad prudentem sensum devolvi oporteat ; omissis iis , qui aut vague loquentes , nihil certe definient , aut paulo amplius indulgent ; sentio : pro tali haberi posse octavam partem unciae romanæ , seu quam vocant subtilem . Profecto non apparet , quomodo carnis quantites adeo mo-

- modica , ut communem prudentum estimationem effugiat , fini intento ab Ecclesia adversari graviter valeat . Tambur. in præc. dec. tr. 4. c. 5. nu. 34. Diana tom. 8. edit. coor. tr. 4. R. 72. §. 4. f.
- 26 Nota tamen 1. Certum esse veniale peccatum , si quis absque iusta causa hanc ipsam parvam Carnis quantitatem sumat; talis enim sumptio transgressio est legis quantumvis levis , ergo & leve faltem peccatum est.
- 27 Nota 2. Quantitatem ipsam levem plus quam semel in die sumptam in gravem coalescere : conflat enim excedentem nutritionem , licet per intervalla sumptam : & ex simili ratione Alexander VII. damnavit hanc propositionem 29. inter damnatas ab ipso : *In die jejunii , qui saepius modicum quid comedit , et si notabilem quantitatem in fine comedierit , non frangit jejunium.*
- 28 Sed quid , inquires , si saepius in die carnes gustantur in parva etiam quantitate? num toties mortale peccatum a priori distinctum admittitur?
- R. Quæsumus hoc resolvendum esse ex principiis communibus , unde actuum humanorum distinctio desumitur . Et siquidem inter unam & alteram sumptionem tam modicum sit intervallum , ut eadem actio ex eodem agente principio ad modum unius videatur imperata , procul dubio unum censeri debet mortale . Si vero tantum intercedat temporis , ut prior voluntatis inclinatio perdurare non censeatur , novoque animi motu Hominem agere certum sit; mortale erit numero distinctum a priori.
- 29 Ex his omnibus inferes : Coquos & Infirmarios , si forte Domini suis aut infirmis cibos præparent carnos , licite eos prælibare posse ; ne forte minus aptos eorum , quibus inserviunt , gustatui & saluti præparent . Ratio est ; quia Lex non intendit evertere bonum Communis , ad quod pertinet , ut Dominis maxime Principibus , sicut etiam Infirmis apti , & ab omni periculo securi cibi ministrentur .
- Sed & ipsi Coqui & Infirmarii caueant ne plus sumant , quam ad di-gnoscendam cibi aptitudinem , necesse sit sumere ; immo etiam studeant ut omnes simul sumptæ libationes præexplicatam parvam materiæ quantitatem , quoad fieri possit , non excedant .
- Infers 2. Quod sicubi Comestio 30 carnium in diebus vetitis sit peccatum reservatum ; hujusmodi reservatio cadere nequit in sumentem carnes seu gustantem in parva quantitate . Hæc enim gustatio ex dictis veniale seu leve peccatum est ; neque in leve delictum ex se cadit pena gravis , qualis censetur reservatio : multoque magis quod Venialia non sint materia necessaria Confessionis .
- Infers 3. Si quis ex interna hæresi motus in diebus vetitis carnem adhuc in modica quantitate gustaret , peccaret quidem graviter ex interno animo , quem adversus Ecclesiæ Judicium in se continet ; sed non inde præcise hæresim suam manifestam faceret , neque de ea rationabiliter suspectus censeri deberet ; nisi aliæ accedant coniecturæ , ex quibus insolens ejus animus adversus Ecclesiæ mentem patefiat .
- Nota interim ex edito Inquisitionis Siculæ denunciandos esse Inquisitoribus fidet afferentes non esse

se peccatum , comedere carnes Feria VI. aliisque diebus , in quibus ab Ecclesia prohibentur ; vel ideo illas comedentes iisdem diebus . De his omnibus , quæ certa passim , sunt videri possunt Thom. Sanc. in sum. tom. 1. l. 2. c. 8. Tambur. in decal. 1. 2. c. 1. La-Croix lib. 3. p. 2. de Jejun. qu. 253. Durand. in Ration. lib. 6. c. 7. n. 21. & alii .

³² Qu. III. An in Feria VI. sint prohibita ova , & lacticinia , quæ originem trahunt ex carne ?

R. Nec de jure communi , neque ex consuetudine universalis hæc sunt prohibita in Feria VI. aut Sabbato extra Quadragesimam , adeoque sumi possunt his diebus . Quod si aliqui sit consuetudo graviter obligans abstinere ab his extra etiam Quadragesimam ; in hoc casu esset quidem gravis obligatio abstinendi iis ; qui tenentur præceptis , & obligationibus hujusmodi locorum , ut sunt , qui sedem fixam ibi habent ; utrum in hujusmodi locis teneantur item peregrini . Vid. tr. 2. l. 2. par. 1. c. 2. qu. 2. in resp. 4. ad objec&t.

Consuetudinem autem graviter obligare , ex tribus conjecturis deduci potest . Prima , si consuetudo sit de re gravi , difficiili , & tamen communiter servata a populo , aut communitate ; quia non solet populus , aut communitas uniformiter convenire in his actibus , nisi quando graviter se obligari sentit . Secunda , si viri timorati , & docti male sentiant de iis , qui non servant consuetudinem , vel communiter populus , aut communitas scandalizetur . Tertia , si Prelati , & Superiores puniant violantes consuetudinem . Hæ tres conjecturæ ubi simul adsint , dicendum est , consuetudinem obligare sub gravi .

Hæc facile applicari præsenti materia posseunt .

In nostro Regno Siciliæ non est ³³ talis obligatio , ne ex consuetudine quidem , abstinenti ab ovis , & lacticiniis in Feria VI. & Sabbato extra Quadragesimam ; quin neque in Iunii etiam quatuor Temporum extra Quadragesimam . De aliis , quæ spectant ad abstinentiam ab ovis , & lacticiniis , agemus in Septemb. par. 1. Sect. 1. subl. 5. qu. 12. & tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 1. art. 9.

Qu. IV. An qualibet Feria VI. ³⁴ quacumque Festivitate occurrente , maneat obligatio abstinenti a carne ?

R. Affirmative . Excipe tantummodo Natalem diem Domini Salvatoris (et si olim in quibusdam item aliis solemnitatibus hæc abstinentia soluta fuerit , ut constat ex Nicolao I. in Resp. ad Consulta Bulgaror. cap. 5.) si enim dies Natalis Domini inciderit in Feriam sextam , cuilibet licet , vesci carnibus : dummodo non ex voto , aut regulari obseruantia ad abstinendum a carnibus sit adstrictus : videantur dicenda lib. 3. 25. Decemb. art. 1. Sect. 9.

Qu. V. Qua hora diei incipiat , ³⁵ & desinat obligare præceptum abstinentiæ a carne , &c. ?

R. A media nocte ad medium noctem . Vide dicta l. 1. c. 1. ar. 9. num. 34.

Qu. VI. An habens rationes probabiles mediæ noctis signum nondum datum fuisse : & adhuc probabiles , jam datum propter diversitatem horologiorum communiter etiam rede ordinorum : possint manducare carnes tempore noctis supervenientis ad diem Jovis contra diem Veneris ?

R. Affirmative . Ratio est , quia libertas est in possessione , & prohibitio

bitio dubia . Profecto singula horologia , communiter bene ordinata , sunt veluti Auditor bonus faciens probabilitatem ; & sic , dum unum ex horologiis communiter bene ordinatum non det signum mediæ noctis , licet aliud , vel alia dederint illud , probabile est , noctem in suo cursu medium iter nondum habere ; adeoque manet saltem dubium : an media nox , quæ pertinet ad Feriam quintam præterierit , & cœperit altera noctis medietas pertinens ad Feriam sextam ? In dubio autem hujusmodi melior est conditio possidentis ; possidet autem libertas ; ergo &c. Ita Diana to. 8. edit. Coord. tr. 2. R. 5. §. 1. ubi plures Doctores pro hac sententia laudat ; ita quoque La-Croix lib. 1. de legibus quæst. 83. §. 5. Tambur. in Decal. lib. 1. c. 3. §. 3. n. 17. ubi etiam alios ita opinantes citat : videri etiam potest idem Tambur. 1. cit. a n. 11. ad 13. & §. 7. litt. I. n. 1. & a nobis dicta 1. 1. c. 1. art. 10. n. 82. ubi veriorem rationem assignavimus .

37 Qu. VII. Quos obliget hoc præceptum abstinentiæ a carne , & ovis , & lacticiniis ?

R. Omnes subiectos Ecclesiæ , seu omnes baptizatos . Hinc Paganis , & Infidelibus non baptizatis , & etiam Catechumenis possunt dari carnes , ova , & lacticinia diebus vetitis . La-Croix lib. 3. par. 2. qu. 238. §. 2. Busemb. lib. 1. tr. 2. c. 2. dub. 1. Resol. 2. Diana to. 1. edit. Coord. tr. 3. R. 47. §. 3. & to. 4. tr. 6. R. 3. §. 67. & to. 7. tr. 8. Res. 48. & Chiavetta Consul. 46. n. 4.

Tenentur autem ad prædictam abstinentiam , sicut ad cætera Ecclesiæ præcepta Hæretici , & alii , qui per baptismum eidem Ecclesiæ semel sunt

subiecti . Busemb. 1. cit. Diana to. 6. edit. Coord. tr. 1. R. 49. §. 3. & 10. Arriaga , & Merolla apud ipsum , aliquique communiter .

Interrogabis hic . Utrum liceat vi- 38 ro Catholico vesci carnis in Feria sexta , aliisque similibus diebus , in quibus prohibentur carnes , si commoretur in locis hæreticorum , qui hujusmodi abstinentiam minime servant ?

Respondeo negative . Id enim hæretici non faciunt ex permissione ulla Ecclesiæ Catholicæ , immo vero in contemptum ejusdem . Si autem absit hujusmodi contemptus , ac injuria Religionis , & scandalum , & simul abstinendo , cæteris carne ve-scentibus , incurreret quis grave periculum vitæ , aut fortunarum : ut interdum accidit , ubi viget persecutio contra Catholicos ; posset comedere , ne abstinendo , se prodat . Ratio est , quia jus humanum (ad quod pertinet lex ista Ecclesiæ) non obligat cum probabili discrimine vitæ , nisi adsit cætera , ex quibus lædatur jus divinum , ut certe est Contemptus religionis , aut Scandalum . Porro illicitum est , se temere , & absque justa causa ingerere in martyrium , ut cum S. Thoma , & aliis docet La-Croix 1. 6. p. 1. qu. 42. §. 22. Secus autem foret , ut dixi , si adesset contemptus Religionis Catholicæ , puta , si quis publica autoritate provocaretur , cibos vetitos edere in contemptum Catholicæ Religionis . Lessius de Just. lib. 4. c. 2. dubit. 5. n. 35. Azor. Inst. Moral. par. 1. lib. 8. c. 27. qu. 3. Tambur. in Decal. lib. 2. c. 1. §. 3. n. 8. Diana tr. 7. edit. Coord. tr. 5. R. 68. & alii plures apud ipsum . Idem dicendum , si quis moratur

retur in locis Infidelium . Diana l. cit.

At dices : In prædictis locis hæretorum absolute videtur licere , carnes comedere diebus ab Ecclesia prohibitis ; tum quia in prædictis locis videtur esse præscriptio , quæ per dæcim annos prævalet contra legem Ecclesiasticam , uti multi probabili- ter docent ; tum etiam quia major pars illius communitatis legem istam non observat ; pars autem minor po- test se accommodare majori .

Respondeo . Contra est , quia illa consuetudo est irrationabilis ; ergo non præscribit , nec abrogat legem Ecclesiæ . Deinde consuetudini illi semper reclamat Ecclesia . Consue- tudo autem non habet vim abro- gandi legem , nisi accidente saltem tacito consensu Legislatoris . Deni- que leges Ecclesiæ non indigent ac- ceptatione populi ; ita La-Croix lib. 3. par. 2. qu. 239.

39 Nota hic ex eodem La-Croix lib. 2. qu. 23. §. 5. & 6. quod si quis ex iusta causa serviat hæretico , & diebus vetitis habeat unum ferculum quadragesimale ultra panem , non licet illi vesci carnibus ; quia etiam famuli apud Catholicos talibus die- bus debent ita contenti vivere . Si autem illi negarentur alia omnia ; ut sic adigeretur , ad carnes co- medendas , non licet ei come- dere , nisi prævia expressa prote- statione , quod ex necessitate come- dat ; alioquin ageret in contemptum fidei . Causa vero sufficiens ad car- nes tunc comedendas , non est peri- culum irrisio[n]is , sed necessitas , quia nimis vita aliter sustineri , vel labor debitus persolvi non potest . Cæterum antequam addicat quis ope- ram hæretico , debet expresse appo-

TOM. I.

nere conditionem , ut permittatur obseruare præcepta Ecclesiæ , alio- quin exponit se proximis periculis non observandi præcepta illa , ad quæ hic , & nunc tenebitur ; poterit autem apposita tali conditione tol- lere impedimentum proximum : ergo ad hoc tenetur ; ita La-Croix l. cit. De Domino autem Catholico haben- te famulum hæreticum , dicemus tr. 2. l. 4. c. 1. n. 106. ubi & de Au- cupe Catholico , in locis Hæreti- corum .

Qu. VIII. Quandonam fideles in- 40 cipliant primum teneri ad abstinen- tiam a carne , ovis , & laeticiis in diebus vetitis ?

R. Postquam compleverint septen- nium , si polleant rationis usum , ut quidem communiter contingit , tunc primum pueri , & puellæ tenentur abstinere a prædictis . Est communis Doctorum contra nonnullos , qui pu- tarunt , non teneri ante annum duo- decimum , licet habeant usum ratio- nis . Sed non sunt audiendi , ut mox infra indicabimus . Vid. Andreas Men- do in Statera opin. Benign. Dissert. 8. qu. 4. n. 19. Videri etiam possunt dicenda tr. 2. lib. 5. par. 2. in ejus 1. par. c. 3. Sect. 3. qu. 21.

Nota hic 1. quod pueri , & puel- læ non tenentur præceptis Ecclesiæ , nisi habeant usum rationis , adeoque non tenentur abstinere a carne , & cæteris cibis vetitis ex præcepto Ec- clesiæ , nisi habeant rationis usum . Ratio est , quia leges Ecclesiasticæ , in obligando , procedunt humano modo , ex quo neminem obligari æquum est nisi habentem usum ra- tionis . Profecto qui eo caret , haud valet actionem ullam humanam exer- cere , neque conscientiam talis ha- bet , sine qua , ut loquitur S. Pau-

P p lus ,

ius, neque peccatum quis novit, neque legem. Unde licite ministrantur carnes parvulis ante septennium (quod sere est præstitutum tempus, cum aliqualem rationis usum acquisivisse putantur) ut docet communis. Nec obstatet consuetudo contraria, quæ alicubi forte esset, non dandi illis adhuc carentibus rationis usu: nam si non possunt ligari ipsa lege, multo minus consuetudine. Videatur Diana to. 4. Edit. Coord. tr. 6. R. 67. §. 2. La-Croix lib. 3. par. 2. de jejunio qu. 238. §. 2. Azor. Inst. Moral. par. 1. lib. 5. c. 11. qu. 4. Vide tamen dicenda interrog. 3. n. 50.

- 42 Nota 2. Quod et si rejiciatur, & sit contra præxim fidelium sententia Sotii apud Suarez to. 3. in 3. par. disp. 70. Sect. 1. §. Deinde. & Cordubæ apud Franciscum de Lugo lib. 5. de Missa c. 14. qu. 2. n. 14. quam videtur approbasse Serra apud Dianam to. 4. Edit. Coord. tr. 6. R. 68. §. 5. qui volebant, neminem ante annum duodecimum, vel saltem undecimum teneri legibus Ecclesiæ: tamen certum est, fideles non eo ipso, quod habeant usum rationis, obligari statim Ecclesiæ præceptis omnibus & indifferenter; sed id ex praxi, & consuetudine ipsa populi Christiani deducendum est, ex qua apparet ipsa Ecclesiæ mens non aliter volentis illos obligare. Ut enim multa sunt, quæ, ut digne fiant, & absque inconvenienti tillo, perfectiori indigent rationis usu; ita non omnia uno & eodem ætatis tempore a suis subditis prudens Ecclesia exigit. Sic rati admittuntur iidem pueri ad communionem Paschalem, ubi primum habuerint tantummodo rationis usum, sed exigitur adhuc, ut aliquam Sacramenti Altaris no-

titiam, & cognitionem habeant, & talem insuper maturitatem suæ ipsorum ætati licet proportionatam ostendant, ut ad tantum Sacramentum suscipiendum convenienti devotione accessuri credantur; uti dicemus ubi de Communione Paschali tr. 2.

Ad jejunium autem, non putant, se teneri fideles, nisi completo anno vigesimo primo ætatis ab ortu. Neque Pastores Ecclesiæ contra hujusmodi præxim reclamant, neque Doctores illam reprehendunt, immo confirmant, & approbant, docentes probabilius esse, quod initium obligationis ad jejunium, utique sit anno 21. completo. Vide dicenda tr. 2. l. 4. par. 1. c. 1. art. 8. qu. 1. Unde patet, initium obligationis ad præcepta Ecclesiæ non esse idem in omnibus præceptis, sed illud ex praxi fidelium cognoscendum.

Nota 3. Quod cum communis praxis fidelium videatur habere; Pueros, & Puellas teneri præcepto abstinendi a carnibus post usum rationis septennio completo, & non prius; idque etiam communis Doctorum sententia statuat: tanquam ex jure putandum est, præfixum huic incipiendæ obligationi tempus, quod non tenetur antevertere si quis ante completum septennium deprehendatur, ex accidenti, rationis usu pollere. Ita tenet Franciscus de Lugo de Sacr. lib. 5. de Missa c. 14. qu. 2. n. 16. Sa V. Puer n. 1. Diana to. 1. edit. Coord. tr. 3. R. 46. & R. 47. §. 2. & to. 4. tr. 6. R. 68. §. 2. & alii apud ipsum, & hanc sententiam, aliis pro ea laudatis, dicit esse satis probabilem, etiam La-Croix lib. 1. de legib. qu. 105. Vide tamen dicenda n. 47. Ratio est, quia leges Ecclesiasticae in obligando, procedunt

cedunt humano modo, ut supra dictum est, ideoque neminem obligant, nisi habentem usum rationis, quem non præsumunt, juxta laudatoꝝ, & alios Auctores, nisi post completum septennium a nativitate; leges enim positivæ attendunt ad ea, quæ communiter contingunt: *I. Num ad ea ff. de legibus.* Atqui communiter non contingit usus rationis ante septennium completum, ergo &c.

Hæc sententia mihi arridet, cum certam det regulam pro initio obligationis prædicti præcepti; adeoque facile reduci potest ad prædictum; ponit enim tempus determinatum. Sicuti sententia communis determinans tempus pro initio obligationis ad jejunandum, quod est vigesimus primus annus completus ætatis, ut supra dictum est; sic ista sententia determinat pro initio obligationis ad abstinentiam a carne &c. septimum annum a dic, & punto Nativitatis completum tum in maribus, tum in foeminis, si tunc rationis usum habeant, ut quidem communiter contingit habere.

Me quidem non latet, esse & alias sententias quoad initium obligationis ad præcepta Ecclesiæ in communis, adeoque ad abstinentium a carne &c.

Illæ autem difficile videntur, posse reduci ad prædictum, ut mox ostendam. Contra vero sententia a nobis proposita; quæ aliunde est etiam tutissima in prædicta, & de facto est in usu fidelium.

Cæterum illas sententias juvat referre, vel eruditioꝝ gratia, vel etiam, si arrideant; ut sequantur illas, qui voluerint.

44 Docent itaque 2. aliqui, Pueros, & Puellas incipere teneri præceptis

Ecclesiæ, (præcepto jejunii excepto) quandocumque incipiunt pollere rationis usu. Secundum posteriorem hanc sententiam pueri & puellæ tenentur incipere abstinere a carne &c. quandocumque incipiunt pollere rationis usu, etiam si ante septennium. La-Croix l. 1. de legib. qu. 105. n. 676. & Diana to. 4. Edit. Coord. tr. 6. R. 68. §. 2. dicunt; hanc sententiam satis esse probabilem: addit La-Croix, & in praxi suadendum.

Sed meo videri, hæc sententia difficulter reduci potest ad prædictum, & nonnisi scrupulos, seu conscientiæ anxietates parere potest. Enimvero lumen rationis in homine non oritur in punto, sed sicut lux diei procedit, & crescit usque ad perfectam diem; & difficulter etiam cognosci potest, quandonam pueri, & puellæ jam cœperint pollere rationis usu? Ut experientia communis, & quotidiana satis demonstrat, & colligi etiam potest ex discrepantia Auctorum in designando tempore, quando homo incipiat pollere rationis usu.

Profecto non una est Doctorum sententia de tempore, & ætate, qua homo usum rationis primum acquirat. Et primo quidem Franciscus de Lugo de Sacram. lib. 5. de Miss. c. 14. qu. 2. n. 15. Thom. Sanch. in Decal. to. 1. lib. 4. c. 35. n. 3. Tambur. in Decal. l. 1. c. 3. §. 7. n. 6. Diana locis citatis. Jo. Sanch. Burg. & Castrop. apud La-Croix l. 1. de legib. l. cit. volunt, non contingere communiter usum rationis ante septennium completum. Alii dicunt; contingere usum rationis communiter circa finem septennii, apud La-Croix lib. 3. par. 1. qu. 148. §. 3. Gobat vero apud eum-

P p 2 dem

dem ibidem concedit, pueros educatos in urbe incipere quidem usum rationis pollere circa finem septennii, quibus utpote melius cultis communiter citius oritur plenum lumen. De Rusticanis autem, aliisque similibus secus judicandum docet: & contendit cum Koninch, Pueros inter nonum, & decimum annum, puellas vero inter octavum, & nonum communiter prius assequi plenam discretionem; & idem Gob. apud eundem La-Croix eodem lib. 3. par. 1. qu. 106. §. 6. n. 387. loquendo de suis partibus septentrionalibus, absolute affirmit, ibi serius assequi plenum usum rationis; & ut significat, communiter non ante nonum annum expletum; dicit enim: si puer Germanus dubitet, an ante nonum annum expletum emiserit votum, se judicaturum, non obligari, nisi ex singulari indole, vel institutione aliud colligeretur. Quamquam pro voti valore neque ego assentirer septennium putandum esse sufficiens. Ex qua varietate opinandi quoad initium sufficientis discretionis in homine; patet difficulter illud cognosci posse, unde difficulter etiam reduci posset ad primum sententia praedicta docens: fideles teneri abstinere a carne, quandocumque incipiunt pollere usum rationis.

45 Ex praedicta quidem discrepantia in designando tempore, quo sufficiens rationis usus incipiat in pueris, ad servandum hoc abstinentiae praeceptum; oritur etiam inter Doctores opinionum discrepantia in præfiniendo tempore, quo ipsi pueri tali præcepto urgeri incipient: Alii quippe illud ponunt circa finem septennii: ita Azor. Sanch. Bonac. Tann. Bass. & alii apud Go-

bat in exper. Theol. de Sacrament. tr. 5. n. 310. Alii dicunt: in pueris educatis in Urbe incipere circa finem septennii, in pueris vero rusticanis, aliisque similibus circa nonum, & decimum; puellis vero similiter rusticis prædictam obligationem incipere circa octavum, & nonum annum etatis.

Sed haec sententiae, ut ajebam, vix facilem primum sortiri posse vindentur: Cum tamen, ut Lex, ita & tempus ipsius servandæ, facile oporteat esse servabile, ex communi Doctorum sensu. Profecto dum dicunt circa finem septennii: vel intra octavum, & nonum annum: ex ipsis cognosci nequit, an hodie hic puer, haec puella teneatur abstinere a carne? Non sic autem in nostra sententia, quæ ponit tempus determinatum, & definitum, nimirum statim post septennium completum: præsertim cum potior ipsa discrepantium Auctorum pars ad septennium collimare videatur in plurimis.

Est & aliorum sententia, quæ 46 docet: pueros, quando venialiter peccare possunt, sub veniali obligari ad leges Ecclesiæ: quando autem mortaliter, sub mortali. Ita Dicatil. apud Gobat in experim. Theol. de Sacrament. tr. 4. n. 129.

Quæ quidem sententia, teste La-Croix loc. cit. est multorum, & a Diana to. 1. Edit. Coord. tr. 3. R. 47. §. 2. fine reputatur probabilior. Juxta hanc sententiam pueri, & puellæ incipiunt teneri abstinere a carne &c. sub mortali, quando incipiunt tantum lumen rationis habere, ut mortaliter peccare possint: sub veniali autem, quando venialiter delinquere valeant.

Sed & haec sententia eamdem cum prio-

prioribus rejectis habet difficultatem pro praxi ; difficulter enim intelligi potest , quando nam pueri cœperint tantum lumen rationis habere , ut mortaliter peccare possint , aut solum venialiter delinquere valeant . Ita ut a prudentibus etiam & expertis Confessariis fere dubitetur : an puer confitens aliquod peccatum materiæ ex se gravis , advertat , & cognoscat illius malitiæ gravitatem ; idque ex eo , quod dubitent , an puer ad id sufficiens requisitum lumen acquisiverit rationis ?

Esto autem huic sententiæ libens subscribam , cum pro foro interno pœnitentis status judicari debeat ; at pro externo , & , ut ita dicam , in faciem Ecclesiæ , ne res scandalosæ pateat dissidentiæ , certo aliquo & communi termino definienda videtur , ultra quem (nisi ex evidenti exceptione) haud licet excurrere : pro quo cæteris aptius , ut universalius , statui videtur septennium completum .

47 Antequam vero progrediamur ad alia , animadvertisendum hic est : sententiam illam cit . num . 43 . propositam , docentem , pueros ante septennium non teneri legibus ecclesiasticis , quamvis forte ad usum per venerint rationis : non esse intelligendam sensu universalissimo ; sed minus universalis ; quod scite animadvertisit Cardenas in Crisi Theol . tr . I . de probab . disp . 8 . c . 2 . Enimvero constat , prædictam propositionem esse falsam respectu præcepti ecclesiastici præscribentis jejunium naturale ante sumptionem Eucharistiæ : cuius Jejunii finis non est castigatio carnis , sed reverentia debita Sacramento . Unde est , quod si puer usum rationis adeptus ante septennium , communicet ; tenetur ex

ipso sensu Ecclesiæ , accedere jejunus . Item , etiamsi dicatur : præceptum præmittendæ confessionis peccati lethalis sumptioni Eucharistiæ , esse ecclesiasticum : (de qua re videri possunt dicenda tr . 2 . lib . 5 . par . 2 . in ejus par . I . c . 3 . Sect . 3 . qu . 3 . num . 41 .) adhuc in hac sententia , si puer ante septennium peccaverit lethaliter , si deinde adhuc ante septennium communicet , ex eodem sensu Ecclesiæ tenetur confiteri , priusquam ad communio nem accedat . Denique pueros etiam ante septennium , si mortaliter peccaverint , teneri præcepto annuæ confessionis , docebimus cum communi Doctorum in Append . ad calcem Diar . cap . 13 . At vero , quod sciam , hujusmodi sensus Ecclesiæ ; aut praxis obligandi pueros ad abstinentiam a carnibus ante septennium , rationis usu forte maturius adepto , non datur .

Interrogabis hic I . Utrum pueri 48 teneantur incipere abstinere a carne illo ipso die , quo compleat septennium , ac statim post punctum completa ætatis ?

R . Affirmative . Et pro completa responsione ad hanc interrogacionem omnino vide dicta tr . I . l . 1 . c . 1 . art . 9 . Sect . 7 .

Interrogabis II . Utrum possit comedere carnes die 24 . Februarii incidente in feriam sextam in anno Bissextili , qui ortus est die 24 . ejusdem mensis septimo ab ea anno ?

Respondendum videtur , affirmative : quia septimus annus jam numerari cœptus a die 24 . Februarii , occurrente anno Bissextili , non videatur compleri nisi die 25 . Februarii quia secunda dies bissexta est complementum septennii præcedentis , cui

cui id deerat ad complementum integrum circuli Solis per Zodiacum ; ideo ad complementum illius etatis ea dies accipienda esse videtur ; cumque etas ad abstinentiam a carne requisita supponatur esse septimus annus completus ; videtur dicendum : eum , qui septimo ab hinc anno natus est die 24. Febr. si nunc sit annus bissextillis , non teneri abstinere a carne die 24. Febr. si sit puta Feria 6. sed incipere obligari die sequenti 25. illa eadem hora , quanatus est septimo ab ea anno . Favet in simili Th. Sanch. de Matr. to. I. l. 2. disp. 24. n. 22. & 23. & in Decal. to. I. l. 4. c. 35. num. 3. aliquique apud eundem , item Diana to. 2. Edit. Coord. tr. 5. R. 102. §. 1. Videri etiam possunt dicenda I. 3. 24. Febr. art. 6. ubi de not. in an. Bissex. qu. 2.

50 Interrogabis III. Si dubitetur , utrum puer , completo septennio , pervenerit ad rationis usum , potest ne illi ministrari caro ?

R. Negative . Ratio est , quia supposita presumptione orta ex communiter contingent , videtur cessare dubium illud , & possessio stat pro lege . Profecto leges positivæ , ut superius diximus , attendunt ad ea , quæ communiter contingunt , sed usus rationis , secundum superius dicta , communiter contingit septennio completo ; ergo completo septennio , Pueri , si non certo constet , carere adhuc rationis usu , presumuntur a lege , ad requisitum rationis usum jam pervenisse . Ergo tunc obligantur , ad abstinentiam a carne , & aliis cibis vetitis : adeoque non possunt ipsis preberi ; & ita tenet Thom. Sanch. in Decal. to. I. lib. 4. c. 35. num. 3. Dia-

to. I. edit. coord. tr. 3. R. 46. & apud eum Jo. Sanch. & Castropal. Ita quoque Franciscus de-Lugo de Sacr. lib. 5. de Miss. cap. 14. qu. 2. num. 16. loquens de precepto audiendi Missam , quod similiter iacipit pueros obligare ; Tambur. in Decal. lib. I. cap. 3. §. 7. litt. A. V. Etas numer. 6. ubi cum Caramuele docet , puerum , completo septennio , si non positive probetur , carere adhuc rationis usu , videri moraliter certum , illum habere ; nam haec consequentia ; Fere omnes septennes usum babent rationis . Ergo etiam hic puer , qui septennium complevit : videtur probabilis , & debet fortibus elidi rationibus , quare si nulla ratio contra eam militet ; videtur , inquit , moraliter certa .

Estque hic animadvertisendum : quod non sint expectanda signa moraliter certa , & evidenter de eo quod pueri completo septennio polleant usu rationis : præsertim ut incipient obligari precepto abstinentie a carne , & lacticiinis : cum ad hoc sufficiat minimus rationis usus , quemadmodum & ad audiendum Sacrum diebus festis ; & ita hebet praxis populi christiani .

In predicto itaque dubio est obligatio abstinenti a carne , quia , ut dicebamus , possessio stat pro lege . Contra vero , quia possessio stat pro libertate , possunt ministrari carnes pueris ante septennium in dubio , an rationis acquisierint usum ? Tambur. loc. cit. quod certum esse , docet Diana loc. cit. adducens Alphonsum de Leone , & alios tacito nomine ; idque etiam in sententia illorum , qui , ut superius notavimus , volunt initium obligationis abstinentie hujusmodi in pueris incipere , ubi

ubi primum rationis acquisierint usum adhuc ante septennium.

51 Interrogabis IV. Si dubitetur, an puer compleverit septennium, potest ne ei administrari caro?

R. Si dubium nullo modo tolli possit, puta, petendo a Parocho, vel a Parentibus, vel aliis, qui scire id possint, aut ex aliquibus circumstantiis; potest illi ministrari caro: quia possessio stat pro libertate. Enimvero libertas, qua per totum tempus antecedens certo gaudet, non potest tolli a precepto dubio, de quo scilicet, nondum constat, quod obligare cœperit respectu illius; Ita in simili de jejunio, quando dubium sit, an quis compleverit 21. annum? discurrit Tambur. in decal. I. cit. n. 3. Dixi: *Si dubium nullo modo tolli possit: quia dum puer rationabiliter dubitat de ætate requisita, si negligat veritatem inquirere, & interim comedat carnes, peccat; quia tenetur inquirere: utrum possessio stat adhuc pro sua libertate, an cœperit stare pro lege? Quod si negligat, malefici dei possessori assimilatur: Ita in simili Tamb.* I. cit. lit. C. V. *Censura* n. 3. Idem dic de eo, qui hodie, aut simili die velit præbere carnes puer, & dubitans, ne compleverit septennium, ab eodem id scire volens, interroget eum; sed puer, se id nescire, reponat; aut etiam ille asserat non expleuisse, ipse tamen adhuc dubitet ex aliquibus circumstantiis, an id verum sit? In hoc casu equidem non potest puero præberi caro, nisi de pueri ætate inquisitio debita fiat.

52 Interrogabis V. Si quis puer obligatus abstinere, comedat carnes die vetito, eo quod ignoret esse e. g.

Feriana sextam: an sit obligatio morandi eum?

R. Cum hec sit ignorantia vincibilis, utique est obligatio corripendi; nam ignorantia illa non excusat a peccato: tenentur itaque morare Parentes, sive alii, quibus incumbat, instruere puerum. Item probabilius est, quod teneatur, cum monere quivis alias. Vide La-Croix l. 2. qu. 58. n. 214. Certe autem peccat, qui puerum obligatum a carnis abstinere, & non recordantem diei Veneris, inducat ad comedendas carnes. La-Croix lib. 3. part. 1. qu. 62.

Qu. IX. Utrum sit certa aliqua 53 ætas, ad quam ubi fideles pervenerint, excusentur a precepto abstinenti a carnis?

R. Affirmant Didacus de Narbona, & Ludovicus a S. Raymundo, quos citat, & sequitur Chiavetta Consul. 173. n. 2. Hi nimur volunt Octogenarios, etiam præscindendo ab omni alia causa, ratione ætatis præcise, esse immunes non solum a precepto jejunii quoad unicam comestionem, sed etiam a precepto abstinendi a carnis, adeoque in Feria sexta, & Sabbato, & Quadragesima, aliisque diebus, in quibus prohibita est comestio carnium, licite carnis Octogenarios vesci posse, contendunt. Assignant rationem, quia omnes, qui actualiter sunt infirmi, aut debiles, excusantur a precepto abstinendi a carnis in diebus, quibus indicitur abstinentia haec; sed Octogenarii præcise, quia in tali ætate, sunt actualiter infirmi, & debiles; ergo excusantur &c. Probant minorem: quia senectus talis, qualis est in Octogenariis, est morbus gravissimus, qui

qui in dies debilitatem virium maiorem affert.

Neque obstare, dicunt, dari aliquem Octogenarium pollentem viribus: nam sicut si detur aliquis sexagenarius, qui vires habeat, adhuc per Doctores quam plurimos excusatur a jejunio, & in die jejunii potest plures comedere, quia, ut ait Galenus lib. 5. de sanitate tuenda; per se illa ætas talis est, ut declinet a consistentia virium, & habeat, ut ait idem Galenus ibid. lib. 6. actiones invalidas, & sanitatem querimoniis plenam, & ideo indigens est replicato cibo; & nihil refert, si in aliquo videatur florida, cum per se sit marcescens, & talis, ut in dies decrescat a statu salutis; ita etiamsi detur aliquis Octogenarius qui videatur robustus, adhuc tamen, quia in ipso nedum declinat, sed jam est robur declinatum, & nullam consistentiam habet: ideo excusari debet, ajunt, a præcepto abstinenti a carnibus, ut sic illud robur apparet, quod habet, retinere possit; ita prædicti Autores.

Horum opinioni favere posse videtur illud Psal. 89. 10. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni: & amplius eorum labor, & dolor.* Jamvero si ex ipsomet testimonio Spiritus Sancti illud amplius, quod trahitur vitæ, post annum octagesimum, etiam generaliter loquendo, non est nisi labor, & dolor: ætas videlicet infirma, & variis malis, & ærumnis obnoxia: ut explicat Bellarm. Comment. in præd. Psalm. utique laboranti, ac dolenti octogenario seni, ut carnibus resi-

ciatur, concedi posse videtur. Favet etiam opinioni prædictæ insignis, ut Quintanadvenas loco infra cit. dicit, medicus Petrus de Peromato in lib. de piscium insalubritate, ubi docet: elsum carnium intrepide concedendum esse senibus, qui ætatis annum excederint sexagesimum.

Verum de Octogenario sene la. 54

borante, ac dolente non est dubium: quæstio est de Octogenario sene, qui forte non laboret, & doleat, sed validus videatur, & potens servare a caribus abstinentiam; an scilicet, & hic nihilominus, excusat, ut robur valeat conservare, quod habet, seu potius videtur habere: cum in hujusmodi sit declinatum, & nullam consistentiam habens? Hoc laudati affirmant Autores. Quod autem an sit saltem probabile? examinare non vacat, dum ad utiliora vocamur. Profecto Octogenarius senex validus, viribusque pollens rara avis in terris, nigroque simillima Cycno. Juvenalis Sat. 6. Adversus autem opinionem illam excusantem Sexagenarios a jejunio, (quam etiam Tho. Tambur. in 4. præc. Eccl. c. 10. nu. 5. dicit, esse communem Doctorum, & pro ea videri etiam potest Ligori oper. Ital. Instruzione e pratica per li Confess. to. 1. c. 12. pu. 1. §. 2. num. 25. Quam quæstionem etiam breviter attingit La-Croix l. 3. par. 2. qu. 257. §. 4. Busemb. lib. 3. par. 2. tr. 6. c. 3. dub. 2. §. 11. Causa) Adversus, inquam, opinionem illam, pugnant quamplures Doctores, ut videre est apud La-Croix l. cit. & novissime adversus eam acriter invectus est Daniel Concina, & illam omnino improbabilem esse con-

ten-

tendit in suis animadversionibus critico-moral. in Menda Pontasiana , animadvers. 1. ubi etiam allegat auctoritatem S. Vincentii Ferrerii expresse volentis, octogenarios ipsos ad jejunium obligari . Sed vide dicenda tr. 2. l. 4. par. 1. c. 1. nu. 49. fine . Medicum autem illum , volentem , esse concedendas carnes etiam sexagenariis , rejicit ipse Quintanadvenas to. 2. singular. tr. 9. singular. 1. n. 7. & Tambur. cit. c. 10. num. 25.

55 Qu. X. An teneantur abstinere a carne &c. Fatui seu Amentes?

R. 1. Si sermo sit de semifatuis , & amentibus in aliqua tantum linea , ut ajunt , seu materia : ex La-Croix lib. 3. part. 2. qu. 238. §. 2. cum simpliciter habeant usum rationis , comprehenduntur lege , sicut & ebrii . Prædictis itaque amentibus , sicut & ebriis dari non possunt carnes , & lacticinia in diebus vetitis , quantum est ex vi amentiæ prædictæ , quæ illos per se non excusat . Dixi : non excusat per se : quia nonnulli volunt , prædictis Amentibus posse , imo & debere carnes ministrari , ex eo quia contendunt , cibos quadragesimales grave nocumentum amentibus afferre , cum ; ut ajunt , multum nutrient humorem melancholicum . Quod si verum est , possunt utique ministrari carnes amentibus hujusmodi ; sed hoc nonnisi ex illa regula generali , ex qua præcepta Ecclesiæ non obligant , cum notabili , & gravi damno , in sensu explicato superius qu. 7. inter. un. n. 38.

56 R. 2. Si sermo sit de plane , ac perpetuo amentibus , qui tales effetti sint post acquisitum rationis usum , quem deinde plane , ac perpetuo a-

TOM. I.

miserint ; sunt , qui simpliciter negant ; sunt , qui simpliciter affirment , hos teneri ad abstinentiam prædicant ; & sunt , qui excusent , ubi fuerit consuetudo recepta . Vid. Azor. Instit. Mor. par. 1. l. 7. c. 17. qu. 3. fine . Tho. Sanch. in Decal. tr. 1. l. 1. c. 12. n. 16. Tambur. in Decal. lib. 4. c. 5. de jejun. §. 1: n. 9. & in 4. præc. Eccl. c. 2. n. 13: Diana to. 4. Edit. Coord. tr. 6. R. 67. §. 3. La-Croix 1. cit. Chiavet. Consult. 174. n. 5. Fagund. in 4. præc. Eccl. 1. 1.c. 8. n. 8. fin. Sententia negativa est quidem communior ; sed videtur standum esse consuetudini , quæ fuerit ubique recepta .

R. 3. Si sermo sit de plane , ac 57 perpetuo amentibus , qui nunquam rationis usum habuerint , dicendum est , non teneri eos hoc præcepto . Ratio est , quia , cum numquam prædicti fuerint rationis usu , ideo sicut infantes , non sunt capaces obligationis , ut ex D. Thoma , aliqui Doctoribus dicemus , ubi de præcepto Communionis annuæ , & Paschalis tr. 2. l. 5. par. 2. in ejus prima par. c. 3. Sect. 3. qu. 8. n. 56.

Qu. XI. An occurrentibus in Feria sexta aliis similibus obligationibus abstinendi a carne ex præcepto Ecclesiæ , puta ratione quatuor Temporum , Vigiliæ , & Temporis quadragesimalis ; tot peccata committat in hoc casu , qui carnes comedat , quot sunt obligationes diversæ in unum concurrentes diem ? Idem queritur de Sabbato .

R. Probabilius esse , unum peccatum committere : quia idem est motivum formale : quapropter reputatur unica transgressio legis . Vid. dicenda lib. 3. in Septemb. par. 1. Sect. 5. subsect. 5. n. 49. & ex ibi-

Q q

dem

dem etiam dicendis habes : probabilius esse , satis fore , in confessione se simpliciter accusare : comedisse carnes in die prohibito .

59 Inter. Quid igitur ? Si motivum formale sit diversum : puta si teneatur ex voto ob motivum Religionis , ex precepto Superioris : ex paenitentia Sacramentali : tot ne distincte peccata erunt , quot sunt motiva intrinseca diversa : Et omnia in confessione aperienda ?

R. Affirmative . Vid. dicenda in Septemb. I. cit. n. 48. Sed nota hic primo , aliquos apud Salmanticenses to. I. tr. 20. de princip. Moral. c. 12. pu. 2. num. 11. tamquam probabilius contra alios docere : Religiosum Minimum adstrictum quartto voto utendi semper cibo quadragesimali , si comedat carnes die , quo aliunde Ecclesia prohibet , puta in Feria sexta ; unicum peccatum committere . Verum ita sustinent , quia dicunt , Religiosos Minimos non elicere quartum votum abstinentiae ex motivo Religionis , sed temperantiae , adeoque ex eodem motivo formalis , ex quo præcipitur ab Ecclesia . Si autem sic , non sunt duas leges formaliter diversae : & consequenter illarum transgressio non est duplex peccatum ; ut num. precedenti statuimus . Concedunt tamen , fore nihilominus sacrilegam in prædictis Religiosis comedionem carnis , propter votum ; & certe explicari debet in confessione , ut constat de circumstantiis notabiliter aggravantibus . Idem dicunt de abstinentia a laeticiis pro Quadragesima .

Idem propter rationem eandem alii etiam tamquam probabilius asserunt de Franciscanis non jejunantibus Feria sexta Quatuor Temporum ,

aut occurrente in Vigilia , & Quadragesima . Vid. Luc. Ferar. in sua Bibl. Edit. 3. Bonon. V. *jejunium* art. I. n. 62. & dicenda lib. 3. in Septemb. par. I. l. supra cit. n. 49. & tr. 2. l. 4. par. I. c. 1. art. 8. qu. 9.

Nota 2. Eum , qui in Feria sexta , aut simili die , qua prohibentur carnes , teneatur jejunare ex voto ; si postquam fregerit jejunium , comedat carnes : etsi peccet contra præceptum Ecclesie , probabile tamen est , non peccare contra votum : adeoque illam comedionem carnis non esse sacrilegam . Vovit , v. g. quis jejunium qualibet die vigesimaquinta in honorem Jesu Infantis : & aliquid dies vigesimaquinta mensis incidit in Feriam Sextam , in qua fregit jejunium per duplēm reservationem ex cibis permisis , peccavitque contra votum suum ; quod si fregerit per carnis comedionem , peccavit etiam contra præceptum Ecclesie , & item hujusmodi comedio fuit sacrilega . Deinde vero eodem die , puta sero coenavit , & comedit carnes : certe peccavit iterum contra præceptum Ecclesie ; sed probabile est , non peccasse iterum contra votum suum : adeoque illam carnis comedionem , que sequuta est post fractum jejunium , non fuisset sacrilegam . Hujus doctrinae rationem ex Thom. Sanchi assignavimus hac secunda par. c. I. de Dominica art. 9. de jejunio , qu. 6. n. 93. & 94. sed lege etiam quæ ibidem diximus in fine . Ex his habes : Religiosum Franciscanum , quæ Feria sexta teneatur ad jejunium , etiam supponendo , quod ad id teneatur ex voto , non autem simpliciter ex præcepto Regulæ : si postquam illud frangat , carnes comedet : per illam carnis

nis comedionem, probabile est, unicam peccatum committere contra præceptum Ecclesiæ: probabiliter enim non peccaret contra votum suum: adeoque illam carnis comedionem, probabile est, non fore sacrilegam.

61 Qu. XII. An toties peccetur mortaliter, quoties comedantur carnes in die vetito?

R. Affirmative, si una carnis comedio sufficenter distet ab altera; & ita habet communis, teste La-Croix lib. 3. par. 2. qu. 237. §. 1. & Tambur. in Decal. l. 4. c. 5. §. 1. n. 17. dicit, esse certum. Ratio est, quia præceptum abstinentiae a carne est negativum, prohibens videlicet, ne ullo hujus diei tempore carnes comedantur. Idem est de ovis, & lacticiinis diebus prohibitis. Diana to. 4. Edit. Coord. tr. 6. R. 84. §. 1.

Dixi: *Si una carnis comedio sufficenter distet ab altera: quia si tam parum distet, ut in morali existimatione uniri videatur, & unum facere cum priore; unicum etiam mortale peccatum poterit judicari.* Comedat v. g. quis carnem valde manu, & in meridie, & Vespere: in hoc casu sufficenter una carnis comedio distet ab altera, nec secunda, aut tertia censeri potest unum facere cum præcedenti comedione: Atque adeo triplex erit transgressio unius præcepti, triplexque letale peccatum. Tamb. loc. cit.

Contra vero si quis ad Mensam ex. gr. sedens, comedat ferculum iunctum ex carnibus, mox pergit ad tria quatuorve fercula ex piscibus, deinde redeat ad aliud ferculum ex carne; in hoc exemplo unicum numero peccatum committi censet Tambur. n. 18. quia, inquit, per conti-

nuationem hujusmodi comedionem, una est refæctio, unaque moraliter transgressio. Idipsum docet La-Croix lib. 6. par. 2. qu. 129. §. 6. At si interrupatur per alia negotia, dicit Tambur. tunc judicio prudentis viri judicandum fore, an, si redditum sit ad iterum comedendum, confletur unica moraliter comedendi, seu se reficiendi actio? Et quidem ipse, si post integrum horam redeat quis ad carnes, sive recesserit animo continuandi postea comedionem, sive non continuandi; putat multiplicari peccata; quia tam distans tempus hæc in re viderur sufficiens ad moralem multiplicationem: si vero redeat post quadrantem cum dimidio, non ita propter contrariam rationem: sic, inquit, persuadet paritas ducta ab eo, qui die jejunii surgit a mensa, & deinde post horam, vel semihoram reddit. Post horam etenim, vel semihoram putat, quantum est ex hoc capite discontinuationis, solvi jejuniū; post quadrantem vero ejusdemque medium non item. Verum La-Croix loc. cit. putat probabile esse, illas duas sumptiones carnis facere unam comedionem, atque adeo unum peccatum, quia relinquunt unitatem refæctionis, sive prandii; quemadmodum si Sacerdos sumat in mortali unam hostiam, & post communionem ad duas horas distributam sumat reliquias particulas consecratas, est unum peccatum indignum sumptionis, quia nempe ille duas sumptiones pertinent ad consummationem unius Sacrificii, non obstante tanta interruptione physica. Ita La-Croix. An autem toties peccetur mortaliter, quoties sumatur parva quantitas carnis post primam sumptionem carnis, sive magnam, hæc

parvam? examinavimus quæst. 2.
num. 28.

- 62 Qu. 13. An qui potest comedere carnes in die vetito, possit eas plures in die comedere?

R. Huic quæstioni satisfaciemus tr. 2. lib. 4. par. 1. c. 1. art. 8. q. 12. n. 93. Vide ibi dicenda.

- 63 Qu. XIV. An dispensatus ad unum genus carnium, ex. gr. ad Gallinas, possit quaslibet carnes comedere, etiam nocivas, puta porcinas?

R. Affirmat Tambur. in Decal. lib. 4. c. 5. §. 1. n. 8. quia, inquit, una est, & individua omnium carnium prohibitio; quare etsi carnes per se nocivæ documentum valetudini pariant, unde illas comedens peccet contra temperantiam, non tamen peccat contra legem abstinentiæ a carne; ita ille; sed oppositum existimat esse probabilius La-Croix l. 3. par. 2. qu. 256. quia, inquit, determinatio illa ad unum certum genus carnis, satis significat, mentem dispensantis esse ad illud restrictam, maxime cum pro carnibus nocivis non sit ratio dispensandi, quæ erat conducentia ad valetudinem. Atque hoc posterius puto simpliciter habendum esse provero: dispensatio enim ita facta, æquivalet dispensationi factæ cum exceptione: At exceptio, ex notissimo Juris principio, firmat regulam in non exceptis.

- 64 Inter. Sed quid? Si propter valetudinem dispensatum esset in genere ad carnes?

R. Ipse La-Croix l. cit. affirmat, in hoc casu videri licitum, comedere quaslibet carnes, etiamsi hæc aut illæ in communi non habeantur salubres; forte enim, inquit, præderunt huic subjecto, maxime si ad illas sit magnus appetitus, nec im-

modice sumantur; foretque alias nimis expositum scrupulis, cum nesciamus; quænam obsint, aut profint magis.

Qu. XV. Quis possit dispensare ad 65 edendas carnes, & ex quanam causa?

R. De his, & similibus dubiis ad dispensationem hujusmodi pertinentibus agemus tr. 2. l. 4. par. 1. c. 1. art. 2.

Qu. XVI. An peccet, qui die Veneris, vel alio vetito cogitans carnes, delectetur earum esu; cognoscendo veluti non prohibitum?

R. Negative; Ita La-Croix l. 5. qu. 17. §. 4. num. 80. ubi docet: quod si malitia per cognitionem possit separari, & re ipsa separetur ab objecto, non erit peccatum; ut si quis, inquit, delectetur esu carnium die Veneris, cognoscendo veluti non prohibitum. Assignat rationem: quia delectatio non fertur in objectum, prout a parte rei est, sed prout apprehenditur: ergo si feratur in objectum exercite, & efficaciter præcium a malitia objectiva, nulla malitia formalis poterit inde refundi in actum; nam talis delectatio fertur in objectum, virtualiter sub conditione, si non sit malum: idque contingere potest in rebus non intrinsece malis; sed ideo præcise malis, quia prohibitis. Nec obstat desiderium carnium diei Veneris esse peccatum, quamvis aliquis vellet præscindere a prohibitione, & optaret, abesse omnem malitiam objectivam; enimvero desiderium estactus efficax, qui fertur in objectum, prout a parte rei ponitur cum sua malitia, & sic qui desiderat, comedere carnes, quod cognoscit esse prohibitum, vult comedionem a se ponni, quam, supposita lege prohibente,

te, scit non posse ponī sine transgressione legis; ergo tendit in aliquid cum oppositione ad legem. Contra vero delectatio in casu nostro est actus inefficax, & tantum fertur in comeditionem, prout objectum, seu prout in cogitatione est aliquid v. g. utile corpori, neque hæc cogitatio infert illa, quæ essent a parte rei conjuncta cum illa comeditione; ergo cum comedio in ratione objecti preſcindat a malitia, non erit peccatum, per simplicem delectationem ferri in illam. Hæc La-Croix.

67 Qu. XVII. Si quis ex ignorantia invincibili comedenter carnes in Feria sexta, si, postquam adverterit, approbet illum actum, vel eo delectetur: an peccet mortaliter?

R. Affirmat cum aliis La-Croix l. 5. qu. 2. §. 10. n. 89. quia illud objectum est in se malum; quod autem non fuerit peccatum, ideo est, quia non fuit voluntarium; ergo si nunc accedat voluntas talem actum approbans, vel de illo gaudens, quod fit in delectatione, erit peccatum, quod specificatur a malitia objectiva gravi. Nec obstat, quod objectum, seu comedio carnis die Veneris facta ex ignorantia invincibili non sit intrinsecè mala; nam etiam illa, quando fiebat, erat materialiter mala, & graviter prohibita, ut supponitur; aliud est, si fuisse, e. g. propter infirmitatem; tum enim licitum esset de ea delectari; quia tunc nullam habet malitiam objectivam, ne quidem materialem. Ita La-Croix.

68 Qu. XVIII. Si quis die Veneris, vel alio simili vetito vellet carnes comedere, si non esset vetitum, an peccet?

R. Per se loquendo non peccat,

quia comedio illa est de se capax motivi saltem indifferentis, & seclusa per conditionem prohibitione, objectum illud non est de se malum. Vid. La-Croix §. 5. qu. 17. l. 9.

ARTICULUS II.

*De Missis Votivis Passionis,
& Crucis.*

IN Missali Romano post Commune 69 & Sanctorum, & Dedicationis Ecclesiæ habentur Missæ nonnullorum Mysteriorum Domini, Beatæ Maríæ Virginis, & aliquorum Sanctorum, quæ dici poterunt tanquam Votivæ, etiam pro Conventuali infra hebdomadam in feriis non impeditis: uti notavimus, & explicavimus hic par. 1. cap. 1. n. 1. Singulis assignantur Feriæ, in quibus celebrentur. Præsens hæc Feria assignatur Missis de Passione Domini, & de Cruce. Congruentia patet, cum hæc Feria sit specialiter dedicata ad recolendam Dominicam Passionem, & mortem in Cruce. In utraque Missa servabuntur ea, quæ in similibus diximus in Feriis præcedentibus. Præfatio autem erit propria de Cruce, etiam tempore Paschali. Merat. to. 1. par. 1. tit. 4. n. 29. & 47. Paramenta Celebrantis erunt coloris rubei in Missa de Cruce. In Missa autem de Passione coloris violacei. Merat. n. 36. Si solemniter autem celebrentur, etiam altaris paramenta in colore erunt conformia Missis. Confer dicta par. 1. c. 1. n. 2. & Vide dicta in Dominica n. 52. in Decr. de die 2. Julii an. 1661. in Toletana & ibidem n. 54. fine. Si hæc Missæ celebrantur tempore Passionis, videatur dicenda tr. 2. lib. 4. par. 2. c. 6. n. 8.

A R.

ARTICULUS III.

*Nob. pro Officio Sancte Maria
in Sabbato.*

70 **S**i cras sit recitandum Officium S. Marie in Sabbato; in casu, quo præcedenti hac Feria sexta sit recitatum Officium dupl. 1. cl. respuens commemorationem sequentis simplicis, atque adeo commemorationem hujusmodi officii B. Marie in Sabbato: quæritur utrum nihilominus in fine hymni Completorii hodierni dicendum sit, *Jesu tibi sit gloria qui natus es de Virgine?* Negat Gavant. Sect. 5. c. 6. n. 15. fine. At vero Guyetus lib. 4. c. 19. qu. 3. significat, non esse improbatum, præsumtum versum: *Jesu tibi*, dicto etiam casu esse dicendum: eo quod, licet omissa commemoratione B. Virginis nondum inchoatum fuerit Officium diei sequentis de B. V. formaliter, & expresse; nihilominus cum de ea in sequenti Sabbato futurum sit Officium, virtute saltem censeri debet inceptum adeoque jam assunenda, quæ ejus sunt: proinde atque retinentur in Festo primæ classis occurrente infra Octavas, quæ ad Octavam pertinent; quamvis de ea nulla facta sit commemorationis. Sed nos omnino sentimus cum Gavanto, in casu Officium sequens nullo modo sit cœptum; & etiamsi daremus, virtute saltem in cœptum censeri debere: nihilominus id ad intentum sufficere, minime judicamus. Exemplum autem ab Octava petitum; nullum est: nam in posse casu durat Octava realiter cœpta: et si quoad aliqua interrupatur.

ARTICULUS IV.

De Indulgencie.

§. I.

Indulgentia concessa orantibus, & recolentibus memoriam Dominica Passionis, & mortis qualibet Feria VI. ad pulsus Campanæ.

Ad Passionis, & Agonie Redemptoris, & Domini nostri Jesu Christi memoriam in omnium Christianorum animis excitandam, atque fovendam, Benedictus XIV. Constit. 9. incip. *Ad Passionis. tom. 1. Bullar. sui*, Indulgentiam centum dierum concessit iu perpetuum omnibus, qui singulis Feriis sextis totius anni, hora tertia post Meridiem, ad sonum Campanæ Ecclesiastiarum Metropolitanarum, Cathedralium, & Parochialium, flexis genibus, quinques orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam devote recitaverint, & oraverint, ac pro Christianorum Principum concordia, heresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, nec non salutari perditorum hominum emendatione, pias ad Deum preces effuderint.

Hujusmodi preces ad recolendam Dominicam Passionem, & mortem, quemadmodum fiunt in Feria VI. eo quod in ea Christus passus, & mortuus sit; ita & hora tertia post meridiem designatur ad eas fundendas, quia Christus circa eam horam mortuus est; ex Evangelistis enim mortuus est hora nona, seu circa horam nonam diei videlicet usualis. (de quo l. 1. c. 1. nu. 3. & 4.)

ar-

atque adeo hora tertia , seu circa horam tertiam post Meridiem (vid. dicta l. i. c. i. n. 17. fine) Quia tamen Christus mortuus est proxime post æquinoctium vernum ; quo tempore Meridies est circa horam decimam septimam cum dimidia , juxta computationem , & denominationem horarum diei naturalis secundum horologium italum (vide dicta loc. cit. nu. 16. fine) atque adeo tunc hora tertia post Meridiem est circa horam vigesimam cum dimidia ; hinc usus habet , ut quolibet anni tempore ad predictas preces recitandas , signum Campanarum pulsu detur proxime post horam vigesimam cum dimidia , puta hora vigesima prima , juxta computationem predictam .

Laudatæ vero piissimæ institutionis Auditorem fuisse Bonum Cremonensem , tradit Ughellus in Italia sacra to. 4. pag. 27. litt. d. relatus a Lucio Ferrar. in sua Biblioth. to. 8. edit. Bonon. in primo supplem. V. Eucharistia n. 2.

72 Denique animadvertisendum est , prefatum Pontificem Constit. cit. injunxit , & in virtute sanctæ obedientie mandasse Parochis , Rectori-

bus Ecclesiæ , aliusque quocumque nomine appellatis Superioribus , ut Campanam uniuscujusque Ecclesiæ pulsari faciant hora præfata , ad commonendum videlicet populum pro recitatione laudatarum precum , ac recolenda memoria Dominiæ Passionis , & Agoniae .

S. II.

Indulgentia pro Corona Domini nostri Jesu Christi.

PRO hac Indulgentia vide dicta in 73
Feria secunda art. 2. sect. un.

A R T I C U L U S V.

De quadam Superstitione .

Q u. An sit superstitione , seu vana 74
observantia , si quis Feria sexta nolit unguis præscindere , quia malum aliquid sibi ideo eventurum putet ?

R. Affirmative . Busemb. lib. 3.
part. 1. tr. 1. c. 1. dub. 4. Resp. 4.
Resol. 1. Tambur. in Decal. 1. a.
c. 6. §. 1. n. 27. An autem hujutmodi superstitione sit mortalis , vel venialis ? Vid. Tambur. loc. cit.

C A.

C A P U T VII.

N O T A N D A I N S A B B A T O.

E X P L I C A N T U R A R T I C U L I S VIII.

- Art. I. *De Sabbatho quo ad se.*
 Art. II. *Not. Pro Antiphona B. Virginis in fine Officii : & pro Officio eiusdem B. Mariae in Sabbatho.*
 Art. III. *De Missa.*
 Art. IV. *De Officio Votive hebdomatico Conceptionis B. M. V.*
 Art. V. *De Origine, & Causa Dedicationis Sabbathi ad specialem cultum B. M. V.*
 Art. VI. *Not. Pro Salutatione Angelica ad pulsum Campanæ ; & Oratione nocturna pro Defunctis.*
 Art. VII. *De Abstinentia a carne.*
 Art. VIII. *De quibusdam Superstitionibus.*

A R T I C U L U S I.

De Sabbatho quo ad se.

Q. I. Quid sit Sabbathum?

R. Sabbathum proprio est nomen dñi septimi, & ultimi cuiusque hebdomadæ, ut notum est, & constat ex dictis c. i. de Dom. art. 1. Qn. 1. Vox autem est hebraica ab hebraico verbo *Sabbat*, quod latine interpretatur quiescere, & ab operando cessare. S. Isidor. hispal. Episc. de Offic. l. 1. c. 24. de Dom. & cap. 30. de Sab. Paschæ. Azor. Instit. mor. par. 2. lib. 1. c. 1. qu. 5. Cornel. Jansen. Episc. Gandavens. Comment. in concord. Evangel. c. 37. initio.

Sic autem dictus fuit dies hebdomadæ seprimus, quia cum in principio Deus Cælum, & terram, & omnia, quæ Genesis 1. narrantur, creasset sex dierum spatio; complevit die seprimo opus suum, quod fecerat, & requievit die seprimo ab

universo opere, quod parrarat. Et benedixit diei seprimo, & sanctificavit illum: quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret. Gen. 2.

Deinde septimum quemque diem cujuslibet hebdomadæ, numerando a primo creationis die, voluit Deus in Lege scripta, ut populus servaret hebreus, benediceret, sanctificaret, & ut festum coleret quiete simili, omnique cessatione laboris, ad representandam videlicet præfatam divinam quietem a creatione mundi, ut constat ex tertio decalogi præcepto Exodi 20. Memento, ut diem Sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: seprimo autem die Sabbathum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua; servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus Cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, &

re-

requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificavit eum. Et iterum c. 31. Sex diebus facietis opus, in die septimo Sabbathum est requies sancta Domino. Omnis, qui fecerit opus in bac die, morietur sex enim diebus fecit Dominus Caelum, & terram, & in septimo ab opere cessavit.

Praeceptum itaque erat Hebreis septimo cujuslibet hebdomadæ die quiescere, & a labore cessare, ad repræsentandam divinam quietem, & quasi a labore creationis mundi cessationem: indeque occasionem haberent, & otium, creationis beneficium recolendi, & intendendi in laudem Creatoris. Non enim sine causa Deus nulli alteri præcepto Decalogi verbum illud *Memento affixit*, nisi huic tertio de Sabbatho sanctificando: nimirum, ut memoriae hominum tantum, ac tale affigeret beneficium, ne illud ipsorum mentibus excideret, & ne errore Gentilium tenerentur, qui mundum semper fuisse, & ab æterno extitisse putabant; vel aliorum, qui dicturi erant, a malo quodam principio, sive a Diabolo fuisse creatum; utque ab Idolatria abstinerent facilius, cum meminissent unum esse Deum, a quo facta sunt omnia. Vide dicenda art. 7. de abst. Sab. nu. 55. Hujusmodi ergo recordatione beneficii omnium rerum Creatorem semper agnoscerent, & perpetuam grati animi significacionem erga tantum, ac tam liberalem benefactorem ostenderent. Licet non desint, qui dicant, affixum fuisse verbum *Memento* huic præcepto, eo quod Sabbathum ab ipso mundi exordio, ut ipsi putant, coli

TOM. I.

cœptum fuerit à Majoribus, non quidem lege, sed more, & consuetudine, ex quibus Hebræi genus traxerunt; apud hos tamen deinde in Ægypto venerit in oblivionem, & defuetudinem. Quod quidem non esse improbabile, dicemus n. 11. Septimus igitur, & ultimus hebdomadæ dies Sabbathum nuncupatus, eo quod olim explicatae quieti fuerit destinatus. Dux initio: *Sabbatum proprie esse nomen diei* &c. quia deinde hæc eadem vox plures alias obtinuit in Scripturis acceptiones improprias, quas eruditæ exponit Azor. l. cit. a qu. 6. apud quem videri possunt, cum non sit instituti nostri, illas hic explicare.

Qu. II. Quare in Lege nova, seu 2 a Christianis non servetur ut Festivum Sabbathum, quemadmodum in Lege veteri?

&. Quia præceptum a Deo in Legi scripta latum de Sabbatho servando, cessavit in lege Gratiae, & non amplius obligat.

Constat hoc primo, quia nullibi extat præceptum Ecclesiæ de obseruantia Sabbathi: secundo, constat ex generali Doctrina de cessatione cæterarum Festivitatum legis hebraicæ, immo & omnium legalium observationum. Quod ab ipsis Apostolis in eorum Concilio ad hoc specialiter congregato definitum fuit. Nam Act. 15. 28. universaliter ab ipsis dictum fuit: *Visum est enim Spiritui Sancto & Nobis, nihil ultra imponere vobis oneris* &c. Declaratum ergo fuit; etiam onus Sabbathi esse sublatum: ut observat Suar. tom. 1. de Relig. tr. 2. lib. 2. c. 1. n. 13. Et adhuc expresse constat ex iisdem Scripturis, onus Sabbathi esse sublatum; nam Paulus ad Colos. 2. 16. illos monet, ne ti-

R r meant,

meant, si reprehendantur a Judæis, quod Sabbatum non servent, aliosque ritus, & præcepta legalia.: *Nemo ergo (inquit) vos judicet in cibo , aut in potu , aut in parte diei Festi , aut Neomenie , aut Sabbatorum &c.* Vide Suar. I. cit. c. 2. n. 7. Tertio constat ex positiva, & expressa prohibitione Ecclesiæ. Quapropter præceptum Sabbati non amplius obligare, de fide est. Et quoad hanc expressam attinet prohibitionem, ea constat ex c. *Pronunciandum*. 1. dis. 3. de Consecrat. & c. *Pervenit* 12. Dist. eadem. Item ex damnatione Ebionitarum, qui ut hæretici fuerunt damnavi ab Ecclesia, eo quod asseruerint; Christianos oportere Sabbathum servare una cum Dominica, ut refert Eusebius lib. 3. Hist. Eccl. c. 21. Rursus constat ex Concilio Laodiceno c. 29. in quo excommunicantur Sabbathum observantes, & in eo tamquam in die Festo ab operibus abstinentes. Denique ex traditione Ecclesiæ, quæ colligitur ex Patribus, Conciliis, & ex translatione Sabbati in diem Dominicam.

- 3 Si autem scire velis, qua de causa obseruantia Sabbati sublata fuerit in Lege gratiæ, & in diem commutata Dominicam? Dico 1. id fuisse ratione vitandi superstitionem, sive Dei cultum falsum. Enimvero teste Paulo ad Colossenses 2. 16. etiam Sabbati observatio erat umbra futurorum adimplendorum per Christum, & in Christo, cuius erat umbra lex scripta: *Nemo ergo (inquit) vos judicet in cibo , aut in potu , aut in parte diei Festi , aut Neomenie , aut Sabbatorum : quæ sunt umbra futurorum : corpus autem Christi . ita Apostolus : & D. Thomas 2. 2. qu. 12. art. 4. ad 1. docet ; quietem Sabba-*

ti fuisse signum quietis Christi in Se-pulchro, quod quidem indicat S. Isidorus hispal. Ep. de Eccl. Offic. l. 1. cap. 30. de Sab. Paschæ, quæ requies fuit septima die: unde Augustinus serm. 251. de tempore ait quod, ideo Sancti Ecclesiæ Doctores decreverunt, omnem gloriam jadaici Sabbatismi in illam (Dominicam) transferre, ut quod ipsi in figura, nos celebraremus in veritate: Quare sat-tis congruum, immo necessarium fuit, ut lucis, & veritatis adventu, umbra evanesceret, & omnis figura cessaret, ne videremur adhuc eum expectare, qui venit, & perfidam sequi superstitionem, quam in hebraicis mentibus detestamur. Hinc secunda ratio, ex qua

Dico 2. obseruantiam Sabbati fuis-
se remotam, ne videremur judaize-
re, & sic, quo magis fieri posset, ab
hebraicis ritibus recederemus. Unde in supra cit. c. *Pronunciandum*, dicitur, Christianis observandam esse Do-minicam diem; *Ne Judaismo capian-
tur in observatione videlicet Sabba-
ti, ut notat Suar. to. 1. de Relig.
tr. 2. lib. 2. c. 1. n. 11. fine.* Et in Concilio Laodicensi cap. 29. dicitur: *Quod non opporeat Christianos
Judaizare, & otiani in Sabbato , sed
operari eos in eodem die . hinc Sylve-
ster. V. Dominicam qu. 1. prope fine,
supponens celebritatem diei Festi ,
etiam in foro alicubi incipere a Ve-
speris diei præcedentis ante Solis oc-
casum ; admonet , hoc non posse
fieri respectu Dominicæ , atque adeo
in Sabbato non incipit solemnitas
in foro ante solis occafum, ne quis
videatur Judaizare , seu colere Sab-
batum ; & allegat laudatum C. Pro-
nunciandum est Laicis , ut sciant tem-
pora Feriandi per annum , idest omnem*

Do-

Dominicam à Vespera , usque ad Vespera , ne Judaismo capiantur . Et notandum est observantiam Sabbati a deo esse propriam populi Judaici , quod , tamquam maximam ejusdem tesseram , Antichristus eandem observantiam assumet , ut nimis animos Iudeorum conciliat , eosque lucifaciat ; quemadmodum existimat , & affirms S. Gregorius Magnus lib. II. Registri Ep. 3. ubi confutat supradictam Ebionitarum hæresim de Sabbato servando , quam suo quidam tempore , licet jam ante extinctionem , renovabant . Quod etiam habetur in C. Pervenit . 12. dist. 3. de Consecr.

5 Dico 3. Observantiam Sabbati , fuisse sublatam , ut Sabbathum locum cederet Dominicæ , seu septima dies hebdomadæ diei primæ ; & sic Sabbati observantia fuit in longe maiorem observantiam Dominicæ commutata , seu dies septima in excellentiorem diem hebdomadæ primam . Si enim in Sabbato , seu septima die recolebatur beneficium creationis ; in Dominicæ , seu prima die , (ut de Dominicæ agentes diximus art. I. q. 3. n. 28.) Beneficium recolitur creationis simul , & reformationis creaturæ , humanaque substantiæ per peccatum depravatæ ; quod est longe magius & excellentius beneficium . Atque ita dies Dominicæ complebitur dignitatem Sabbati Judaici : non enim minus per celebrationem Dominicæ , quam per solemnitatem Sabbati , Creationis recognoscimus beneficium , & simul Dominicæ ipsum Sabbathum superat , alia excellentiora continendo . Quam etiam maiorem dignitatem Dominicæ præ Sabbato , Patres colligunt ex mirabilibus a Deo patratis in Dominicæ seu prima die

hebdomadæ , in ipsa etiam Lege scripta ; inter quæ commemorant beneficium Mannæ , quod (ut ostendimus ubi de Dom. cit. qu. 3. n. 9.) pluere cœpit in Dominicæ seu prima die hebdomadæ . Ex quo Isidorus lib. I. de Offic. Eccles. c. 24. sic infert : *Unde intelligenti Judei , jam tunc prælatam esse Iudaico Sabbato Dominicam nostram ; jam tunc indicatum , quod in Sabbato ipsorum gratia de Cœlo ad eos nulla descenderit , sed in sancta Dominicæ , in qua primum Dominus eam pluit .* Et rursus inter opera Augustini serm. 136. de tempore , qui est 51. inter serm. de diversis in append. to. 10. opp. D. Augustini , ex recension. Lovaniens. edit. colon. Agrip. an. 1616. ubi assertur esse inter sermones Eusebio inscriptos , de Dominicæ dicitur : *Quomodo Maria Virgo Mater Domini inter omnes Mulieres principatum tenet , ita & inter ceteros dies bœc omnium dierum mater est ... Hic est , in quo Synagoga finitur , & Ecclesia nascitur ... universa Sabbathi gratia , & antiquæ illa Festivitas populi Iudeorum , diei istius solemnitate mutata est . Sed ne repetamus , quæ in Dominicæ scriptissimus , vide ibi dicta cit. q. 3.*

Ob. I. Ex una parte præceptum 6 de Sabbatho servando in Lege veteri latum , divinum fuit , ut constat : ex altera parte , Deus hujusmodi observantiam expresse decrevit in perpetuum fore servandam , ait enim Exodi 31. 16. *Custodian filii Israel Sabbathum , & celebrent illud in generationibus . Pactum est sempiternum inter me & filios Israel , signumque perpetuum : ex tertia parte , Christus Dominus Matth. 5. 17. expresse declaravit , atque affirmavit , & omnes in se credentes monuit dicens : No-*

lite putare, quoniam veni solvere legem aut Prophetas. Non veni solvere, sed adimplere. Ergo non bene observantiam Sabbati elusimus.

7. &. 1. Argumentum nimis probat, adeoque nihil evincit: probat enim nos teneri etiam ad Circumcisionem, cæterasque observantias, & præcepta legis Mosaycæ, quæ etiam divina fuere, quæque adhuc Dominus præceperat, in perpetuum esse servanda: sic Levit. 23. 41. postquam Deus dedit Hebræis præceptum servandæ festivitatis Tabernaculorum, subdidit: *Legitimum sempiternum erit in generationibus vestris*, & similiter de quamplurimis aliis præceptis hebraicæ legis, quæ longum esset commemorare; satis autem constat, illa amplius servanda non esse.

&. 2. Unumquodque præceptum sufficit, servari pro tempore, pro quo latum est, & non obligat ulterius; quod per se patet: immo potest ita tempus latum esse, ut simul prohibeatur idem ulterius observari. Jam vero præceptum divinum servandi Sabbatum, quia præceptum divinum fuit, obligavit quidem ejus populum; quia tamen non fuit latum, nisi ad certum tempus, nimirum pro solo tempore veteris legis scriptæ, ideo illa cessante, & nova adveniente lege gratiæ, cessavit illius obligatio, *Translato enim Sacerdotio*, (inquit Apostolus ad Hebreos 7. 12.) *necessæ est, ut & legis translatio fiat*. Et rursus ad Galat. 3. 19. interrogans dicit; *quid igitur lex?* Et respondebat, *propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat &c.* scilicet donec veniret Christus.

8. Nec obstat, quod de observantia Sabbati dictum fuerit, illam futuram fuisse sempiternam: cum id

dictum fuerit per hyperbole, seu exaggerationem nimis frequentem in Scripturis; in quibus profecto hujusmodi locutiones non semper significant æternitatem, nec quidem perpetuitatem usque ad finem mundi; sed sœpe significant diuturnitatem temporis. Quod patet ex innumeris Scripturæ locis. Gen. 17. v. 7. & 8. Dominus dixit ad Abraham: *statuam pactum meum inter me, & te, & inter semen tuum post te, & in generationibus suis, sedere sempiterno: ut sim Deus tuus, & semen tui post te; daboque tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuae, omnem terram Chanaan in possessionem æternam &c.* Rursus Gen. 48. 4. Jacob testatur; sibi, & semini suo Deum promisisse terram Chanaan in possessionem æternam. Item 2. Paral. 7. 16. Dominus dixit Salomoni, qui ædificaverat illi templum: *Elegi enim, & sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum: & sic de sexcentis aliis similibus testimoniis, in quibus omnibus nec æternitatem, nec omnimodam, & propriam perpetuitatem fuisse significatam, ipsius met oculis videamus.*

Ubi itaque dictum fuit: observantiam Sabbati futuram fuisse sempiternam; indicatum fuit, quod duratura erat ad longum tempus; nimirum donec translatum fuisse Sacerdotium, seu donec venisset semen Abrahæ promissum, in quo benedicendæ erant omnes Gentes.

Denique ad illud testimonium e- 9 jusdem Christi Domini dicentis: se non venisse legem solvere, sed adimplere. Respondebat: illud nihil obstare; enimvero Christus Dominus legem implevit, adeoque & Sabbatum, quod in Lege scripta præcipie-

piebatur ; primo quia Sabbatum , & omnis lex scripta typus ejus fuit , & figura , imago , & umbra : venit igitur Christus , & legem implevit , verificans ea , quæ in lege , seu in Scriptura de eo scripta erant . Ideo postquam dixit : se venisse , legem implere , statim subdidit : *Amen quippe dico vobis , donec transeat Cælum , & Terra , iota unum , aut unus apex non præteribit a lege , donec omnia finiantur* . Secundo implevit Christus legem , & Sabbaturu , quoniam toto vitæ suæ tempore , dum in terris degeret mortalis , sua sponte , & voluntate , non legis necessitate servavit . Tertio ; Christus non venit legem solvere , sed adimplere : quia quidquid honoris , & laudis Dei , quidquid charitatis Dei , & proximi veteri præcipiebatur in lege , abundantius , atque per se & ius a suis fidelibus servari præcepit : Patet ex ipso eodem allegato cap. Matthæi , nam paulo post laudata verba Dominus inquit : *Dico enim vobis , quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum , & Pharisæorum , non intrabitis in Regnum Cælorum* : tum pergit legis naturæ , & scriptæ præcepta ad perfectoria reformando . Ex quibus testimoniis , & ex suo modo loquendi aperte colligitur , Christus Dominus per illa verba , quibus nos admonet se non venisse legem solvere , sed adimplere ; non quidem voluisse , a nobis servari in specie omnia præcepta legis scriptæ , puta observantiam Sabbati , Festivitatem Tabernaculorum , Circumcisionem &c. sed tantummodo nos monitos voluisse , maiorem se a nobis perfectionem exigerre Charitatis Dei , & proximi , quam in lege , sive scripta , sive naturæ fuerit præceptum . Quod ipsum , ut

expositum est n. 5. nos observamus in re præsenti colendo Dominicam , & non Sabbatum .

Obj. 2. Quamvis lex Moysi abrogata sit , atque sublata ; hoc non obstante , populus Christianus observat Decalogi præcepta , sine ullo scrupulo superstitionis , & sine timore judaizandi . Ergo non est , cur ad cavendam superstitionem , & Judaismum , solam velit rejicere Sabati sanctificationem .

R. Argumentum procedit ex falsa suppositione . Dico itaque : præcepta Decalogi a nobis , excepta Sabbati sanctificatione , servari , quia præcepta Decalogi , excepta Sabbati sanctificatione , jure naturæ præcipiuntur , adeoque a nobis servantur non quia a Moysè tradita , sed quia a natura omnibus hominibus indita sint . Unde ab origine mundi ante legem scriptam , sola naturæ lege homines dirigente , præcepta decalogi , Sabbati sanctificatione excepta , ab omnibus fuere servanda ex jure naturæ ; quod aperte docet Paulus Rom. 2. a v. 14. quidquid sit , an Sabbathum in lege naturæ fuerit observatum ; fuisse enim licet nonnulli putaverint , ut notavimus n. 1. & quidem non improbabiliter : id tamen certissime non fuit ex naturæ dictamine , sed solo fortasse instituto , & more Majorum : vel si vis etiam ex aliquo positivo Divino præcepto . Profecto natura quidem dictat , divino cultui tribuendum esse aliquod tempus ; nullo autem modo determinat , id fieri debere septimo quoque die cujusvis hebdomadæ ; nec quod Deus colatur per vigintiquatuor integras horas . Vide Suar. to. 1. de Relig. tr. 2. lib. 2. c. 1. n. 1. & 3. & a. n. 8.. ad 10. Azor. Instit Mor.

Mor. par. 2. lib. I. cap. I. qu. 2.
& 3.

- 12 Hinc etiam dici potest , ipsum Sabbati præceptum populum Christianum servare , & colere , in quantum naturale est ; naturale autem est , in quantum est quædam designatio temporis ad cultum Dei : populus enim Christianus designat , & ipse certos dies ad cultum Dei specialem . Quo sensu locutus est Augustinus , qui cum l. 3. contra duas Epist. Pelagianorum cap. 4. dixerit : decalogum servari a Christianis , excepta Sabbati observatione carnali : deinde vero lib. 19. contra Faust. c. 18. affirmat : Sabbatum Spiritualliter servari a Christianis : Numquid , (ait) ipsum Sabbatum , quod ad intelligendam veram quietem pertinet , non observant Christiani ? supra autem ait : Sabbatum non servari a Christianis observatione carnali : id est , quoad id , quod ad litteram præcepto Sabbati mandabatur ; dixerat enim paulo ante : Christum abstulisse a nobis jugum carnalium observationum , inter quas connumeraverat Ne Sabbato septeno dierum volumine redeunte , ab operibus etiam necessariis quiescamus . Similiter Glosa in c. Licet de Feriis . in V. septimum diem ; dicit : quod vetus Testamentum ad quietem humanam deputaverit Sabbatum ad litteram , & quasi materialiter ; Novum vero (ait) spiritualiter illud servat , primam diem pro septimana celebrando .

- 13 Obj. 3. Refert Nyssenus in oratione , quam habuit adversus eos , qui ægre ferebant reprehensiones ; Anastasius Nicænus lib. Questionum . q. 77. Socrat. lib. 6. c. 8. Sabbatum , & diem Dominicum tamquam Fe-

stos coli . Hanc autem observantiam Sabbati non ex vana profluxisse superstitione , sed ex ipsa Ecclesiæ antiqua traditione testatur Synodus Trullanæ , quæ allegat Canonem sexagesimum sextum , alias sexagesimum quintum Apostolorum , quem recitavimus in Dominica art. 9. n. 75. quo profecto Canone prohibetur in Sabbato jejunium , utpote Festivitati & lætitiae oppositum ; & vero Clemens lib. 8. Constit. c. 33. refert , Apostolos præcepisse observationem Sabbati more quidem Christiano , per modum Festi ; qui etiam lib. 7. Instit. c. 24. rationem assignat , dicens : *Sabbatum cum Dominica servandum esse : illud in recordationem fabricacionis mundi , banc Resurrectionis Domini .* unde Ecclesia Orientalis una cum Dominica semper diem Sabbati consuevit servare , & colere , idque ex gravi etiam præcepto ; ita ut in Sabbato jejunium graviter prohiberet , uno excepto Sabbato majoris hebdomadæ ; ut constat ex Græcis Scriptoribus . Et Ignatius adhuc in Epist. ad Philip. prope fin. mortaliter peccatores , significat , eos , qui in Sabbato jejunassent , dum illos dicit esse interfeñores Christi . Sed & ipse Romanus Pontifex Alexander III. ut habetur . C. Licet de Feriis ; inquit : tam veteris , quam novi Testamenti paginam septimum diem ad humanam quietem specialiter deputasse , eumque Ecclesiam decrevisse observandum esse . Septimus autem dies est Sabbatum , ut ipsi docuimus in Dominica art. I. qu. I. n. I. & rursus diximus hic init. qu. I. n. I. Ergo adhuc in nova lege Sabbatum est observandum , ex Ecclesiæ saltem præcepto , una cum Dominica .

R. Et dico I. Verum quidem es. 14
se

se; Ecclesiam Orientalem, seu Gr̄cam a jejunis in Sabbato abstinuisse, imo & abhoruisse; id vero non ex intentione directa colendi Sabbathum, ut Hebrei: aut quia erat in Mosayca lege pr̄ceptum, servare Sabbathum; sed ex intentione confutandi nonnullas h̄ereses, quæ olim vigebant. De hac re ex professo agemus, art. 7. n. 55.

¹⁵ Dico 2. Oppositi Concilii auctoritatem nullam esse; non enim fuit legitimum, sed Concilium malignantium, ideo damnatum a Romano Pontifice. Ad allegati vero Apostolorum Canonis auctoritatem respōsum est in Dominica cit. art. 9. qu. 1. n. 77. Hic satis est dicere; quod etiam si pr̄dictus Canon admitteretur, probaret solum; in Ecclesia Orientali merito olim non fuisse servatum jejunium in Sabbato: non quidem proprie ad colendum Sabbathum ex lege hebraica; sed ex intentione confutandi, ut explicabimus inferius, nonnullas h̄ereses, quæ ab ipso Apostolorum tempore obortæ fuerant. Item id fieri potuit ab Apostolis, pro illa Regione, & tempore donec lex vetus cum honore sepeliretur; ut loquitur Azor. A Lapide, Tancredi, Suar. de Relig. to. 1. tr. 2. lib. 2. c. 5. n. 17. ubi ita respondeat ad allatum testimonium Clementis, seu Pseudoclementis ex libro 8. Const. c. 33. & videri etiam potest Plaza Devot. vindic. par. 3. c. 2. n. 12. & dicenda n. 25. Idem dicendum ad auctoritatem ejusdem vulgati Clementis ex l. 7. Const. & aliorum quorumlibet commendantium observantiam Sabbati. Et speciatim ad testimonium ex Ignatio oppositum, oppono aliud testimonium ejusdem Ignatii Epist. 3.

ad Magnesianos, ubi non dicit, Sabbathum observandum: aut observandum Sabbathum una cum Dominicā, sed pro Sabbathizatione, diem Festum celebret omnis Christianus Dominicā Resurrectionem, regalem, eminentissimam omnium dierum &c. Hoc est: pro Sabbatho celebret Dominicā, in qua recolitur memoria Resurrectionis Domini. Aperte itaque tradit; non Sabbathum, sed loco Sabatti in lege nova Dominicam esse celebrandam ut Festivam.

Denique ad auctoritatem Alexandri III. relatam in C. licet. de Foiriis; Azor. Instit. Moral. par. 2. lib. 1. c. 1. qu. 11. respondet, sensum Pontificis germanum, non esse, quod utriusque Testamenti pagina tradiderit, Sabbathum nunc coli optere; cum id sit contra id quod habetur in Cap. Pervenit 12. dist. 3. de Consecr. sed quod tum ex veteri Testamento, tum ex vita, & factis Christi, quæ referuntur in novo, doceamus, Sabbatho honorem, & cultum esse delatum. Historia enim Evangelica Christum Dominum, refert, Sabbathum, & alias veteris legis c̄eremonias servasse, dum vixit; quæ tamen omnes ipsius morte periere; ita Azor. Sed hujusmodi responsio non videtur consolona. Nec quidem placet responsio Glossæ ibi dicentis: partitionem illum debere accipi cum distributione accommoda; nam vetus Testamentum deputavit Sabbathum ad littaram, & quasi materialiter; Novum vero (ait) spiritualiter illud servat, primam diem pro septimana celebrando. Ita Glossa: quod ipsum sequitur Panormit. Non placet autem, quia Pontifex loc. cit. loquitur de observantia vera, & ad litteram, quæ

quæ in diebus Festis servanda est. Cum enim prius dicat : *Licet tam veteris, quam novi testamenti pagina septimum diem ad humanam quietem specialiter deputaverit* : deinde vero subjungit : quod ; *tam eum, quam alios dies Majestati altissimæ deputatos*; nec non natalitia Sanctorum Martyrum Ecclesia decreverit observanda. Quibus verbis patet, Pontificem loqui de vera observantia, quæ in diebus Festis servanda est.

His itaque Responcionibus omissis, respondeo cum Suarez de Relig. to. 1. tr. 2. lib. 2. c. 1. n. 15. qui scite observat, in allato testimonio Alexandri III. nullam fieri mentionem Sabbati, sed tantummodo diei septimi, ut patet. Septimus autem dies intelligi potest, inquit, vel ille, qui est septimus numerando a prima die creationis; quæ dici potest veluti materialis numeratio; vel potest dici septimus, quasi generazim, seu formaliter ille, qui est ultimus in septenario numero dierum; sicut Aristoteles dixit, ultimam unitatem esse formam numeri. Dicit itaque Suarez, Pontificem locutum fuisse de die septimo hoc posteriori modo, sensumque esse: utrumque Testamentum approbasse morem deputandi ad quietem humanam septimum quemque diem hebdomadæ; quod est, formaliter deputare septimum diem, licet materialiter non idem dies fuerit ille deputatus ad hanc quietem pro divino cultu, unde cum subdit: *tam eum &c. illum relativum Eum non refert ad Sabbathum materialiter sumptum, sed ad septimum diem, quem Ecclesia ad illam requiem designavit*. Et hoc modo verum est, inquit Suarez: quod alii dicunt: septimum illum diem

in lege veteri esse Sabbathum, in nova vero esse Dominicam diem; ita Eximus Doctor. Nos etiam, de Dominica art. 1. n. 3. notavimus, aliquando Dominicam diem vocari diem septimam, & locutionis hujusmodi sensum conformiter ad prædicta explicavimus ibidem. Confirmatur data responsio ex eo, quod habeamus etiam expressam, & claram prohibitionem Ecclesiæ colendi Sabbathum, ut constat ex dictis initio hujus qu. 2. num. 2.

Qu. III. An saltem possit coli Sabbathum, & observari ut Festivum, qua Sabbathum est, et si non ex obligatione, sed ex mera devotione particulari; nec in significationem alicuius mysterii Christi tamquam venturi?

R. Adhuc negative, & hujusmodi observantia esset etiam mortalis. Primo, quia graviter scandalosa: 2. quia graviter prohibita ab Ecclesia. Primum arguitur ex eo, quod cum ex una parte præceptum Sabbati servandi sit sublatum; & ex alia parte jam nulla suppetat ratio, quæ illius observantium cohonestet, ut patet ex dicendis; hinc qui Sabbathum observaret, merito putaretur ex obligatione legis veteris illud observare, ac subinde spiritu judaico duci: Unde inter delicta denuntianda Inquisitoribus contra haereticam pravitatem, adscribitur Festiva celebratio Sabbathi more judaico: in Edicto Fidei DD. Inquisitorum Regni Siciliæ ut est apud Felicem Potest. to. 2. par. 2. c. 2. Secundum probatur: quia Ecclesia absolute prohibet observantium Sabbathi, ut patet ex dictis quæst. 2. num. 2. & ita tenet Suar. de Relig. to. 1. tr. 2. lib. 2. c. 1. n. 13. Fagund. in præc. 1. Eccl. lib. 1. c. 1. nu. 7. & 8. Tandem cred.

cred. de Relig. tr. 1. lib. 3. disp.
1. num. 1.

18 Obj. 1. In Conc. Laodiceno cap. 29. dicitur: *Quod non oporteat Christianos judaizare, & otari in Sabbato, sed operari eos in eodem die.* Quibus verbis ostenditur quidem non amplius obligare antiquum præceptum de Sabbato colendo: subditur vero statim: *Præferentes autem in veneratione Dominicam diem; si vacare voluerint: ut Christiani hoc faciant; id est, non riu, & modo, quo faciebant Iudei; alioquin anathematizandos esse decernit: quod si reperti fuerint judaizare, anathema sunt a Christo.* Indicat ergo, id non fuisse simpliciter prohibitum, sed solum si spiritu judaico fieret, ut fatetur ipse Suar. loc. cit. n. 12. fin.

19 R. Meo videri in prædicto laudati Concilii testimonio non insinuatur posse coli Sabbatum, si non fiat spiritu judaico; sed solum significatur: in Sabbato posse quidem non laborari, dummodo labor non intermitatur spiritu Judaico, seu ex intentione, & causa colendi Sabbatum. Cum enim dictum fuisset: Christianos in Sabbato oportere operari, & non otari, ut Iudei faciunt: ne id ita scrupulose acciperetur, ut putaret quis omnino in Sabbato interdicam fuisse quietem, ita, ut peccatum committeret, qui in Sabbato otiare tur causa etiam relaxandi animi e.g. hinc Concilium subdidit: quod si vacare quis voluerit, ut Christianus hoc faciat; scilicet non ex intentione colendi Sabbatum. Non enim eo ipso, quod in Sabbato quiescat, Sabbatum colitur, sed opus est quiescere ex intentione colendi Sabbatum; ut dicunt queat, Sabbatum observari; sicuti incidente aliquo

TOM. I.

festo de præcepto in diem Sabbati; Ecclesia illud non transfert, sed adhuc mandat servari in ipso Sabbato, sine timore judaizandi, quia alio titulo, & more in dicto casu illum diem Sabbati observamus: ut notat idem Suar. de Rel. to. 1. tr. 2. lib. 2. c. 6. num. 12. (alias per errorem n. 11.) videlicet non colimus illum.

Cæterum etiamsi detur, in prædicto testimonio indicari, non fuisse simpliciter prohibitam observantiam Sabbati, sed potuisse Sabbatum observari, si fieret devotione colendi quidem Sabbatum, non autem ex obligatione, ut Iudei, nec ex lege judaicæ, nec in significationem alicujus Mysterii Christi tamquam venturi; nihilominus ait Suar. eodem superius allegato c. 1. nu. 13. adhuc dicendum esse, absolute fore mortiferam nunc observationem Sabbati, quam pre scribebat lex vetus, meritoque esse ab Ecclesia prohibitam in detestationem judaicæ cœcitatibus, ne videatur Ecclesia illi consentire; & ideo suspectos merito fore de judaismo, qui invenirentur Sabbatum custodi re, ut supra dictum est. Vide etiam dicenda n. 25.

Obj. 2. Propria significatio ob servantia Sabbati non erat de futuro aliquo Mysterio, sed de beneficio Creationis; semper autem potuit vere significari beneficium illud, & requies Dei ab operibus suis per quietem Sabbati, etiam post Christi adventum, & sive injuria ejusdem.

Rursus D. Thomas 2. 2. qu. 122. art. 4. ad 1. dicit: quietem, seu observantiam Sabbati significare æternam quietem. Consonat S. Cy rillus Alexandrinus, qui æternæ vi tæ quietem post laborem hujus sa

S f cu-

culti appellat cœleste Sabbatuna . Ergo non est superstitionis , nec scandalosa Sabbati observatio , saltem in hujusmodi mysteriorum memoriam .

Item etiamsi dicatur cum eodem D. Th. loc. cit. otium Sabbati significasse etiam futuram requiem Christi in sepulchro ; quod quidem indicat S. Isidorus hispal. Episc. de Eccl. Offic. lib. 1. c. 30. de Sab. paschæ (quam tamen significationem non constat fuisse illo præcepto intentam) adhuc concedendum est , non oportere illam significari ut futuram , sed posse significari , ut jam factam , sicut significatur beneficium Creationis . Ergo &c.

21. & Ad primum : Licet significatio beneficii Creationis , facta per otium Sabbati , falsitatem non contineat , semper tamen indicat imperfectionem legis veteris , & saltem oblique indicabit , beneficium redempcionis nondum fuisse hominibus collatum : nam cum sit longe majus , multo magis debuit illud coli & representari , per Dominicam diem , quam beneficium Creationis per Sabbathum . Nec oportuit utrumque commemorari , utrumque diem Festum agendo ; tum propter moralem rationem : quia non expediebat tantum opus perpetuum , ac continuum imponere Christiano populo ; tum etiam quia in die Dominico potest utrumque beneficium recognosci ; vel quia illo die coepit mundi Creatio , ut constat , vel quia eundem credimus mundi auctorem & restauratorem . Vide dicta in Dom. art. 1. qu. 3. & hanc responsionem dat Suar. to. 1. de Relig. lib. 2. tr. 2. c. 1. n. 13.

22. Ad secundum dico : ex eo , sicut etiam ex commemoratione beneficii

Creationis ad summum probari , observantiam Sabbati non esse intrinsecus malam , secluso spiritu judaicō ; ut advertit Suar. nu. 12. non probat autem , non esse scandalosam , & merito prohibitam absolute ab Ecclesia , in detestationem judaicæ cœtitatis . Enim vero cum ex una parte beneficium Creationis , & quies æternæ patriæ in lege veteri commemorata fuerint in Sabbatho ; ex alia parte , hæc eadem commemoretur in Dominica in lege nova ; & ex tertia parte , observantia Sabbati fuerit umbra futurorum , quæ in Christo , & per Christum erant adimplenda ; hinc qui Sabbathum coleret , etiamsi ad recolendum beneficium creationis , & significandam cœlestem quietem ; nihilominus videretur adhuc Sabbathum observare spiritu judaicō .

Ad 3. dixi nu. 3. & iterum di- 23 co : teste Paulo ad Coloss. 2. 16. etiam Sabbatorum observatio erat umbra futurorum adimplendorum per Christum , & in Christo , cuius erat umbra lex Mosayca ; & ideo significatio futuræ quietis Christi in sepulchro , non est tantum ab hominibus excogitata , sed etiam a Spiritu Sancto intenta , licet fortasse usque ad veritatis adventum non fuerit declarata . Et quamvis hujus diei observantia , quæ prius erat signum futuri , mutari potuerit in memoriam præteriti beneficii ; tamen , ut recte notat Suar. n. 14. hæc memoria non per Festum , & lætitiam , sed per jejunium , & mœrem debuit retineri , & representari ; & ideo Ecclesia jejunari potius voluit hoc die , seu a carnis abstineri , quam festum diem agi . Vide dicenda art. 7.

Obj. 3. Christus Dominus Sabbathum 24

tum obseruavit , & similiter Aposto-
los adhuc post promulgationem Evan-
gelii , verisimile est , Sabbatum ob-
seruasse , ne Judæos ad novam tunc
Christi Religionem convertos con-
turbarent . Ergo possumus & nunc
nos Christi fideles .

R. 1. Retorquendo argumentum : Christus Dominus Circumcisionis le-
gem obseruavit , & S. Paulus etiam postquam definitum fuerat in Con-
cilio Apostolorum , Acto. 15. ipso
presente ; non esse necessariam Cir-
cumcisionem in lege gratiae : nihilo
minus deinde Acto. 16. 3. assumens
sibi in socium prædicationis Evan-
gelicæ Timothæum , circumcidit eum
propter Judæos , qui erant in illis lo-
cis , in quibus prædicare debebat .
Similiter Christus Dominus , & A-
postoli legem Moysi observarunt .
Ergo possumus & nos circumcidere ,
& legem Mosaycam observare . Quod
non est dicendum .

R. 2. In forma ; concessu antece-
denti in sensu explicando ; nego con-
sequentiā . Christus Dominus qui-
dem Sabbatum obseruavit , sicut &
omnem legem Moysi , ut illam ho-
noraret , & testimonium ferret , fuisse
a Deo latam ; & item ne Judæi
occasionem sumerent , non credendi
in eum , si homo hebræus legem
non servasset hebraicam . Similiter
Apostolos adhuc post promulgationem
legis gratiae , post Pentecosten , Sab-
batum utique verisimile est obser-
uasse , una cum Dominica , eo primo
tempore , quo lex venus eti si fuerit
mortua , nondum erat mortifera ;
recole dicta nu. 15. & vide dicenda
art. 7. n. 56. attamen nunc lex il-
la non solum est mortua , sed et-
iam mortifera .

Dicitur autem fuisse tunc tan-

tummodo mortua , quia simpliciter
non amplius obligabat propter ra-
tiones superius explicatas . Dicitur
vero nunc mortua simul , & morti-
fера , quia non solum non obligat ,
sed nec potest servari sine peccato
mortali .

Ratio autem cur sit nunc etiam
mortifera , est primo ; quia nunc
est absolute , & simpliciter prohibita
sub gravi ab Ecclesia ; ut supra pro-
batum fuit . 2. quia nunc sine gravi
superstitione , aut certe gravi scan-
dalo servari non potest ; ut etiam
dictum est ; cum nulla jam suppe-
rat ratio cohonestandi obseruantiam
Sabbati , quæ erat Apostolorum tem-
pore in Oriente , & post etiam
ibidem aliquando propter nonnullas
hæreses , quæ olim ibi vigebant , ut
supra innuimus , & explicabimus ar.
7. cit. n. 56.

Qu. IV. Cur Sabbatum , seu dies 26
ultima septimanæ , non fuerit ap-
pellata feria septima , quemadmo-
dum dies Veneris dicitur feria sex-
ta ; dies Jovis Feria quinta ; &c. ex
dictis enim in præcedentibus ques-
tionibus videtur , congruentius fuisse ,
vel ipsum nomen Sabbati ab
ore etiam Christiano removere , ut
nimirum magis recederemus a Ju-
daismo .

R. Nomen Sabbati fuisse in Ec-
clesia reservatum propter auctorita-
tem sermonis hebraici : ut dicit Dur-
randus in Ration. Offic. lib. 7. c.
1. n. 10. & 12. Vel , ut idem pu-
tat , propter figuram , eo quod Sab-
batum , ut initio Quæstionis primæ
notavimus , significat quietem , &
cessationem ab opere , quia tunc Do-
minus requievit ab omni opere , quod
patrarat ; unde & nos per totam tem-
pus

pus vitæ nostræ , quod percurritur per spatum septem dierum , debemus laborare , & niti summo conamine , ut ad requiem , & beatitudinem perveniamus æternam .

Ad recedendum vero a Judaismo , satis fuit , non celebrare ullo modo ; ut Festivum , diem Sabbati ; securus deberemus etiam expungere a Sacris libris voces hebraicas , & Ecclesiam reprehendere , quod saepe in Officiis Ecclesiasticis nominibus utatur hebraicis .

- 27 Cæterum aliquando Sabbatum legitur utique dictum Feria septima ; ita a vulgato Alcuino de Divin. Offic. ubi de Feria quarta Major. Hebdom. fine , Beletho , Durando , & aliis Sabbatum etiam invenitur dies Virginis nuncupatum , Beatæ videlicet Dei Genitricis : sic tempore Enea Silvii , qui fuit Pius II. Pontifex ab anno 1458. ita enim loquitur ipse lib. I. de Gestis Conc. Basileensis pag. 37. Nona igitur Maji die , quæ & ipsa ut Judæi servarunt , Sabbati ; ut Gentiles , Saturni ; ut nos , Virginis fuit &c. apud Plaz. Devot. vindic. part. 2. cap. 15. n. 27. Id autem ex eo , quia Sabbatum cultui B. Virginis specialiter est dedicatum , ut art. 5. notabimus , ubi etiam assignabimus dedicationis hujusmodi rationem .

A R T I C U L U S II.

*Not. pro Antiphona B.V. in fine Offic.
& pro Officio ejusdem B. Marie
in Sabbato.*

- 28 ANTIPHONA finalis B. Virginis recitatitur stando in Sabbato a. i. Vesp. Dominicæ . Vid. dicta in Dominica art. 7. num. 65. §. Nota 3.

Quandonam in Sabbato recitandum sit Officium de S. Maria in Sab. sub ritu simplici , ut in fine Breviarii : & qua ratione persolvendum : Videantur Rubricæ gener. Brev. tit. 8. & tit. 20. n. 4. & tit. 28. n. 3. & tit. 35. n. 4. & videri ri etiam potest Meratus to. 2. Sect. 8. c. 6. n. 1. Quid pro hoc Officio notandum in Vesperis ? Vide in præcedenti Feria sexta art. 3. n. 70. Omissio Officio S. Mariæ in Sabbatho , recitari posse Officium Votivum hebdomaticum , vel menstruum , notavimus hoc lib. 2. par. I. cap. 2. num. 5.

Quæres hic : de antiquitate consuetudinis frequentandi Officium B. Virginis .

¶ Accipe , quæ scribit Raynaud. to. 17. tr. de malevol. & benevol. erga Religiosos , Sect. 2. pu. 3. §. 4. post initium , ubi hæc habet : Religiosi inde singulariter demerentur fideles , quod cultum B. Virginis omni studio promovent , & ad ejus venerationem , & honorem , quanto possunt studio , incidunt mortales , variisque pannis inventis forvent , & augent piatem in Deiparam . Religiosi sane fuerunt , qui Officium B. Virginis primè frequentarunt . Nimirum Cassinenses , ut scribit Paulus Diaconus (Petrus Diaconus Cassinensis : ex Cardinali Bona apud Merat. l. infrasit.) in expositione Regulæ S. Benedicti ; referens , jam ante annum 752. impostum esse Cassinensis a Gregorio III. & Zacharia Summis Pontificibus , ut cum Officio Divino semper jungerent Officium B. Virginis . Ex quo corrigas , quod a Baronio scriptum est anno 1056. Petrum Damiani fuisse illius Officii auctorem primum . Dici tamen potest Petrus Damiani restitutor , & instaurator .

rator sancti usus colendi bac ratione Deiparam. Quod enim Gamugenses cœptam apud se bujus Officii recitationem dimisissent, auctore Gonzono quodam incompositæ vita Monaco, allegante id esse superpondium ad S. Benedicti regulam; tot malis, & calamitatibus illico patuerunt, ut miserationem Petro moverint. Unde doctos causam calamitatum, grave non fuit impellere, ut Officium dimissum resumerent: & bonum factum confessim subsecuta est malacia. Urbanus postea II. anno 1096. defuncto jam Petro, idem Deiparae Officium, recolens quam bene cessisset persuasa a Petro ea recitatio, diffudit latius, ad implorandam Numinis in procellis, quæ tunc Ecclesiam agabant, misericordiam. Nam illud omnibus Clericis recitandum prescripti; ut est apud Radulphum Tungensem de Canon. Observ. propos. 20. Quamquam ea universalis obligatio, vel non est passim, & ubivis usu recepta, vel eviguit, ut notat Gavantus Sect. 9. c. 1. ad Breviarii Rubricas. Et nunc extra Chorum neminem urgere, consenserunt DD. nominatim Navarrus Miscel. 77. de Orat. Cartbusianis optime cessit suscepta ab Ordinis initio ejusdem recitationis obligatio, ut habent Acta S. Brunonis cap. 21. Sed hoc ad particulare onus, & ulro susceptum ex promissione facta pertinet, non ad illam universalem obligationem, quam ab Urbano Claromonte induitam diximus, ratione cuius aliqui dixerunt; hoc Officium esse tunc ab Urbano institutum; ita enim S. Antoninus 2. p. histor. tit. 16. c. 1. §. 13. Radulphus de Cano. Observ. cap. 24. & in Rationali Gulielmus Durandi lib. 6. c. 2. quos adducit Suarez (de Relig. to. 2.) lib. 4. de hor. Can. c. 6. n. 2. Omnis perperam: nisi intelligantur eo mo-

do, quo dico. Dimissa autem recitandi obligatione, quæ nunc generaliter, vix obstringit alios, quam potentes pensione Ecclesiastica beneficio cuipiam imposta, (de quo punto late Suarez lib. 4. de Orat. c. 13. a n. 13. & c. 25. a n. 7.) optime Petrus Damiani lib. 6. Epist. 19. ad quotidiam bujus pensi Deiparae persolvendi oblationem, bortatur Stephanum Monachum, signato in eam rem illustri miraculo edito in Clerico Nivernensi, qui hoc obsequio erga Deiparam defungebatur. Hæc Raynaudus; in quibus autem in specie sermo est de quotidiano Officio parvo B. V. Videri etiam potest Bened. XIV. de Fest. B. V. c. 18. Bened. Plaza devot. vindic. par. 2. c. 15. a n. 32. Cavalerius comment. in Decr. S. C. R. tr. 2. par. 2. c. 46. Merat. to. 2. Sect. 9. c. 1. n. 1. & 2.

ARTICULUS III.

De Missa.

IN Sabbatis non impeditis Feste 30 dupli, semidupli, Octava, Vigilia, Feriis Quadragesimæ, vel Quartuor temporum, aut Officio alicujus Dominicæ, quæ supersit, in præcedens Sabbatum translato; dicitur Missa de Sancta Maria (quemadmodum & Officium recitatur de S. M. in Sab. juxta Rubr. cit. art. præcedenti n. 28.) secundum varietatem temporum, ut in fine Missalis ponitur, ubi de Missis Votivis. Rubr. gen. Missal. tit. 4. n. 1. Porro in Missali Romano post Commune Sanctorum, & Dedicationis Ecclesiarum ponuntur Missæ nonnullæ, quæ dici valeant tamquam Votivæ, etiam pro Conventuali, seu principali Missa in-

infra hebdomadam in Feriis non impeditis, ut supra: inter quas Missas habentur quinque de B. M. Virgine quæ pro Ecclesiasticorum Temporum diversitate dici valeant in Sabbatis non impeditis, ut supra; (vel alias uti Votivæ;) confer dicta part. I. cap. I. n. I.

Profecto Sabbathum esse specialiter dedicatum venerationi Sanctissimæ Dei Genitricis, notabimus infra ar. 5. Si tamen occurrat celebrari Missa Votiva Beatae M. V. infra aliquam Octavam ejusdem, legitur eadem, quæ in respectivo ejusdem Festo; vide dicenda 11. Decembr. n. 3. Tollerari possunt Missæ Votivæ cantatæ B. Mariae V. in Sabbatho, vel pariter cantatæ Defunctorum in Festo duplice, quod non est de præcepto, ut Testatorum voluntates adimplentur; dummodo non omittatur Missa Conventualis. S. R. C. 1. Septembr. 1607. & 20. Junii 1626. apud Caval. to. 3. c. 6. d. 3. Per Festum de præcepto intelligitur hic Festum in foro; vide dicenda in Appendix ad calcem Dia-rii c. 9. n. 16.

In Ecclesiis B. M. Virgini dicatis, seu aliis Sanctis, ubi adeat immemorabilis consuetudo cantandi Missam votivam de B. M. Virgine singulis Sabbathis, licite continuari potest, etiam si occurrat Officium duplex; dummodo non omittatur suo tempore Missa Conventualis S. R. C. 2. Decembr. 1684. in una Canon. Regul. Lateran. apud Merat. ind. Decr. Miss. n. 478.

31 In Votivis Beatae M. secunda Oratio dicitur de Officio illius diei, & tertia de Spiritu Sancto; sed in Sabbatho, quando de ea factum est Officium, secunda Oratio erit de Spiritu Sancto, tertia Ecclesiæ, vel pro Papa. Rub. gen. Miss. tit. 9. n. 15. Ni-

ratione Commemorationum faciendarum variandus sit ordo præfatus, vel prædictarum Orationum omisso sit etiam facienda; vide Merat. to. I. par. I. tit. 4. n. 29. & 33. Pro Sabbathis autem Adventus videantur dicenda tr. 2. l. I. par. I. c. 3. n. 10. Si Missa Votiva B. V. celebretur pro gratiarum actione, 3. or. erit Deus cuius misericordiae, si celebretur privatim; si vero solemniter, prædicta Or. dicetur sub unica Conclusione cum Oratione priori; quemadmodum in simili diximus quoq; ad Missam de SS. Trinitate. Fer. 2. n. 2. Merat. to. I. p. I. tit. 4. n. 27. & 43.

Animadvertisimus hic, quod in Mis- sa, si secunda Oratio est de Spiritu Sancto, aut de eo fit mentio, tertia, sive ultima non debet Concludi: Ejusdem Spiritus Sancti Deus &c. S. R. C. 15. Septemb. 1736. in Toletan, apud Merat. Ind. Decr. Missal. n. 695. confer eundem to. I. par. I. tit. 9. n. 14. In Missa de B. V. pro Oratione prima de tempore dicitur Oratio de Spiritu Sancto, quia ipsa est Sacrarium, & singulare habitaculum Spiritus Sancti, qui obumbravit eam, reddiditque foecundam alimo germe. Gavant. par. I. tit. 9. n. 9. lit. 3. Merat. ibi n. 9.

In Missis Votivis B. M. Virginis. 32 quæ recitantur in Sabbatho, dicitur Gloria in excelsis; etiam si non fiat Officium de eadem. S. R. C. 30. Julii 1689. in una Ordin. Cappuccin. apud Caval. to. 5. c. 9. n. 29. & apud Merat. Ind. Decr. Miss. n. 733. Hoc decretum intelligendum est de Sabbathis tum Feriarum, tum Adventus; etiam si ipsa die non fiat de B. V. uti eadem S. R. C. declaravit sub die 19. Maii 1607. in Placentia; &

27. Julii 1609. in una Urbis apud Meratum Ind. Decret. Miss. n. 67. Confer eundem to. 1. par. 1. tit. 4. n. 31. In quodam Decreto S. C. R. de anno 1744. in una Cracovien. quod dabimus tr. 2. l. cit. n. 9. conceditur *Gloria in excelsis* in Missis votivis B. M. V. etiam in diebus infra Octavam ejusdem; confer dicenda 11. Decembr. cit. n. 3. & ratione loci, dicitur, privilegium suis se concessum Sacrosanctæ Domui B. V. Lauretanæ, ut semper in omnibus Missis de ea *Gloria* recitetur; quemadmodum tradit Gavantus in Rubr. Miss. par. 1. tit. 8. n. 4. lit. B. At vero. *Qui in Sabbato recitat Officium de B. M. Virgine, volens celebrare Missam votivam de aliquo Sancto, non debet dicere Gloria.* S. R. C. 2. Decemb. 1684. in una Canon. Regul. Lateran. apud Caval. to. 5. c. 14. n. 48. Decr. 6.

In Missa Votiva de S. Maria non dicitur *Credo*, etiam in Sabbato: et si celebretur pro Conventuali: nisi pro re gravi, & publica causa cantetur solemniter cum unica Oratione; quo casu, quolibet die dicitur *Gloria*, & *Credo*. Merat. cit. n. 31. & duobus sequent. & n. 46.

33 Dicitur Præfatio de B. V. cum *V. & te in Veneratione B. M.* Si occurrat infra aliquam Octavam ejusdem, dicitur *V.* requisitum ab Octava, quemadmodum legitur Missa respectivi Festi, cuius est Octava, ut supra innuimus; confer dicenda 11. Decembr. n. 3. fine.

Sed *Qui in Sabbato recitat Officium de B. Maria Virgine, volens celebrare Missam Votivam de aliquo Sancto, non debet dicere Præfationem Beatae Marie Virginis, sed communem.* S. R. C. in eadem supra allegata Ca-

non. Regul. Lateran. Rursus Quando per annum fit apud privilegiatos Of- fiscum de Immaculata Conceptione, vel sub alio titulo, vel de Sancta Maria in sabbato, vel de SS. Sacramento: si dicatur aliqua Missa Votiva non babens Præfationem propriam; Præfatio debet esse de communi, vel de tempore, si tunc specialis dicatur, non vero ea, quæ est conformis Officio: & servetur Rubrica generalis tit. 12. S. R. C. 16. Junli 1708. in Parisen. apud Caval. to. 5. cap. 14. num. 38. Etsi facienda sit Commemoratio de Sancta Maria &c. Merat. to. 1. par. 1. tit. 4. numer. 48. vide dicta in Feria V. n. 17. Sitamen infra aliquam Octavam B. V. cum recitatur Officium de die infra Octavam, legatur Missa Votiva de alio Sancto, seu Festo, non habente Præfationem propriam, dicendam esse Præfationem de B. V. seu occurrentis Octavæ: docebimus 11. Decemb. n. 3 fine.

In fine Missæ Votivæ de B. V. in Sabbato, quoniam in ea est *Gloria in excelsis* recitatum, dicitur *Ite Missa est.* & semper legitur consuetum Ev. S. Joannis: *In principio erat Verbum.* Merat. to. 1. par. 1. tit. 4. n. 50. & 51.

Color Param. alb. Celebrantis Missam privatam; Altaris autem conformis Officio. In Solemni Missa etiam altaris Paramenta alba erunt. Confer dicta hic par. 1. c. 1. n. 2.

AR-

ARTICULUS IV.

De Offic. Votivo Hebdomatico Conceptionis B. M. V.

AGITUR SECTIONIBUS II.

Sect. I. *De Hor. Canon.*

Sect. II. *De Missa.*

SECTIO I.

De Horis Canon.

34 Qu. I. A quibusnam Officium Votivum Conceptionis B. M. V. possit in singulis Sabbathis recitari, & sub quonam ritu?

R. In omnibus Dominiis Cæsareæ Majestatis extra Italianam potest juxta Decretum S. C. R. 15. Decembr. 1727. recitari sub ritu duplici, Officium Conceptionis B. V. Mariæ quolibet Sabbatho non impedito, ut quseq. explicabitur. *Brev. Rom. in Rub. præfix. huic Offic. Votivo.* Sunt & alii plures, quibus simile favet indultum, licet non sub eodem ritu duplici, sed semiduplici; quisque sua prospiciat privilegia; Vid. Chiavett. Consult. 54. n. 1. & Quintanadven. de Sacram. tract. 8. de Horis Canoniceis singul. 13. 16. & duob. sequen.

35 Qu. II. Quænam sint Sabbatha impedita, seu in quibus recitare non licet prædictum Officium Votivum Conceptionis?

R. Hæc indicavimus hoc Lib. 2. par. 1. c. 2. n. 3. Vide etiam dicta in Feria V. n. 5. Nota hic; si in tota hebdomada solum Sabbathum sit liberum, ad faciendum de aliquo Officio alicuius Sancti Votivo hebdomatico, quod non sit affixum cer-

tæ diei: quamvis possit in Sabbato reponi, id vero non congruit fieri, si habeatur hac die simile privilegium, recitandi aliquod Officium Votivum B. V. puta Conceptionis ejus; cultus enim Beatae Dei Genitricis præferendus est cultui quorumlibet Sanctorum, ut notum est, & animadvertisit La-Croix lib. 4. qu. 199. §. 6. & significat etiam Caval. to. 2. c. 24. d. 11. n. 7.

Qu. III. De ordine recitandi hoc 36 Officium Votivum Conceptionis.

R. Hoc Officium in 1. & 2. Vesp. ordinetur juxta Rubricas de concurrentia Officiorum; & animadvertisendum est, quod, si præcedat Festum semiduplex, & hoc Officium recitetur sub ritu semiduplici, non fit de hoc Officio nisi a Capitulo, quamvis Beata Virgo sit dignior. Porro major dignitas non attenditur in Festis semiduplicibus; vide dicta in Feria V. n. 6. & Caval. to. 2. c. 18. in D. 11. n. 13. Omnia sumantur ex die Festo, mutatis nonnullis ut in proprio habetur.

Qui recitant sub ritu semiduplici, dicant preces Dominicales, ubi recitandæ sunt, & faciant Commemorationes communes, seu suffragia, ubi sunt facienda; omessa tamen commemoratione de Sancta Maria ex Rubr. gen. *Brev. tit. 35. n. 4.* Quæ vero suffragia non hent, ubi sub ritu duplici recitetur; vide dicta in Feria 5. n. 7. similiter nec preces Dominicales in eodem casu. Lectio-nes 1. Noct. semper erunt de Script. occur. 2. & 3. Noct. ut in proprio disponuntur per menses singulos. Si occurrat aliquod Festum simplex, nona lectio legitur de eo, si lectio-nem propriam habeat, & fit Com-memoratio ejusdem in 1. Vesp. & L.

Ad

Ad Octavam Benedictionem dicatur:
Cujus Festum colimus, ipsa Oc. secundum dicta in par. I. c. 2. n. 8.

In Officio Votivo Immaculatae Conceptionis in Antiphona, quæ dicit: post partum Virgo inviolata permanisti: dici non potest: Immaculata. S. R. C. 23. Junii 1736. in Einsidlen. a-pud Caval. to. 2. par. 2. c. 41. d. 14.

Si in 2. Vespa. fiat de hoc Officio saltem commemoratio, variatur adhuc finis hymnorum; & dicitur adhuc in Vespa. & in Completorio in fine hymn. *Jesu tibi Oc. qui natus es. Vide Gavant. in Rub. Brev. Sect. 5. c. 6. n. 35.*

Si in sequenti Dominica occurrat aliquod Festum ejusdem B. V. sub ritu etiam duplice majori, vel minori, non fiet commemoratio hujus Officii Votivi ejusdem Virginis. Vide Caval. to. 2. c. 32. in d. I. n. 1. & 2. & dicenda tr. 2. in Feria VI. post Dom. Passion. ubi de Festo septem dolorum B. V. concurrente cum Festo Annunciationis ejusdem; & rursus dicenda 8. Septembr. ubi de Fest. Nat. B. V. concurrente cum Festo SS. Nominis ejusdem.

37 Tempore Paschali fit Officium modo explicato, sed in fine Antiphonarum, *vv. & RR.* additur *Alleluja*: & Responsoria brevia ad horas tunc sumenda erunt ex Communi Virginum pro tempore Paschali; ac serventur alias Rubricæ generales temporis ejusdem.

TOM. I.

S E C T I O II.

De Missa.

Qui recitant Officium Votivum 38 Conceptionis B. V. si velint dicere Missam conformem Officio, dicant ut in Festo Conceptionis: quia ex Rubr. Generali, Missa debet concordare Officio, quo ad fieri potest; & ita docet in casu præsentis, probatque Conti Opusc. I. lib. 2. c. I. pu. 6. §. 5. n. 383. & videlicet potest etiam Caval. to. 5. cap. 14. num. 43. & 44. ubi supponit, Missam de Conceptione, seu alio B. V. Festo juxta qualitatem hujusmodi Officiorum Votivorum celebrari.

At videtur obstare primo: quod 39 recitantibus Officium Votivum SS. Sacramenti præscribatur, ut illam Missam legant de SS. Sacramento, quæ assignatur pro Votiva in Missali, non autem ut in Festo; quemadmodum notavimus in Feria V. n. 10. Ergo similiter a recitantibus Officium Votivum Conceptionis B. V. videtur non esse dicenda Missa ut in Festo Conceptionis, sed de Sancta Maria, ut in Votivis pro diversitate temporum.

Attamen respondetur; Missam Votivam de SS. Sacramento esse Missam correspondentem Officio Votivo SS. Sacramenti, ut patet, imo esse eamdem, ac est quæ dicitur in Festo SS. Sacramenti, excepta Sequentia, quæ non dicitur in Votiva. Missæ vero Votivæ de Sancta Maria non videntur congruere Festo Conceptionis ejus, unde non sunt conformes Officio Votivo Conceptionis; & sic est lata disparitas.

T r Sed

40 Sed videntur adhuc 2. obstat
decreta duo S. R. C. Primum hu-
jus tenoris: *Missa Immaculate Con-
ceptionis B. M. V.* & continuatio qua-
libet die Sabatti, ex particulari po-
puli devotione, & ex quo sit Patrona
loci, non conceditur: sed ejus loco per-
mittitur *Missa de Sancta Maria in
Sabbato*; dummodo non sit impedita
ab aliis Festis duplicitibus, seu semidu-
plicitibus. S. R. C. 20. Julii 1669.
in Alexanen. apud Merat. ind. decr.
Miss. n. 437. Alterum Decretum
sic habet: *Missa assignata Festa Con-
ceptionis B. M. V. pro Fratribus Mi-
noribus non potest dici per annum uti
votiva, etiam in Sabbatis.* S. R. C.
30. Septemb. 1679. in una Ord.
Cappucein. apud Merat. loc. cit. n.
453. qui hujus Decreti mentionem
insuper facit in Gavant. par. I. tit.
4. nu. 30. Item docet Gavantus in
Rubr. Miss. par. 4. tit. 17. nu. 8.
Missam propriam alicuius Festivita-
tis B. Virginis, puta Assumptionis,
Nativitatis &c. non posse dici per
annum, quia iam assignatae sunt
pro diversis temporibus anni quin-
que Missæ Votivæ B. Virginis. Ig-
nitus sumatur, inquit, ex istis, quæ
tempori correspondet. Alias etiam
dederat, vel dicere: *Gaudemus om-
nes in Domino, diem Festum* &c. vel
*mutare Diem Festum in Commemoratio-
nem.* Nec private devotionis causa
violatione sunt Rubrica; ita Gavan-
tus cohærenter ad Decretum S. R.
C. editum de mandato Pauli V.
teste Merato 10. I. par. 3. tit. 4.
n. 17. ex quo prohibentur Missæ
propriæ nonnullarum Festivitatum
Domini, vel B. Virginis legi sam-
quam Votivæ, videlicet extra pro-
priæ dies, vel Octavas; Et hanc
doctrinam luet confirmare duabus

recentioribus declarationibus ejusdem
S. C. R. Interrogata enim: *Utrum
ex prescripto Fundatorum, & insi-
tutione eorumdem, possit dici Missa
de Assumptione, Purificatione, Concep-
tione Beatae Mariae Virginis in Sab-
batis, vel aliis Feriis per annum non
impeditis Feste duplice?* (Respondit)
Non sunt violande Rubricæ imperito-
rum Laicorum causa; & ideo petenti-
bus Missis Votivæ de Assumptione &c.
sunt satis, celebrando unam ex Missis
Votivis Beatae Mariae Virginis juxta
temporis occurrerentiam. S. R. C. 29.
Januar. 1752. in una Ordin. Car-
melit Excalceat. Provinc. Polon. ad
7. dub. apud Cayal. to. 5. in Col-
lect. recentior. Decretor. Rursus cum
in Cathedrali Wilnensi in Lithuania
pates fundatae essent Missæ Votivæ
de B. V. quotidianæ in cantu, ni-
mirunt in Capella Sanctissimi No-
minis Mariæ Missæ Votiva de Af-
sumptione; in Capella Conceptionis
de Conceptione; in Capella Assump-
tionis Missæ ut in Votivis de S.
M. declaravit, quod pro Missis ex
Fundatione, aut ex alia quacunque
causa in canu celebrandis, fide de
Assumptione, fide de Conceptione &c.
B. M. V. extra ejus Festos dies, vel
Octavas eorumdem Solemnitatum, af-
sumi nequit propria Festivitatis; sed
substituenda est ei una ex quinque Voti-
vis B. M. V. que habentur in Mis-
sali Romano juxta congruentiam tem-
poris. S. R. C. 22. Decemb. 1753.
in Wilnen. ad 5. dub. apud Cayal.
loc. cit.

Verum ad hæc facilis est respon-
sio: hujusmodi enim Decreta, &
Gavanti objecta auctoritas edicunt,
non posse legi Missas proprias Fe-
sti Conceptionis Beatae Virginis,
aliarumque Festivitatum illius extra
pro-

proprias dies , vel Octavas , in die , qua ejusdem Officiis missae recitetur . Nos autem hic sumus in casu de Conceptionis Missa legenda in die , qua ejusdem Officium recitetur . Itaque objecta Decreta declarant : prefatas Missas Festivas non esse celebrandas tamquam vere , proprieque Votivas . At vero Missa Conceptionis lecta a privilegiatis , cum in Sabbatis per annum recitent ejusdem Officium , non est vere , proprieque Votiva .

Profecto Missæ Votivæ in sensu stricto , & proprio sunt , quæ simpliciter celebrentur ex Voto , seu pia voluntate Celebrantis , vel pertinentis tales Missas , non item ex præcepto Ecclesie , seu Rubricarum præscriptio , regulisque Missalis : quæ quidem Missæ communiter Officio non convenienter occurrenti : ut si recitetur Officium de aliquo Sancto , & legatur Missa de B. Virginie , simpliciter ex Voto , seu pia voluntate &c. Confer Rubr. Gener. Miss. tit. 15. num. 5. Gavant. in Rubr. Miss. par. 1. tit. 4. n. 2. & tit. 8. num. 4. lit. Z. Merat. tom. 1. par. 1. in præliminar. n. 56. & eadem par. 1. tit. 4. n. 3. Cavaler. to. 5. c. 14. nu. 40. & 44. Dixi : Missas Votivas occurrenti Officio non convenire communiter : quia datur casus , quo Missa non convenienter Officio occurrenti , nec tamen Votiva sit , seu simpliciter ex Voto &c. sed sit ex præcepto Ecclesie , seu Rubricarum præscriptio ; & contra , Missa etiam concordans Officio potest aliquando esse Votiva ; ut accidit in Vigiliis , seu Feriis majoribus , infra Octavam , in quibus ex Rubricarum præscriptio , si Officium fiat de Octava , Missa

est de Feria ; conseqüenter si eodem casu Missa dicatur de Octava , hec nihilominus erit Votiva ; & sic in Vigilia Assumptionis ex. g. ut ibi notabimus , si fiat Officium de die infra Octavam S. Laurentii , Missa est de Vigilia praedicta ; similiter si Feria quarta quatuor temporum Adventus incidat infra Octavam Conceptionis B. V. & fiat Officium de die infra Octavam , Missa est de Feria ; quod si in priori casu legitur Missa de S. Laurentio , & in posteriori de B. V. eti ultraque conformis Officio , nihilominus ultraque erit Votiva ; quia legitur simpliciter ex Voto , seu pia voluntate &c. Confer Merat. to. 1. par. 3. tit. 3. n. 4. & tit. 8. n. 10.

His positis , Missa Conceptionis , ut dicebamus , non est Votiva in sensu proprio , si legitur a privilegiatis in Sabbatis per annum , cum recitent ejusdem Officium ; tunc enim non legitur simpliciter ex Voto , seu pia voluntate , sed ex Rubricarum præscriptio : ex quibus videlicet Missa celebranda est conformis Officio : (nisi aliud præscribatur expresse , ut in easu praedito) & quidem Missa debet esse conformis Officio occurrenti non solum in genere , verum etiam in specie ; ita ut in Feste e. g. Conceptionis B. V. non sufficiat legere Missam quamlibet de B. V. puta Nativitatis illius ; sed legenda est specifica Missa Conceptionis , & sic de aliis.

Stet ergo , quod Missa Conceptionis , quemadmodum & qualibet Missa cuiuslibet alterius Festi B. Virginis extra ejusdem Octavam non possit dici sive in Sabbatis , sive extra Sabbata , uti Votiva vere , & proprie talis : unde non audiantur ,

T t 2 qui

qui oppositum docuere: Vide Dian. to. 2. Edit. Coord. tr. 1. Resol. 69. & 70. & Franc. de-Lugo de Sacram. lib. 5. de Missa c. 9. qu. 4. num. 31. Pro Missis autem Votivis Sanctorum, qui in Missali habeant Missam propriam, & non habeant specialem aliam Missam dicendam uti Votivam: videantur dicta hoc lib. 2. par. 1. c. 2. n. 10. Stet insuper, quod Missa Conceptionis possit dici, quando a privilegiatis recitatur in Sabbatis per annum non impeditis ejusdem Conceptionis Officium.

Dixi: Missas cuiuslibet Festi B. Virginis non posse dici uti votivas extra Octavam ejusdem: quia si Festum celebretur cum Octava, & infra eam occurrat fieri de aliquo Feste semiduplici, si celebretur Missa Votiva de B.V. haec erit quæ in Feste: ut significatur in supra laudato eodem Decreto in Wilnensi, & declaratum. etiam fuerat anno 1684.

2. Decemb. in una Ordin. Canon. Lateran. docetque Meratus. to. 1. par. 1. tit. 4. n. 18. versu: si petatur Missa Votiva: & sibi cohæret par. 4. tit. 17. n. 2. Confer dicenda 11. Decemb. n. 3.

4. Etsi autem ex eodem allegato Decreto in Wilnen. Missæ propriæ Festivitatum B. Virginis, extra diem Festum, & Octavam, neque in cantu dici possint uti Votivæ: nihilominus in Missa B. Virginis sub invocatione Septem dolorum: quæ in Missali Romano habetur celebranda in Feria sexta post Dominicam Passionis, ad calcem describitur Oratio dienda in eadem Missa, quando celebretur uti Votiva: unde significatur; eamdem illam Missam posse dici uti Votivam, saltem in Cantu, cum concursu po-

puli, & pompa. Sed & private eam dici posse, supponit Meratus in Gavant. par. 1. tit. 4. n. 29. fine, ubi assignat Orationes in ea Missa dicendas, si uti Votiva in Adventu legatur: etiam expresse simpliciter affirmat id par. 4. tit. 17. n. 2. Porro Meratus ibi concedit, Missas Festivitatum B. Virginis assumere pro Votivis ejusdem extra Octavam, dummodo non contineant verba, quæ pro Votivis videantur incongrua, ut si Missa Festi haberet Introitum: *Gaudemus omnes in Domino diem Festum celebrantes* &c. Verum simpliciter standum est supra laudatis Decretis de an. 1752. & 1753. in quibus absolute prohibentur celebrari pro Votivis Missæ propriæ Festivitatum B. Virginis (nisi forte, ut dicebamus, Missa septem dolorum, in cantu) extra earumdem Octavas. Cæterum etiæ ex eodem Merato supra dixerimus, a S. C. declaratum, quod Missa assignata Feste Conceptionis B. M. V. pro Fratribus Minoribus, non potest dici per annum uti Votiva, etiam in Sabbatis: Nihilominus idem Meratus in Indice decret. Miss. n. 453. eo Decreto descripto, subdit, atque testatur, quod tamen ex Rubricis sparsis in corpore Missæ Immaculatæ Conceptionis B. M. V. in Missali Fratrum Minorum ab Innocentio XII. denuo approbatis appareat, eamdem Missam, uti Votivam ab ipsis recitari posse per annum.

Denique ubi in Decreto de an. 1669. in *Alexanor*. superius etiam allegato excluditur Missa Votiva S. Mariæ in Sabbato a Sabbatis, in quibus occurrat Officium semiduplex: cum secundum Rubr. gener. Miss. Officium semiduplex non excludat

per

per se Missas Votivas etiam privatas; Decretum intelligi potest de Officiis semiduplicibus, in quibus aliunde interdicantur Missæ Votivæ: puta infra aliquas Octavas privilegias. Pro Ecclesiis autem, ubi adsit immemorabilis consuetudo, favorable etiam in duplicibus Decretum dedimus supra n. 30.

42 In hac Missa Conceptionis dicitur *Gloria in excelsis*; tum quia in Officio Conceptionis ejusdem dictum est *Te Deum*; juxta Rubr. gener. Miss. tit. 8. n. 3 tum quia Missa etiam vere proprieque Votiva de S. Maria, quoties dicitur in Sabbato, admittit *Gloria*, ex Rubr. de Miss. Vot.

Dicitur 2. or. de Spiritu Sancto 3. Ecclesie, vel pro Papa. ex Rubr. gen. Miss. tit. 9. n. 15. & ex Quarti p. i. tit. 9. de orat. n. 9. nisi facienda sit Commemoratio simplicis. Cur in Missis de B. V. pro priori oratione de tempore dicatur or. de Spiritu Sancto? diximus supra art. 3. n. 31. Non dicitur *Credo*: ut docet Tobias Lohner. apud Conti l. cit. n. 392. & Guyetus apud eundem lib. 3. pu. 6. §. 1. n. 519. ubi tradit esse sententiam communem, idque etiam habes ex Decr. S. R. C. 26. Aug. 1752. quod dedimus par. 1. c. 2. n. 9. Unde non est audiendus Conti, qui insinuare conatur oppositum. Rationem habes in simili Officio Votivo hebdomatico SS. Sacramenti. Vide dicta in Feria V. n. 13. Docet autem Caval. to. 5. c. 12. n. 18: (alias per errorem 19.) dicendum esse *Credo*: ubi hoc Officium Votivum celebratur sub ritu duplice.

Præfatio de B. V. ex Rubr. gen. Missal: cum. ¶. O te in Conceptione-

ne; ut dicitur in Festo; juxta Caval. to. 5. c. 14. ubi num. 41. docet: in Missis Votivis de aliquo particulari mysterio, aut titulo B. V. dicendam esse Præfationem propriam, qualis dici debet in Festo; (dummodo congruat etiam Missæ Votivæ, quæ celebratur, ut limitat n. 42.) unde ait: e. g. cum versu: O te in Annunciatione: aut Transfiguratione: si Missæ fuerint de Annunciatione, vel de B. M. septem Dolorum. Id ipsum n. 43. statuit a fortiori de Missis, quæ correspondent Officiis hebdomaticis, vel mensuis ejusdem B. V. Hinc itaque ex Cavalerii sententia, in Præfatione hujus Missæ dicendus est ¶. O te in Conceptione: quem quidem versum vidi designatum in nonnullis Directoriis. Quamvis ex eodem Caval. to. 2. pat. 2. c. 39. in d. 1. n. 4. hoc Officium Votivum Conceptionis non censeatur institutum in memoriam diei, quo Deipara concepta fuit, sed magis in Commemorationem ipsius Conceptionis. In Oratione autem secreta,posito quod dicatur Missa de Festo Conceptionis, ad illud: in Conceptionis ejus solemnii dicendum esse: in conceptionis ejus commemoratione: Item in Postcommunione ad illud . celebritatis annue: dicendum esse: commemorationis annue: monitum vidi in supra laudatis Directoriis; & favet Cavalerius to. 5. cap. 14. n. 45. ubi cum Guyeto docet: in hujusmodi Missis B. V. hebdomaticis &c. si habeant in Die propria ad Præfationem versum: Et te in Festivitate: vel Solemnitate: loco Solemnitatis, vel Festivitatis subrogandam esse memoriam, vel Commemorationem; tradiique, Eremitas Augusti-

guttiūtis hujusmodi Officia intitulare *Commemoratio* nomine, vel *Festivitas*: & subdit: fane iisdem Officiis Solemnitatis, vel Festivitatis nomen apte concordare non posse videatur, & adeo semper vixit fuit, ne repetiri non sit, Religionem aliquam, vel nationem, quæ tali titulo ea unquam inscripsit, vel idem nomen in orationibus retinuerit. Porro in Collecta, seu oratione hujus Officii Votivi, quæ est eadē, ac in Feste, vox tamen Solemnitas mutatur in *Commemoratio*, ex prescripto ipsius Breviarii: ex quo, pro *Conceptionis ejus Votiva Solemnitas*, dicitur hic *pia Conceptionis ejus Commemoratio*. Videri possunt dicta par. I. hujus libr. 2. c. 2. n. 10.

43 In Sabbatis Septuagesimæ, & Sexagesimæ, post Graduale, omisso *Alleluja*, & sequenti *V.* dicitur Tractus ut in Votivis de S. Maria habetur. Tempore vero Paschali non dicitur Graduale, sed ejus loco dicuntur duo versus cum quatuor *Alleluja*, ut in Missa Votiva de S. Maria a Pascha ad Pentecosten habetur. Eodem prefato tempore ad Introitum dicuntur duo *Alleluja*, & unum ad Offertorium, & Communionem de more temporis Paschalis.

44 Si quis dicat Missam Votivam de aliquo Sancto, cum tamen reciteret Officium Votivum Conceptionis, non debet in Missa Votiva de Sancto dicere *Gloria in excelsis*, neque Præstationem de B. V. sed commitem, vel illam, quæ pro tempore occurrat dicenda, et si debeat facere Commemorationem Conceptionis. Vide dicta hic n. 33.

ARTICULUS V.

De origine, & causa Dedicacionis Sabbathi ad Specialem Cultum
B. M. V.

45 SABBATUM ab Ecclesia B. M. V. dedicatum esse, assertur in quadam Decreto Pauli V. a nobis allegando lib. 3. 25. Decemb. n. 116. fine. Id etiam constare, obseruat Gavantus par. I. tit. q. n. 1. & 2. vesti ex specialibus devotionis, ac pietas operibus sive exercitiis, a populo Christiano in honorem laudaræ Deiparae predicta die exhibitis; num etiam ex ipsis Officiis Ecclesiasticis eadem die in illius laudem ordinatis. Quapropter Author Micrologi de Eccles. Observat. c. 48. ait; quod dies Sabbati per totum annum venerationi Sancte Marie solet obsecundare. Videri etiam potest Benedictus Plaza Devotionis vindicata par. 2. c. 15. a n. 15. Ideo Sabbathum aliquando diem Virginis nuncupatum invenimus: cui notavimus n. 27.

Quare autem potest de origine, & causa dedicationis hujusmodi. Surrez to. 2. in 3. par. disp. 22. Sect. 1. prope finem fatetur, se hujus rei terum initium reperire non posuisse: meminit vero solum cuiusdam opinionis, illud statuentis in Concilio Claromontano sub Urbano II. Quod tamen Concilium nunc minime extare testatur. Atque adeo non videatur hinc opinioni subscribere; & nos quidem illam falsam esse, ostendimus: postquam aliorum opiniones refuterimus, nostramque, quæ verosimilior visa fuerit, statuerimus.

Igitur aliqui primo Dedicacionis 46 hujus causam, & originem petunt ex

ex quodam miraculo circa Imaginem quamdam B. Virginis Constantiopolis veneratam. Quod miraculum narrat Durandus in Ration. lib. 4. c. 3. n. 31. ubi refert, olim Constantinopoli Imaginem fuisse B. Virginis opaco adopertam velo, quod a primis Vesperis Sabbati, nemine movente, allevabatur ita; ut retegretur proculs Imago per illud tempus; donec celebratis Sabbati Vesperis, decidente per se ipsum velo, iterum Imago operiscitur; detectione velut ad celebritatem Festi curata per Angelos.

Venim haec ratio dura ex aliqua parte satisfacit, dat ulteriori Questioni locum; ulterius enim inquiri potest: cur Sabbato potius, quam aliis hebdomadarum diebus, velum Angelico ministerio reduceretur, ut tota pateret Imago, sicut fieri solet in Festo? Atque adeo cur peculiator in Sabbato Dominus per Angelos fidem populum invitaverit ad Sanctissimam Genitricem suam piis obsequiis honorandam? Præterea de veritate allegati miraculi non paucos dubitare, testatur Raynaudus to. 7. in Glossario ad Nomenclatorem Marianum. V. *Lactulus Dei*: cum, inquit, mispia ea narratio apud probatos Scriptores compareat. Deinde longe antiquioram esse originem dedicacionis hujusmodi inserviamus infra.

47. Alii secundo petierunt ex eo, quia putarunt, B. Virginem solam mansisse in fide in Sabbato mortis Christi. Ita Author Tractatus de Passione Domini, qui legitur inter opera Divi Bernardi Abbatis to. 2. Edit. Venetiis an. 1616. pag. 328. In predicto quidem Tractatu c. 2. versus finem haec leguntur: *In persona Christi*

sti conquerentis loquitur Beatus Job; Derelicta sunt tantummodo labia mea circa dentes meos. Per labia quippe, quæ ceteris sunt membris molliora, mulieris sexus mollis, & infirmus, qui solus Christo, discipulis frequentibus, adhesit, figuratur. Elegit enim Dominus infirma mundi, ut confunderet fortia. Si vero fugam mentalem intelligimus; nec vir, nec mulier relictus est cum eo, præter illam, quæ sola benedicta est in Mulieribus, quæ sola per illud triste Sabbathum stetit in fide, & salvata fuit Ecclesia in ipsa sola. Propter quod aptissime tota Ecclesia in laudem, & gloriam ejusdem Virginis diem Sabbati, per totius anni circulum celebrare consuevit. Eamdem rationem assignat S. Antoninus sum. 4. par. tit. 15. c. 24. §. 3. Verum haec ratio falso innititur fundamento: enimvero B. Virginem solam in fide mansisse in triduo Mortis Christi, licet quidam alii antiquiores Theologi dixerint, (ut videbimus ubi de triduo ante Pascha n. 25.) attamen opinionem hujusmodi tamquam falsam omnino rejiciunt moderni Theologi.

Alii tertio petunt ex eo quod Christus in Virginis utero requieverit eodem modo, quo Sabbato Parasceve consequente requievit in Sepulchro. Quam tamen rationem non approbat Raynaudus to. 7. loc. cit. Enim vero licet sit mystica quædam affinitas sepulchrum inter ac uterum Virginis, ut S. Maximus egregie est prosequutus homil. 2. de Pass. Domini; & Spinellus lib. cui tit. *Maria Thronus Dei* c. 29. a n. 19. Nilominus Christus, in rigore loquendo, non quievit in sepulchro, sicut quievit in utero Deiparae; quia licet ex D. Thm 3. p. q. 52. art. 3. corp.

corp. in illo triduo mortis Christi, dicendum est, quod totus Christus fuit in Sepulchro, quia tota Persona fuit ibi per corpus sibi unitum; attamen Corpus erat ab Anima separatum: atque adeo Anima Christi non erat in Sepulchro. Quievit ergo Christus mortuus in Sepulchro; vivus autem in utero Virginis. Ergo &c.

49 Alii quarto petunt ex eo, quod Beatissima Virgo sit Domus Dei, quam ipse sibi aedificavit, atque in ea per humanitatis assumptæ mysterium veluti in sacratissimo lectulo requievit. Porro Sabbatum interpretatur *Requies*, uti docuimus art. 1. qu. 1. initio; quo videlicet die, ut ibidem notavimus, Deus requievisse legitur ab universo Creationis opere, quod patrarat. Ex eo itaque, quod Deipara sit Lectulus Dei, in quo Sabbatizaverit, & requieverit, inferunt, Sabbatum fuisse peculiarter addicatum cultui B. Virginis. Ita S. Petrus Damiani Opusc. 33. de bono suffragiorum, & variis miraculis præsertim B. V. c. 4. ubi sic: *Sabbatum enimvero, quod Requies interpretatur, quo videlicet die Deus requievisse legitur; satis congrue Beatissime Virgini dedicatur.* Quam nimirum sibi Sapientia domum aedificavit, atque in ea, per humilitatis assumptæ mysterium, velut in sacratissimo lectulo requievit. Quam quidem rationem valde approbat, eique subscribit Raynaudus to. 7. loc. cit. judicans nullam esse hac aptiorem, & congruentiorem, quæque plenius satisfaciat. Ea etiam optima visa est Benedicto Piazza *Devotionis vindicatio* par. 2. c. 15. n. 31.

50 Sed alii denique (omissis quibusdam aliis minus notatu dignis rationibus, quæ a nonnullis Scriptori-

bus assignantur) docent: Sabbatum cultui B. Virginis specialiter esse dicatum ad lugendam ipsius Dei Genitricis solitudinem, postquam die proxime præcedenti mortem filii planxerimus. Ita Author sermonum Discipuli ferm. 164. ubi inquit: *Optime ordine sequitur, ut cum die Veneris mortem filii planxerimus, die insequenti Matris lugeamus solitudinem: ut sicut alii Martyres dies sibi dicatos habent; ita & Reginæ Martyrum hunc peculiari devotione dedicemus.* Cujus auctoritatis meminit etiam, eamque ad hanc rem allegat Engelgrave in sua Luce Evangelica par. 2. Dom. infra Octavam Nativ. §. 3. Eamdem rationem adducit Spinelius supracit. cap. 29. n. 18. fine.

Atque hæc quidem ratio mihi omnium probabilißima est; cui adherens, dico: Sabbatum cultui B. Virginis ideo videri specialiter esse dicatum, quia isto die Apostoli aliquique Discipuli Domini, piæque Mulieres apud ejus Sanctissimam Matrem proculdubio sunt congregati, ut consolarentur eam super passione, & morte filii sui; & vicissim ab ea consolationem acciperent. Profecto veluti filii, amissio Patre, totam spem suam, & consolationem reposuerunt in Matre, eamque ut suam ipsorum quoque Matrem honorare cœperunt ab hac potissimum die.

Favet Cornelius A Lapide in c. 19. Joann. v. 26. in illa verba Christi morientis ad Matrem: *Mulier ecce filius tuus; ubi hæc habet: Beata Virgo relicta fuit a Christo post se, ut illa Apostolorum, & fidelium foret Mater, eos lapsos colligeret, afflictos solaretur, titubantes solidaret, dubiis, & anxiis consuleret, eosque per omnia dirigere.*

rigeret, instrueret, animaret. Unde ipsa statim Apostolos a Christo capto diffugientes collegit: Petrum ob negationem Christi pusillanimem spe veniae erexit, omnesque morte Christi turbatores fide resurrectionis Christi mox futura confirmavit. Hæc laudatus Interpres. Quæ profecto in Sabbato præsertim oportuit per Beatissimam Virginem adimpleri. Accedit auctoritas Venerabilis P. Ludovici de-Ponte qui similia habet par. 4. Medit. 56. q. 3. affirmans nimirum, quod Christus Dominus mox post mortem suam, ut Pastor bonus, qui animam suam pro ovibus suis posuit, etiam Anima in Limbum descenderit, oves illas consolaturus, & liberaturus; non tamen oblitus fuerit earum, quæ super terram, tamquam sine Pastore oves errabant: nam, inquit, virtute Omnipotencie suæ inspiravit Discipulis suis, ut ad Matrem suam convenirent, ab eaque consolationem, & spiritus fortitudinem reciperent. Primus fuit Sanctus Petrus, qui trinam sui Praeceptoris negationem deflens amare, prostratus coram Sanctissima Virgine repetivit suas lacrymas tum ob negationes suas, & laborem sui Magistri; tum ob ipsius Matris desolationem, & reliquorum, qui ibi fliebant: quem tamen Virgo Sanctissima blande est consolata. Hunc sequuti sunt reliqui Apostoli, quos illa omnes charitate magna exceptit; sicut Gallina solet pullos suos colligere, cum fugiunt transvolantem milvum. Hæc laudatus Scriptor. Hac itaque de causa; dicimus; videri, universalem Ecclesiam, populumque fidelem Sanctissimæ Dei Genitricis cultui diem Sabbati specialiter dedicasse. Quam quidem Dedi-
cationem hæc ipsa de ratione fac-

TOM. I.

le opinamur cœpisse mox post sanctam dormitionem ejus, & gloriosam in Cœlum Assumptionem: certissime vero antiquissima est. Videri potest Plaza loco supra citato, ubi vetustissima tradit dedicationis hujuscce monumenta plura. Nos autem indicamus, Sanctum Petrum Damiani diserte agnoscere Sabbatum esse peculiarter addictum Deiparæ, ut constat ex ejusdem Epist. 14. lib. 2. & ex dictis numero præcedenti: Is autem ad cœlestem Patriam migravit anno Domini 1072. Sed & a Sancto Gerardo Episcopo, qui anno 1047. pro Christo est passus, & a Sancto Ildefonso Archiepiscopo Toletano qui saeculo septimo floruit, exactum peculiari in Deiparam religione diem Sabbati notarunt, qui acta scripserunt eorum.

Ex quibus manifeste patet, halucinatos fuisse eos, qui dixerunt, Urbanum II. in Concilio Claramontano addixisse Sabbatum cultui B. Dei Genitricis. Profecto Concilium illud est celebratum an. 1095. cum tamen Petrus Damiani de eodem cultu testatus, obierit an. 1072. hoc est ante annos 23. Firmavit quidem, & ad phares extendit in eo Concilio Urbanus II. usum Officii B. Virginis apud Gamugenses Monachos ex Petri Damiani institutione antea induitum: ut ex Theophilo Raynaudo notavimus art. 2. n. 29. & videri etiam potest Plaza loc. supracit. n. 39. & 40.

V ▼

AR.

ARTICULUS VI.

Notanda pro Salutatione Angelica ad pulsum Campanæ, & Oratione nocturna pro Defunctis.

51 **SALUTATIO** Angelica ad pulsum Campanæ, quæ quotidie consuevit in honorem B. Virginis recitari sub Noctis initium hora vigesima quarta Horologii Itali; recitatur stando in Sabbato: jam enim a i. vespere Dominica tenet ritus orandi stando. Vide dicta lib. I. c. 5. de Salutat. Angelica n. 3. & 19. & in Dominica n. 65. §. Nota 3. & n. 68.

Non sic autem Psalmus *De profundis*, seu *Oratio pro Defunctis* simili Campanarum signo hora una Noctis dari solito; Hæc profecto oratio facienda est flexis genibus. Vide dicta in Dominica n. 70.

ARTICULUS VII.

De Abstinentia a Carne.

52 **T**N Sabbato esse obligationem a carnis abstinendi, habet communis sensus omnium fidelium, passimque testantur Auctores, quorum aliquos landabimus nam sequenti: exceptis tamen quibusdam locis inferius indicandis, ubi consuetudo legitima vegetat in contrarium, vel expressum Ecclesiæ faveat privilegium.

Hujusmodi abstinentiam servare Romana jam olim consuevit Ecclesia, cuius consuetudinem Sanctus Sylvester I. stabili lege firmavit; ut constat ex Nicolao I. Epist. 70. ad Hincmarum, & cæteros Episcopos in Regno Caroli constitutos; &

ex Innocentio I. ac Gregorio VII. infra laudandis: item ex Hieronymi Epist. 28. ad Lacinium Beticum prope finem, ex Augustino Epist. 86. ad Casulanum, & Epist. 118. ad Januarium cap. 2. quod referunt in C. Illa. II. dist. 12. & ex aliis Scriptoribus Ecclesiasticis. Quinimmo Azorius Instit. Moral. par. I. lib. 7. cap. 15. qu. 2. prope finem, putat, (& communiter Doctores sustinent) olim fuisse in Sabbato jejunium perfectum, videlicet cum unica ad horam nonam comedione.

Prædictum Romana Ecclesiæ modum plerique sequuntur sunt, non tam omnes Occidentales Ecclesiæ. Nam Mediolani non fuisse servatum, aperte constat ex cit. Ep. 118. Augustini ad Januarium, & ex Ambrolio lib. de Elia, & jejunio c. 10. Quod autem ex Africanis etiam Ecclesiis quædam Romanum usum fuerint sectate, perspicuum esse potest legentibus alteram laudatam ejusdem Augustini Epistolam 86. ad Casulanum, de jejunio Sabbati, contra Urbiuum quemdam, qui scriperat, omnino esse in Sabbato jejunandum. De his vid. Azor. I. cit. qu. 1. &c. 2. Less. de Just. lib. 4. c. 2. dubit. 9. n. 64. Cabassut. sec. 4. de Synodo Laodic. n. 24. Natal. ab Alex. 10. 6. diff. 4. art. 4. part. 1. Caffali in Flor. c. 63. Bellarm. de controv. to. 3. Controv. gener. 3. principal. ult. I. 2. c. 28. Bened. XIV. de Synodo Dioces. lib. III. c. 5. a. v. 2.

Abstinentiam vero istam a carnis, imperfectumque jejuniu, vel etiam jejunium illud perfectum in Sabbato custoditum, in Romana Ecclesia instituisse putantur SS. Apostoli Petrus, & Paulus, ut tradit

Azor.

Azor. cit. qu. 2. fine. Etsi Albaspi-
næus observat: lib. 1. c. 13. putave-
rit, in ipsa quoque Romana Eccle-
sia usitatum olim fuisse, ut diebus
Sabbati per annum carnes appone-
rentur. Sive autem sit ex institutio-
ne Apostolorum, sive tantum ex
mera consuetudine populi Christiani;
Jejunium seu potius abstinentiam hu-
juscemodi, stabili lege firmasse S.
Sylvestrum I. notavimus supra: nunc
addimus, eamdem abstinentiam re-
cepisse, & confirmasse jus Canonici-
cum, ut constat ex C. Sabbato 13.
dist. 3. de consecr. ex Innocentio I.
cujus verba recitatibus infra; & ex
C. Quia dies 3 r. dist. 5. de consecr. ubi
ex Gregorio VII. in Concilio Ro-
mano V. anni 1078. dicitur: *Quia
dies Sabbati apud Sanctos Patres no-
stros in abstinentia celebris est babi-
tus, nos eorumdans auctoritatem se-
quentes, salubriter admonemus, ut qui-
cunque se Christiana Religionis partici-
pem esse desiderat, ab esu carnium eo-
dem die (nisi majore Festivitate in-
terveniente, vel infirmitate impedi-
ente) abstineat.*

53 Glossa in hujusmodi C. in V.
Abstinenemus ait: jejunium Sabbati
non esse præcepti, sed consilii. Ve-
rum dicendum est: abstinentiam a
carnibus in Sabbato nunc obligare
sub gravi: ut monet etiam Glossa
marginalis in C. De esu Carnium.
11. dist. 3. de Consecr. Nisi consue-
tudo legitima alicubi vigeat in con-
trarium; vel privilegium; quemad-
modum superius dictum est. Et qui-
dem sub hujusmodi gravi obligatio-
ne abstinentiam Sabbati retinet com-
munis sensus populi Christiani, ut
animadvertiscunt Doctores. Sylvest.
V. *Jejunium* qu. 10. n. 28. Durand.
in ration. lib. 6. c. 7. n. 12. Azor.

cit. qu. 2. fine; La-Croix lib. 3.
part. 2. qu. 236. §. 1. Salmantic.
loco infra cit. & alii: Inter vul-
garia quoque Ecclesiar præcepta con-
numeramus abstinentiam a carni-
bus in Sabbato, enumeratque Bel-
larmianus in suo Catechismo, seu
opusculo Doctrinae Christianæ, quo
ex plurim Summorum Pontificum
Decretis Ecclesia utitur universa.
Vid. Plaz. in Causa Immacul. Con-
cept. actione 1. art. 2. testimoni 20.
a nn. 157. & dicenda tr. 2. Feria
V. major. hebdom. n. 138. Vulga-
ria vero Ecclesiar præcepta per se
obligare sub gravi, satis notum
est.

Diximus: *nisi consuetudo* &c. Por-
ro Græcis contrarium ab initio mo-
rent habitibus non jejunandi in
Sabbato, (excepto Sabbato Sancto
majoris hebdomadæ) nec a carni-
bus abstinendi extra Quadragesimam,
permisit Ecclesia, confirmavitque Cle-
mens VIII. ubi sine scandalo fieri po-
test, in locis tamen ipsorum, & in
ter eos tantum. Condit. incip. San-
ctissimus. 31. Aug. 1595. & novissi-
me Benedictus XIV. Constitutione
edita pro Italo-Græcis, quæ incipit
Etsi Pastoralis, & est 57. tom. I.
Bullarii ejus, ubi quidem n. 8. & 9.
tolerandus edicitur apud Græcos in
Græca Parochia habitantes, esus
carnium diebus Sabbati per annum,
si sine scandalo fieri possit, & dum-
modo id ad alios quoscumque, præ-
ter eorumdem Græcorum personas,
non extendatur, ne ad ipsos qui-
dem eorum famulos latini ritus.
Prædicæ vero consuetudinis Græco-
rum causam mox explicabimus.

Sed & quædam sunt ipsius Latini
æ Ecclesiae loca hujusmodi soluta
præcepto vel ex toto, vel ex par-

V v 2 te,

te , sive speciali Romani Pontificis facultate , sive meræ consuetudinis legitimæ privilegio . Sic in quibusdam Galliæ Diœcesibus , & apud Belgas , veteri instituto , a Natali Domini usque ad Purificationem B. V. carnes eduntur in Sabbatis , eo quod Beata Virgo nullum sustinuerit in partu dolorem , seu ob partum ipsius Virginalem ; de qua quidem consuetudine agemus tr. 2. lib. 2. part. 1. c. 2. Rursus in pluribus Hispaniarum , præcipue Castellæ , Gallæcæ , & Majoricæ Regnorum consuetudo viget antiqua , cuius originem difficile est divinare ; quod ita in Sabbatho carnibus abstineant , ut simul vescantur interioribus , extremisque partibus animalium ; præterquam in Sabbatis , quæ venerabilis Quadragesimæ , Sanctorum Vigilianum , & solemní sunt . Quatuor temporum jejunio consecrata . Vide Salmant. to. 5. tr. 23. c. 2. p. 5. q. 2. n. 109. Benedict. XIV. de Synod. cit. l. 11. nu. 6. Azor. Instit. Moral. par. 1. lib. 7. c. 15. qu. 2. fine , & c. 19. qu. 2. fine , ubi tamén animadvertisit : Monachos Regalam Sancti Benedicti professos , qui in hujusmodi privilegiatis partibus commorantur , prædictis carnibus vesci minime posse , quia ad eos consuetudo hæc trahi nequit ; cum ex suo ipforum instituto , & Regula , talium eborum usus sit interdictus ; ita Azor. loc. cit. Nisi apud eos recepta quoque Laicorum consuetudo locuni , & vim habeat ; ita Idem loc. cit. & qu. 3. Videri etiam possunt dicenda lib. 3. 25. Decemb. art. 1. Seçt. 9. q. 14. n. 130. Denique ex recentiori dispensatione , & permissione facta Hispaniæ a Benedicto XIV. anno 1745.

23. Januarii Constitut. 118. incip. Jampridem tom. 1. Bull. sui in omnibus Regnis Castellæ , Legionis , atque Indiarum (excepta Corona Aragoniæ) in quibus predicta consuetudo viguerit , comedendi interiores , & extremas animalium partes , licet nunc vesci animalium partibus quibuslibet in omnibus Sabbathis , extra Quadragesimam & Vigilias ; & quatuor tempora per annum . Cuius dispensationis , & permissionis ratio videri potest in Constit. Benedicti XIV. & in ejusdem opere de Synodo Diœces. lib. 11. c. 5. n. 7. & 8.

Sed ut ad Græcos redeamus , quos diximus , non consuevit in Sabbatho jejunare , nec a carnibus abstinere extra Quadragesimam : hujusce consuetudinis ratio ab initio fuit timor scandali , quod olim in Orienti parere potuisset jejunium Sabbathi , eo quod Hæretici quidam jejunium ibi in Sabbatho celebrabant , ad profitendos , & confringendos quoddam suos errores . Enim vero teste Bellarm. to. 3. controv. gener. 3. princip. ult. l. 2. c. 18. & Cabassutio Sæcul. 4. de Synodo Ladic. nu. 23. Jam inde ab Apostolorum tempore hæreses obortæ erant , profitentes , Hebræorum Deum , qui mundum hunc visibilem condidit , legemque Moysi dedit , esse malorum fontem , ac principium ; atque in ejus odium Sabbathis jejunabant , quos ille dies suo cultui destinarat . Istius hæresis auctor fuit Simon Magus , eamque discipuli ejus Menander , Basilides , Saturninus , Cerinthus , Carpocrates pro viribus propagarunt . His successit Cerdon , Cerdoni Marcion ; quibus se Manichæi duorum Principiorum prorsus inter se contra-

trariorum assertores adjunxere. De quibus omnibus agit Irenæus lib. I. c. 20. & sequent. Epiphan. heræf. 21. & sequen. Græci itaque ne vi-derentur ullo modo favere prædictis erroribus, jejuniū in Sabbatis non servabant. Cumque eadem hæreses longo jam tempore vigissent, ideo per multa sæcula Orientis Ecclesiæ a jejunio Sabbati abhorrierunt; unde etiam invenimus passim a Veteribus Orientalibus Conciliis jejunium Sabbati graviter interdictum, & a Græcis Patribus gravius reprobatum. Quem horrorem juniores quoque Græci suos sectati Majores, etiam nunc ex parte retinent, ideoque in Sabbato non jejunant, excepto Sabbato Sancto; nec in Sabbatis extra Quadragesimam abstinent a Carni- bus, Romana Ecclesia permittente, ut dictum est. Quamvis nunc tempori- ris cum supradictæ hæreses non amplius vigeant, imo nec earum radix videatur existere, atque adeo cessa- verit omnis ratio, & causa, ex qua abhorrendum in Oriente a jejunio in Sabbato videbatur; ideo ex Bulla Innocentii IV. anno undecimo Pon- tificatus sui super ritibus Græcorum n. 15. salubritis, & honestius age- rent, si in Sabbatis per annum a carnibus abstinenter, & in quadra- gesimalibus perfectum jejunium ob- servarent. Quod, præter jam dictam rationem, etiam insinuat, & con- firmat altera ratio, illa videlicet ipsa, propter quam idem Græci je- junant in Sabbato pridie Paschatis; illa enim ratio valet etiam pro re- liquis totius anni Sabbatis; memo- ria nimirum Dominicæ Sepulturæ, & triduanæ mortis. Si enim in Sabbato Majoris hebdomadæ potest jejunari, ad recolendam memoriam

Dominicæ Sepulturæ, & triduanæ mortis; ergo potest similiter & re- liquis anni Sabbatis jejunari, ad recolendam memoriam ejusdem Do- minicæ Sepulturæ, & triduanæ mor- tis.

Profecto etiam Græci profitentur; Festivum Dominicæ Resurrectionis gaudium, non solum ipso diè Paschatis, sed omnibus quoque annis Dominicis diebus celebrandum es- se: adeo ut ob ejus Mysterii me- moriam, nec jejunare, nec genua fle- etere permittant in omni Dominica. Ergo pari quoque ratione conve- niens est, in omnibus Sabbatis a carnibus abstinere, sive etiam jeju- nare, toto occurrentibus anno, ad piam recolendam Christi Domini mortis & sepulturæ memoriam. Quæ ratio est Innocentii I. qui sæculi V. initio ad Decentium Eugubinum Episcopum Ep. I. (alias 25.) c. 4. n. 7. in hunc modum scripsit: Sab- bato vero jejunandum esse, ratio evi- dentissima demonstrat. Nam si diem Dominicam ob venerabilem Resurrec- tionem Domini nostri Jesu Christi, non solum in Pascha celebramus, ve- rum etiam per singulos circulos hebdo- madarum iphus diei imaginem fre- quentamus; ac sexta Feria propter Passionem Domini jejunamus; Sabba- tum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam, atque lætitiam tem- poris illius videtur inclusum. Ita lau- datus Pontifex; quam rationem Bel- larminus reputat, & nuncupat soli- dissimam. Nulla enim ratio reddi potest, ait, cur in omni Feria sex- ta liceat imitari jejunium Feriae se- xtæ Paschalis, seu in parafceve, & non liceat in omni Sabbato imita- ri jejunium Sabbati Paschalis, seu quod subsequitur Parafceven.

Sed

56 Sed dices: Ecclesiam quoque Latinam prohibuisse olim jejuniū in Dominicas, ne viderentur Catholici favere quibusdam Hæreticorum erroribus; ut diximus, & explicavimus in Dominica, ubi de jejunio. Qui errores, quamvis amplius non vigeant, nec eorum vel radix videatur existere; nihilominus adhuc eadem Ecclesia Latina nunquam præscribit jejuniū in Dominica, ita ut videatur & ipsa etiamnum abhorre a jejunio a Dominica. Ergo mirum videri non debet, si Ecclesia Greca adhuc abhorreat a jejunio in Sabbato, quamvis defecerint antiquæ illæ hæreses, propter quas jejuniū in Sabbato fuerat in Oriente prohibitum.

P. Non propter tationem tantummodo illorum errorum Ecclesiam Latinam abstinuisse a jejuniis in Dominicas; sed etiam, & adhuc præcipue ob latitudinem Dominicæ Resurrectionis, quæ in qualibet Dominica recordatur, ut diximus c. 1. de Dom. art. 9. n. 73. Quæ quidem ratio, cum etiamnum perseveret eadem, ideo neque nunc Ecclesia Latina unquam præscribit jejuniū in Dominica.

Contra vero, jejuniū in Sabbato per Orientem fuit prohibitum propter errorem illorum hæreticorum tantummodo; vel si vis etiam, quia Apostoli, qui per Orientem tantum Christi Evangelium appuntiarunt, tradidérunt, Sabbatum esse colendum, adeoque in eo non esse jejunandum, ut eos, qui ex Judæis ad Christum venerant, una cum Gentilibus ad Christum quoque conversis, aliqua ex parte conciliarent. Quæ ratio est quorundam apud Azor. loc. cit. qu. 2. initio. Quod fieri

potuit ab Apostolis pro illa Regione, & tempore, donec lex vetus cum honore sepeliretur: quemadmodum ex aliis Auctoribus significavimus hic art. 1. n. 19. Hæc autem rationes omnino jam cessarunt, nec ulla superest ratio, propter quam etiamnum abhorrendum sit a jejunio in Sabbato. Contra vero, perseverat ratio potissima, (ut infra dicemus) propter quam Ecclesia Latina jejuniū suscepit in Sabbato, ad commemorandam videlicet Dominicam Mortem, & Sepulturam, propter quam ipsius Græci jejunant in Sabbato Sancto majoris hebdomadæ.

Causas servandi prædictum jejuniū, sive abstinentiam in omnibus Sabbatis, exponit Bellarminus I. cit. ubi hæc habet: *Sabbatum jejunamus, vel à carnis abstinenimus, ut longissime a Judaismo recedamus: Iudei siquidem non jejunant, sed epulantur in Sabbato. Deinde in memoriam bimillatris Domini, qui die Sabbati jacuit mortuus, & clausus in Sepulchro. Tum ut imitetur Apostolos, aliosque Discipulos Domini, qui cum ipsa Deipara, & Sanctis Mulieribus non solum Feria Sexta, sed etiam die Sabbati in luctu, & mæorre fuerunt. Denique ut ad celebritatem Dominicæ diei per hoc jejuniū prepareretur. Refert Augustinus in Epist. 86. aliam causam, quod videlicet S. Petrus cum Simone Mago decertatus die Dominicæ, pridie cum tota Ecclesia, quæ in Urbe erat, jejunauerit, & consequito tum prospero eventu, eumdem morem postea tenuerit. Sed hanc causam falsam esse. (inquit Augustinus) perhibent plerique Romanii. Hæc Bellarminus. Durandus item in Ration. lib. 6. c. 7. n. 12. significat, in Sabbato abstinentiam ser-*

servari in honorem Beatae Virginis; eo quod, inquit, in triduo post Passionem Domini filii sui, tota fides in ea sola remanserit. Libenter admittimus, in honorem Virginis abstinentiam hanc etiam fieri solitam, ut significat etiam Bellarminus verbis modo laudatis. Quemadmodum scimus jejunium perfectum quoque a plurimis custoditi eodem Sabbato in honorem ejusdem laudate Dei Genitricis; cuius quidem multum laudabilis consuetudinis, quamvis ignoretur initium, antiquissimam tamen esse constat; nam ejus exempla profert Cæsarius Heisterbackensis lib. 7. illustrissima miraculor. cap. 25. & 59. ac meminit Piazza Devot. vindic. part. 2. c. 15. n. 24. & 25. Scribebat autem laudatus Cæsarius anno 1222. Sed illud Durando non assentimur, quod ait, ideo in honorem B. Virginis prædictam abstinentiam in Sabbato custodiri, eo quod in Triduo Dominice Passionis tota fides in Virgine sola remanserit; quod assertum refutavimus sup. art. 5. n. 47. Vera itaque ratio esse potest illa, quam significat Bellarminus verbis supra laudatis, ob memoriam Doloris B. Virginis ex passione, et morte Christi filii sui.

Sed adjundam aliam rationem ex imitatione, & inatu Apostolorum, confirmat Innocentius I. Epist. 1. & alias 25. ad Decentium Episcopum Eugubinum c. 4. num. 7. ubi Secunda Fersa (inquit) propter Passionem Domini jejunamus: Sabbatum prætermisere non debemus, quod inter tristitiam, atque lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique constat, Apostolos biduo isto, & in morte suo, & propter metum Iudeo-

rum se occulisse. Quod utique non dubitum est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat.... Quæ utique formæ (jejunitati) per singulas tenenda est hebdomadas, propter id quod commentatoris diei illius semper est observanda. Ita laudatus Pontifex, & reseretur in C. Sabbato 13. diff. 3. de Consecr. Hanc etiam causam assignat Azorius loc. e. qu. 2.

Illa item ratio ejusdem abstinentie, ab eodem Bellarmino tradita, atque petita ex morte, & sepultura Domini, similiter confirmatur ex eodem laudato Innocentio; de eo enim legitur in lect. 2. noct. ejus Festi, quod probavit etiam, ut Sabbato, ob memoriam Christi Domini sepultura jejunium servaretur. Quæ utique ratio significatur verbis ejusdem laudati Sancti Pontificis paulo ante recitatis. Sedit autem Innocentius I. anno Domini 402. ut notat Baronius, & floruit Sancti Hieronymi, & Augustini ætate. Augustinus etiam Epist. 86. ad Casulanum prope finem, eamdem de jejunio Sabbati rationem assignat; de sua enim tunc ætate loquens ait: Romanam, & nonnullas Octidentis Ecclesias in Sabbato, propter humilitatem mortis Domini jejunare; que mihi videtur causa potissima: quam etiam assignat Isidorus hispal. Episc. l. 1. de Ecel. Offic. c. 42. ubi ait: quod Sabbati dies a plerisque, propter quod in eo Christus jacuit in Sepulchro, jejunio consecratus habetur; scilicet ne Iudeis exultandis præbeatur quod Christus sustulit moriendo. Ita Isidorus; quibus posterioribus verbis simul indicat rationem altam de hoc ipso jejunio, seu abstinentia Sabbati a Bellarmino assignatam priori

xi loco, nimirum ut longissime recessamus a Judaismo: iuxta quem festive & solemniter celebratur Sabbatum.

Ob hujusmodi itaque, & similes causas jam olim consuevit in Occidente Catholica Ecclesia in Sabbato jejunare, sive praedictam abstinentiam servare. Quam sanctam & laudabilem consuetudinem communiter non servant Hæretici, ut nimirum, quod antiquum ipsis est, firmumque propositum, Catholicæ adversentur Ecclesiæ. Utique non desiderant Christianæ Religionis participes esse; quicumque enim se Christianæ Religionis participem esse desiderat, ab eis carnum abstinere debet in Sabbato, ut S. Gregorium VII. superius admonentem audivimus; nisi infirmitas excusat, vel specialis habeatur dispensatio Pontifica, vel particularis aliqua localis extet consuetudo legitima. At vero hæretici nulla sibi hujusmodi excusatione favente, ab hac se ipsis abstinentia eximentes, magis student participes esse perfidiae veterum hæreticorum, Ariano rum videlicet, & Arianorum, qui ut Catholicæ Ecclesiæ adversarentur, quæ die Sabbati in Occidente jejunium servabat, Sabbato epulabantur splendide. Atque hic est luxus Sabbatarius, quem memorat Sidonius lib. 1. Epist. 2. describens Theodorici Ariani convivium, ut notat Raynaudus to. 15. par. 1. Sect. 3. pu. 3. de elect. Sandor. n. 28. fine. Utrum vero Catholicus, dum apud hujusmodi hæreticos versatur, possit comedere carnes in Sabbatis, mox examinabimus.

Quæst. I. An aliqua intervenient te principali Festivitate in Sabbato, liceat vesci carne? Etenim C. quia

dies; quem supra recitavimus num. 52. fine, permittuntur in Sabbatho carnes *majore Festivitate intervenientes*.

R. Quidquid in antiquo more jam fuerit, nunc vero, excepto Sabbatho, in quo occurrat Festivitas Natalis Domini, praxis universalis Fidelium & certa lex Ecclesiæ habet, ut in nullo Sabbatho, quacumque Festivitate interveniente, carnes edantur. Vide dicenda 1. 3. 25. Decembr. art. 1. Sect. 9. n. 106.

Qu. II. An possit vesci Carnibus. 60 Peregrinus, aut vagus, dura moratur in locis Catholicis, in quibus ex privilegio, aut legitima consuetudine, vesci liceat Carnibus in Sabbatho?

R. Affirmative. Vide dicenda tr. 2. lib. 2. par. 1. c. 2. q. 1.

Qu. III. Utrum aliquis Civis loci, 61 in quo Sabbatis licet vesci Carnibus, si veniat in locum, in quo non sit hujusmodi consuetudo, vel dispensatio, possit ibi uti privilegio, seu dispensatione sua Patriæ, seu illius loci, cuius est iacola?

R. Negative: est enim Privilegium vel consuetudo hujusmodi mere localis. Vide dicenda tr. 2. 1. cit. q. 2. Et nota hic; quod et si Græci, & Orientales Clerici, vel Laici inter Latinos commorantes, liceat obser vant Patrios mores, eo quod Ecclesia id permittat, ne cogantur novos addiscere mores, veteresque deponeat; quod esset durum, & difficile, cum sint plurimum diversi; ut notat Azor. Instit. Moral. part. 1. lib. 5. c. 18. qu. 13. & videri etiam possunt dicenda qu. 7. Nihilominus ipsis etiam Græci tenentur abstinere a carnis in Sabbatho, si inter Latinos commorantur, extra suam

suam ipsorum græcam Parochiam . Quia etsi licite juxta ritum suum vescantur carnis in Sabbato , at tamen id ipsis ab Ecclesia non permittitur , nisi ubi sine scandalo fieri potest , in locis tamen ipsorum , & inter eos tantum : recole dicta superius num. 54.

- 62 Qu. IV. An Catholicus dum moratur in locis hæreticorum , qui vescantur carnis in Sabbato , possit & ipse illis vesci ?

R. Cum hæretici illud non faciant ex privilegio aliquo & permissione Ecclesiæ Catholicae ; quinimmo in contemptum ejusdem Ecclesiæ , ut supra animadvertisimus : hinc sequitur , non licere Catholico vesci carnis in Sabbato in locis hæreticis . Vide dicta in Feria sexta art. 1. n. 38. ubi tamen limitationem quamdam doctrinæ huic adjecimus .

- 63 Qu. V. An habens rationes probabiles , mediæ noctis signum nondum fuisse datum , & probabiles jam datum fuisse , propter diversitatem horologiorum ; possit manducare carnes tempore noctis , appropinquante Dominica ?

R. Pro responsione V. dicta sup. 1. 1. c. 1. n. 82. §. dico 4.

- 64 Qu. VI. Quandonam primum incipiat fidelibus obligatio abstinenti a carne in Sabbato : & utrum in Sabbato sit obligatio simul abstinenti ab ovis , & lacticiniis ?

R. His & aliis Quæstionibus similem habentibus rationem cum simili abstinentia Feria sextæ , satisfecimus c. 6. de Fer. 6. art. 1. ubi de hujusmodi egimus abstinentia .

- 65 Qu. VII. Quoniam superius hic dictum est : Græcos etiam nunc ex parte retinere Majorum suorum momrem , qui in Sabbato a carnis non

TOM. I.

abstinebant ; quæres : utrum Græci , & Orientales Clerici , juxta ritus Ecclesiæ Græce viventes , minime teneantur Canonis Latinorum Constitutionibus ?

R. Jure Canonico communi , quo Ecclesiæ Latinorum utuntur , multi Canones antiqui continentur , quos ediderunt generalia Concilia , eo tempore , quo Græci , & Orientales Clerici nondum erant a Latinis separati , ac disjuncti ; & hujusmodi Canonibus tum Græci , tum Latini tenentur per se ; nam ex accidenti fieri potest , ut Græci , & Orientales soluti sint , quoniam apud ipsos usu , & consuetudine multi Canones sunt vel ex parte abrogati ; cum tamen eos Latini adhuc more , & usu retineant .

Ultra hujusmodi constitutiones vero non tenentur , nisi vel expressa Pontificis Romani voluntas , vel usus , & consuetudo interpretetur , ad ipsos etiam dirigi . Profecto licet Græci , & Orientales jure divino subjecti sint Romani Pontificis potestati , ut supremo Christi Vicario , unde in eos quoque jus dicendi , & constitutiones , ac præcepta dandi potestatem omnem , & auctoritatem habet ; nihilominus eo jure , & potestate non semper utitur , nec ad eos leges ferre creditur ; ita Azor. Instit. Moral. part. 1. l. 5. c. 11. qu. 7. Et vero satis constat , apud Græcos , & Orientales multa esse vel usu recepta , vel etiam jure antiquo communi introducta longe contraria his , quæ apud Latinos jure , vel usu antiquo servantur . An autem Græci græco etiam ritu viventes possint licite , & laudabiliter servare jejunia , & abstinentias Ecclesiæ Latinae , & omittere sua ;

X x at-

atque adeo a carnis abstinere, non Feria quarta more Græcorum, sed Sabbato juxta consuetudinem Latinorum? Vide Benedicti XIV. Constit. incip. *Etsi Pastoralis* 57. to. 1. Bull. sui §. 9. n. 7.

ARTICULUS VIII.

De Quibusdam Superstitionibus.

Qu. I. An sit Superstitio, seu vana observantia, si aliqua M⁶⁶iercula nolit in Sabbatho nere, quia

putat, secus sibi malum aliquod eventurum.

R. Affirmative. La-Croix lib. 3. part. 1. qu. 5. §. num. 29. Tamburinus in decal. lib. 2. c. 6. §. 1. num. 27. An autem sit mortalis, vel venialis? Vide Tamburinum loc. cit.

Qu. II. An sit Superstitio, veniam aperire die Sabbati, eo quod credatur ratione hujus diei id. certo profuturum valetudini?

R. Affirmative. V. Tambur. loc. cit. num. 28.

F I N I S T O M I P R I M I.

ELEN-

E L E N C H U S

Librorum , Partium , Capitum , Articulorum , Sectionum , Subsectionum , Paragraphorum , Questionum .

T O M I P R I M I

DIARII LITURGICO-THEOLOGICO-MORALIS.

TRACTATUS PRIMUS

Dividitur in Libros III. quibus
præfigitur

Dræfatio Auctoris . Pag. 1
Proœmium de partibus , & Compu-
tatione Anni Civilis . pag. 5

L I B E R I .

Notanda quotidie in genere .

CAP. I. De Ratione computandi ho-
ras Diei . pag. 11

Art. I. Quæst. I. Quid sit Dies , & un-
denam principium sumat , habeatque fi-
nem ? ibid.

Sect. Unica . De variis modis compu-
tandi , & denominandi Horas Diei natu-
ralis . pag. 19

Subsect. I. De ratione computandi Ho-
ras Diei naturalis ab hora dimidia post
Solis occasum , usque ad horam dimidiæ
post alterum ejusdem occasum . ibid.

Subsect. II. De ratione computandi Ho-
ras Diei naturalis a media nocte ad me-
ridiem , & a meridie ad medium no-
ctem . pag. 20

Subsect. III. De ratione computandi Ho-
ras Diei naturalis ab ortu ad occasum ,
& ab occasu ad ortum Solis . pag. 21

S. Unic. Quomodo in Sacris obseruen-
tur aliquæ Horæ Diei ? pag. 25

Art. II. Quæst. II. In Regionibus Se-
ptentrionalibus prope Polum , in qui-
bus per sex menses habetur perpetuus
Dies , seu lux ; & per alios sex perpe-
tua nox : nempe ab uno Æquinoctio ad
alterum : quomodo computandus , seu ac-
commendandus sit Dies naturalis , & di-

stinguenda diversa ejus tempora , in or-
dine ad præcepta Ecclesiastica : e. g. pro
initio jejunii naturalis ad sacram Com-
munionem requisiti ; pro hora celebrandi
Missam ec. ? pag. 27

Art. III. Quæst. III. In ordine ad ser-
vanda præcepta Ecclesiastica temporis af-
fixa Diei , quandonam putandum sit ,
adesse tale determinatum tempus : puta
mediam noctem , meridiem , horam no-
nam ec. ? ibid.

Art. IV. Quæst. IV. Quomodo digno-
scendum sit , adesse Auroram , sive ejus
initium : cum in illius ascensu ponat Ec-
clesia tempus , pro initio celebrandi Mi-
ssas : sicut in Meridie finis est celebra-
ndi ? pag. 30

Art. V. Quæst. V. Ubi nullum adsit
horologium , quomodo dignosci debeat ,
adesse tale determinatum tempus Diei ,
puta mediæ noctem , meridiem , ho-
ram nonam ec. ? pag. 31

Art. VI. Quæst. VI. Si Lex præcipiat
aliquid pro certo tempore , aut connotet
determinatum tempus , utrum hoc intel-
ligi debeat præter propter : seu circiter
plus minusve ? pag. 32

Art. VII. Quæst. VII. Si Horologium de-
signet horam per plures pulsus , quando-
nam putandum sit adesse horam , in pri-
mo pulsu , an in ultimo ? pag. 34

Art. VIII. Quæst. VIII. Utrum , ubi
nullum adsit horologium , admitti possit
latitudo moralis in assignatione puncti
fixi mediæ noctis , meridie ec. ? pag. 35

Art. IX. Quæst. IX. Utrum in omni-
bus præceptis Ecclesiæ , tempus conno-
tantibus , attendendum sit explicato mo-
do punctum , & momentum practicum ,
& Ecclesiasticum ita ; ut graviter in o-
mnibus , & quibuslibet delinquatur , si

X x 2 quid

448 Elenchus Librorum, Partium, Capitum, &c.

quid etiam parum prorogetur, aut diminuatur tempus præscriptum a lege?
pag. 36.

Sect. I. An admittat parvam quantitatem dies, vel hora, qua completur ætas requisita ad Ordines? pag. 37

Sect. II. An admittat parvam quantitatem dies, vel hora, qua completur ætas requisita ad Matrimonium? pag. 38

Sect. III. An admittat parvam quantitatem dies, vel hora, qua completur tempus Novitiatus, & ætas requisita ad Professionem Religiosam? pag. 39

Sect. IV. An admittat parvam quantitatem hora diei, qua incipit, & desinit obligatio abstinendi a carnis, ovis, & lacticiniis? ibid.

Sect. V. An admittat parvam quantitatem hora diei, qua incipit, & desinit obligatio jejunandi? pag. 40

Sect. VI. An admittat parvam quantitatem dies, vel hora, qua completur ætas sufficiens ad obligationem jejunii? pag. 41.

Sect. VII. An admittat parvam quantitatem dies, vel hora, qua completur ætas sufficiens ad obligationem abstinencie, carne a Ovis, & lacticiniis? pag. 43

Sect. VIII. An admittat parvam quantitatem hora refectionis in die jejunii? pag. 45

Sect. IX. An admittat parvam quantitatem hora, qua incipit obligare jejunium naturale ad Sacram Communio- nem requisitum? pag. 50

Sect. X. An admittat parvam quantitatem tempus infra quod potest celebrari Missa? pag. 52

Sect. XI. An admittat parvam quantitatem tempus præfixum recitationi Officii Divini? pag. 61

Subsect. I. Quibus horis recitandum sit Officium per partes? pag. 62

Subsect. II. An, & sub qua culpa recitandum sit Officium horis præfixis? pag. 64.

Interrogat. I. Utrum, qui non possit recitare horam aliquam Canonicam tempore illi præfixo, ac debito, juxta prædictam distributionem, teneatur illam recitare præponendo, vel postponendo, & etiam simul omnes mox post medium noctem, si prævideat, fore ut tota fere

die impediatur? Vel contra, paulò ante medium noctem, si tota ferè die fuerit impeditus?

pag. 65

Interrogat. II. Recitando partes Officii aliis horis ab iis, in quibus ex primæva institutione videntur præscriptæ fuisse recitari, quomodo verificari possint multæ, quæ in iis afferuntur? e. g. in Matutino privatim præcedenti Vespere recitato aliquando dicitur: *Nocte surgentes vigilamus omnes*: & tamen necdum venit hora ipsa nocturna cubandi. Item saepius dicitur in hymno Laudum: quodd Aurora jam ascendet, & Sol prope sit ad ortum; cum tamen Sol prope sit ad occasum; & non Aurora ascendet, sed tenebrae fieri incipiunt: Item ad Primam dicitur: *Jam lucis orto sidere*: id est orto jam sole; cum tamen Sol nondum ortus fuerit; & recitetur Prima, ut quidem dicitur recitari posse, etiam ante ortum Solis. Et sic de aliis Officii partibus. pag. 69.

Interrogat. III. An is, qui hodie ordinatur in Sacris; vel emittit Professionem Religiosam; vel accipit pacificam Beneficii possessionem, teneatur hoc ipso die ad horas canonicas recitandas. pag. 70

Interrogat. IV. An sine causa possit Matutinum privatim pridie recitari? ibid.

Subsect. III. Qua hora pridie possit privatim inchoari Matutinum; ita ut satisfiat præcepto?

pag. 71

Subsect. IV. An aliquando sit obligatio, recitandi Matutinum pridie? pag. 79

Subsect. V. An in tempore præfixo recitationi totius Officii, ut est onus affixum diei, detur parvitas quantitatis? pag. 85.

Art. X. Quæst. X. Si non adsit nisi unicum horologium, & ignoret quis, an sit bene directum: utrum possit juxta illud dirigere se? Idem queritur, si sint plura horologia inter se discordantia, & ignoretur, quodnam eorum sit bene directum? An possit quis, juxta quodlibet se dirigere?

pag. 87

CAP. II. De celebratione Missæ quotidiana.

pag. 91

Quæst. I. Utrum omnibus, & singulis Sacerdotibus liceat celebrare quotidie?

ibid.

Quæst. II. Utrum omnibus, & singulis

Iis Sacerdotibus sit obligatio celebrandi singulis diebus? pag. 91

Quæst. III. Utrum sit consultius, & laudabilius, singulos Sacerdotes celebrare quotidie? pag. 92

Quæst. IV. Utrum Parochus teneatur celebrare quotidie? pag. 94

Quæst. V. Utrum uni eidemque Sacerdoti liceat plus quam semel in die Missam celebrare? pag. 95

Quæst. VI. Utrum in Mundo, seu in Ecclesia Christi debeat diebus singulis Missæ Sacrificium offerri? pag. 96

Interrogat. I. An sit obligatio gravis celebrandi quotidie Missam in Cathedralibus, & Collegiatis? pag. 102

Interrog. II. An sit obligatio gravis in iisdem Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, celebrandi quotidie Missam Conventualem? pag. 103

Interrog. III. Cum in feriis privilegiatis habentibus Missam propriam, occurrente festo, cantandæ sint duæ Missæ Conventuales: an utraque sub gravi; ità ut graviter peccetur, si alterutra omittatur? pag. 104

Interrog. IV. Utrum in prædictis Ecclesiis sit obligatio, celebrandi quotidie Missam Conventualem pro Defunctis? ibidem.

Interrog. V. An sufficiat in supradictis Ecclesiis unicam Missam celebrari quotidie, nimis solam Missam Conventualem? pag. 105

Interrog. VI. Utrum in Ecclesiis Regularium celebrari quotidie debeat Missæ Sacrificium? ibid.

Interrog. VII. Utrum celebrantes Missam Conventualem, applicare illam possint ad eam intentionem, quam maluerint, & recipere stipendium; vel debeant applicare pro obligatione Capituli, seu pro Benefactoribus in genere? pag. 107

Interrog. VIII. Qua hora diei celebrari debeant Missæ solemnes, seu Conventuales; & an ea sit sub præcepto servanda? pag. 109

Quæst. VII. An qui obligatur celebrare quotidie ex institutione Missæ quotidianæ, teneatur per alium supplere, si infirmitur ita; ut celebrare non valeat; quod si non suppleat, obligetur ad restitutionem? pag. 110

Interrogat. I. Quomodo cognosci possit, in institutione Missæ habitam fuisse principaliter rationem Missæ; vel contra: principaliter rationem Personæ electæ ad celebrandum Missam quotidianam? ibid.

Interrog. II. Quodnam reputandum erit breve tempus sufficiens ad excusandum in prædicto casu a substitutione, vel restituzione? pag. 111

Postul. I. Si Capellaniæ plures sint, & tot Religiösi Sacerdotes infirmentur, ut cæteri, qui remaneant, non sufficiant ad supplendum pro infirmis, seu pro implendis omnibus Capellanis, seu Legatis Missarum: numquid in hoc casu debet Superior Monasterii supplere per alios Sacerdotes extraneos? pag. 113

Postul. II. In eo casu, quo conceditur Regularibus ad breve tempus infirmis, ut impleant, & celebrent per alios Socios Sacerdotes ejusdem Monasterii eas Missas, quas poterunt ex variis oneribus, seu Legatis Missarum ex diversis Personis, seu Fundatoribus; & eas Missas, ad quas celebrandas non sufficiant, omittant: quænam Missæ in casu proposito, aliœ simili omitti debeant: si non sit major ratio, cur potius omittantur Missæ debitæ ex hac intentione, quænam quæ debentur ex illa alia? pag. 114

Postul. III. Quid: si omnes Sacerdotes Monasterii infirmentur, aut deficiant: num in hoc alio casu tenetur Superior, supplere per Sacerdotes extraneos. pag. 115

Quæst. VIII. Utrum Capellanus, seu qui obligatur quotidie celebrare per seipsum, possit simili privilegio frui a celebratione Missæ vacandi, si eidem occurrat aliquod negotium grave; ità ut in hoc etiam casu possit ad explicatum breve tempus à sacrificando vacare, absque eo quod teneatur ad restitutionem? pag. 116

Quæst. IX. An, qui obligatur ex institutione Missæ quotidianæ, Missam quotidie celebrare, nihilominus possit aliquando a celebratione vacare, absque eo quod teneatur, per alium supplere, aut compensare? ibid.

Interrog. I. Ex quanam causa uti possit prædicta facultate vacandi ab oblatione Sacrificii Missæ obligatus cæteroqui celebrare quotidie per se ipsum? pag. 120

Interrog. II. Obligatus quotidie celebra

re

re per seipsum, quoties possit ratione honestatis omittere Sacrificium, abique eo quod teneatur supplere per alium? pag. 121.

Interrog. III. Stando in illa sententia, quæ facit facultatem, vacandi semel per hebdomadam: an facultas hujusmodi concedatur tantum obligato, ad celebrandum per annum integrum; vel extendatur quoque ad eum, qui obligetur puta per mensem, vel etiam per hebdomadam integrum; ita ut possit & hic, vacare semel a Sacrificio in ea hebdomada, qua obligetur, celebrare per seipsum? pag. 122.

Interrog. IV. An die, qua liceret vacare à sacrificando pro Fundatore Missæ quotidianæ, posset celebrari ad intentionem alterius, & ex accepto stipendio? ibidem.

Interrog. V. An Capellani, qui certis diebus sacrificare ratione sui muneric debent, nisi id præstiterint, jure mulctentur? seu parte stipendi annualis priventur pro rata Missarum omissarum? pag. 123

Quæst. X. An obligatus celebrare quotidie ex institutione Missæ quotidianæ, teneatur celebrare tres Missas in Nativitate Domini? pag. 126

Quæst. XI. Utrum sinihilominus celebret prædicto die Missas tres, teneatur, pro Fundatore singulas applicare? ibid.

Quæst. XII. An obligatus celebrare quotidie pro aliquo Fundatore, possit nihilominus in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum applicare Missam pro aliquo alio particulari Defuncto: aut debeat applicare in communione pro omnibus Defunctis? ibid.

Quæst. XIII. Utrum obtainens Capellaniam, de cuius fundatione nullo modo constet: cum nulla reperiatur Scriptura: sed solum constet, ipsum Capellanum teneri, quotidie celebrare in tali Ecclesia, vel in tali Altari; teneatur, Missæ valorem applicare pro fundatore Capellaniæ? ibid.

Quæst. XIV. Utrum obligatus ex institutione Missæ quotidianæ celebrare per seipsum quotidie pro Fundatore Capellaniæ, nihilominus possit aliquando offere Sacrificium pro se ipso, vel etiam pro aliquo alio? pag. 127

Interrog. I. An id concedatur pro necessitate propria *quacumque*, & alio *quoilibet*? ibid.

Interrog. II. Prædictus Sacerdos obligatus ad celebrandum per seipsum quotidie ex institutione Missæ quotidianæ, quoties possit celebrare pro seipso, aut suis? pag. 128.

Interrog. III. In præsenti casu, in quo conceditur Sacerdoti prædicto, celebrare pro aliis: utrum possit recipere stipendum ab his aliis, pro quibus applicat Sacrificium? ibid.

Quæst. XV. An Sacerdos obligatus quotidie celebrare in tali Ecclesia, vel Altari, si sine necessitate quidem, sed raro celebret alibi, possit excusari à mortali? ibid.

Interrog. Quoties omitti possit locus designatus pro celebratione, ad excusandum a mortali, aut etiam veniali. pag. 129

Quæst. XVI. Quænam Missa quotidie legi debeat. pag. 130

CAP. III. De Communione Quotidiana. pag. 136

Quæst. I. An sit prohibita Communio quotidiana? ibid.

Quæst. II. An sit culpabile, communicare quotidie sine directione, consilio, & approbatione proprii Superioris, seu Confessarii? pag. 140

Quæst. III. Quibus personis concedi possit Communio quotidiana? pag. 141

Quæst. IV. An possit negari facultas, communicandi quotidie, iis, qui cæteroqui judicentur, hujuscemodi frequentia digni? pag. 143

Quæst. V. Utrum Parochus teneatur ex iustitia, administrare quotidie Communionem Parochiano suo volenti quotidie communicare: qui cæteroqui habeat requisita, & sufficientia, ad hujusmodi frequentiam Communionis. ibid.

Quæst. VI. An Confessarius teneatur, quotidie audire proprium pœnitentem pro confessione, quotidie volentem communicare, & volentem præmittere quotidie Confessionem, aliquan non communicaturum, vel ob teneritudinem conscientię, vel ob aliam rationabilem causam? pag. 144.

Quæst. VII. An habens facultatem, & approbationem sui Confessarii commun-

municandi quotidie, possit etiam communicare Feria VI. in Parasceve? in qua tamen non videmus solere ministri populo Communionem; & idem quæri posset de Sabbato Sancto. pag. 145

CAP. IV. De Indulgentiis pluribus quotidianis. pag. 148

§. I. Indulgientiæ pro Rosario, & Coronis. ibid.

§. II. Indulgientiæ pro Litaniis. pag. 149

§. III. Indulgientiæ pro salutatione fraternali per invocationem, & laudem: aut etiam pro simplici invocatione SS. Nominiis Jefu, & Marizæ. pag. 150

§. IV. Indulgientiæ pro Salutatione B. Virginis. ibid.

§. V. Indulgientiæ concessæ comitantibus SS. Viaticum. ibid.

§. VI. Indulgientiæ pro docentibus Doctrinam Christianam. pag. 151

§. VII. Indulgientiæ pro Regularibus. pag. 152.

CAP. V. De Salutatione Angelica, quæ quotidie recitatur ad pulsum campanæ in honorem B. M. V. & ad Incarnationis Dominicæ Mysterium recolendum. pag. 153

Quæst. I. Quare hujusmodii Angelica Salutatio in honorem B. V. recitetur: atque Incarnati in Deipara Verbi Divini Mysterium recolatur diebus singulis sub Vesperum, aut etiam in Aurora, & Meridie? Et quænam ejusdem devotissimæ consuetudinis fuerit Auctor. pag. 155

Quæst. II. An hujusmodi consuetudo obligationem inducat; ita ut peccet saltem venialiter, qui Salutationem Angelicam tempore, ac modo prædicto minimè recitet? Videtur enim hæc consuetudo tam generalis esse, ut hanc saltem obligationem inducat. pag. 160

Quæst. III. An aliqua Indulgencia forfæste concessa sit recitantibus modo explicato hujusmodi Salutationem Angelicam temporibus prædictis? pag. 161

Quæst. IV. An tempore Interdicti possit publicè recitari prædicta Salutatio B. Virginis? & an possit darsi signum, ut solet campanarum sono Vespere, mane, & meridie? pag. 164

Quæst. V. An excommunicati vitandi, cuiusmodi sunt notiorius Clerici percussor, & quivis nominatim excommunicatus, & specialiter, ac publice denun-

tatiatus: possint orare, seu hujusmodi Salutationem Angelicam cum aliis recitare, quando datur commune signum ad recitationem illius?

CAP. VI. De oratione pro Defunctis nocturna ad pulsum campanæ. pag. 165

Quæst. An sit peccatum, hujusmodi orationem pro Defunctis omittere? De ea enim, videtur, adesse universalis consuetudo pag. 166

CAP. VII. De Benedictione mensæ, gratiarum actione, & lectione ad mensam. pag. 168

Quæst. I. Utrum benedicendi mensam, & gratias agendi post illam, sit per se aliqua obligatio, sub pena peccati, si omittatur?

Quæst. II. Utrum omnino oporteat, hujusmodi benedictio, & gratiarum actio certa quadam formula, & expressis verbis, seu vocaliter fieri?

Quæst. III. An tempore Interdicti possit benedicendi mensa?

Quæst. IV. Quare benedicendi sint cibi, & gratiæ Deo agendæ post cibum?

Quæst. V. Utrum decibis benedicendi hujusmodi benedictione mensæ, præser-tim si adhibetur formula ab Ecclesia proposita; habendus sit aliquis respectus religiosus, tamquam de rebus sacris: unde non possit de his cibis dari bestiis, nec reliquæ projici in loca fœdida, & im-munda?

Quæst. VI. Quinam fuerit Auctor formulæ in Romano Breviario traditæ, tum benedicendi mensam? tum gratias agendi post illam?

Quæst. VII. Quare, quando femel comeditur, seu quando unica habetur in die refectio plena: nimirum in diebus jejuniorum, adhibetur ad benedicendam mensam ea formula, qua sero benedicitur cœna, ex Rubr. Brev.?

Quæst. VIII. Cum formula benedicendi cœnæ attribuenda nunc sit prandio in diebus jejuniij; quænam formula adhiberi debet ad benedicendam mensam in iisdem diebus in collatione serotina?

Quæst. IX. An mensa debeat benedicendi a Sacerdote?

Quæst. X. Quænam cæremoniæ, seu quinam Ritus debeat adhiberi in mensa bene-

benedicenda, & gratiis agendis post resectionem? pag. 184

Quæst. XI. An sit aliqua obligatio, ut in mensa legatur aliquis liber pius, & de rebus spiritualibus agens: quod quidem fieri consuevit apud Regulares; & undenam introducta fuerit hujusmodi lectio? pag. 185

CAP. VIII. De Lampade, quæ nocturno tempore collucere debet in Andronibus, seu Dormitoris Regularium. pag. 188

Quæst. I. Posito, quod Decretum Pontificium, ut in medio Dormitorii totam noctem Lampas colludeat; non dirigatur solis Superioribus Ordinis Servitarum. sed quibuslibet Superioribus cujuscumque Religionis: an quilibet Superior, qui Decretum hujusmodi non observet, peccet? ibidem.

Quæst. II. An Superior, qui Decreti prædicti negligat obseruantiam, incurrat aliquam poenam? pag. 189

Quæst. III. Utrum, ad incurrendas illas poenas, sufficiat semel, aut iterum non accendisse Lampadem dicto tempore, & loco? pag. 191

Quæst. IV. An hujusmodi Lampas collucere debeat in omnibus, & singulis Dormitoris, si Domus Regularis plura habeat Dormitoria? ibid.

Quæst. V. An peccetur, si Lampas non collocetur in Dormitorii *medio*, sed in aliqua alia ipsius parte: puta in capite Dormitorii? Dicitur enim in Pontificalia Bulla: ut in *medio* Dormitorii lampas colludeat. ibid.

Quæst. VI. Ex suppositione quod poena privationis Officii &c. Latet sicut pro transgressione præsentis Decreti: an Superior incurrat poenas prædictas, si eo in inicio, alter extinguat Lampadem? pag. 192

Quæst. VII. Ex suppositione, quod poena privationis Officii Superior incurrat, si negligat obseruantiam prædicti Decreti: an Subditi teneantur, obedire Superiori, qui ex culpa non curavit accendi Lampadem noctis tempore? Ea enim poena incurritur ipso facto. ibid.

Quæst. VIII. An hujusmodi Constitutio afficiat etiam Moniales? ibid.

LIBER II.

Notanda in Hebdomada.

PARS I. Not. in Hebdomada in genere. Pag. 193

CAP. I. De Missis Votivis hebdomaticis in Missali Rom. descriptis. ibid.

CAP. II. De Officiis Votivis particularibus hebdomaticis. pag. 195

Sect. I. De Horis Canonicas. ibid.

Sect. II. De Missa. pag. 199

PARS II. Not. in Hebdomada singulis signatim Diebus. pag. 202

CAP. I. Not. in *Dominica*. pag. 204

Articul. I. De Dominica quo ad se. ibidem.

Quæst. I. Utrum Dominica sit prima, vel ultima dies hebdomadæ? ibid.

Quæst. II. Cur prima dies hebdomadæ Dominica nuncupetur? pag. 206

Quæst. III. Cur Dominica ut festiva servetur, & Divino cultui specialiter dicetur? pag. 208

Quæst. IV. An præceptum Dominicæ sit de jure Divino? pag. 211

Interrogat. I. Quare observantia Dominicæ ab Ecclesia non possit moraliter mutari, nequidem quod ad determinationem talis diei; ita ut ea non posset in aliam hebdomadæ Feriam commutari: cum lex vetus de observantia Sabbati mutata sit quod ad hanc determinationem, etiamsi ab ipso Deo immediate fuerit lata; cur ergo non magis poterit hæc determinatione mutari, si ab Apostolis facta sit? pag. 214

Interrogat. II. An dies Dominica per ipsum vigintiquatuor horarum spatium Divino cultui ita dedicanda semper sit, ut numquam possit, prædictum etiam spatium temporis minui per determinationem Ecclesiæ: præcipiendo e. g. solam Missæ auditionem; vel dimidium diei celebrare ut festivum? ibid.

Interrog. III. An, si quis diebus Dominicis Missam non audiat, justa de causa excusatus, teneatur supplere: hoc est, adhuc Deum colere aliqua prece, saltem mentali: seu aliquo speciali cultu, saltem interno? pag. 215

Qui. V.

Quæst. V. Cum tam solemnis, ac sancta sit Dominica dies: an sit prohibitus ideo in ea actus conjugalis? ibid.

Quæst. VI. De numero Dominicarum occurrentium intra annum. pag. 216

Artic. II. De Horis Canonicas. ibid.

Artic. III. De Aqua benedicta. p. 219

Sect. I. De Benedictione Aquæ. ibid. Quæst. I. Qualis obligatio sit benedicendi Aquam singulis Dominicis? pag. 221

Quæst. II. An, & qualiter peccaret, qui in Templo exponeret Aquam non benedictam, pro benedicta? ibid.

Quæst. III. Utrum, si Aquæ benedictæ misceatur Aqua non benedicta, hæc evadat etiam benedicta? ibid.

Quæst. IV. Utrum unica benedictione possint benedici plures fontes, seu Vasa Aquæ inter se distantia? ibid.

Quæst. V. An Sacerdos benedicens Aquam cum conscientia peccati mortalis, peccet mortaliter? pag. 222

Sect. II. De Aspersione solemnii Aquæ benedictæ in Dominicis. ibid.

Quæst. I. Utrum, ad consequendos effectus Aspersionis Aquæ benedictæ, requiratur ejusdem contactus physicus, vel sufficiat moralis? pag. 226

Quæst. II. Utrum excommunicati vintandi: cujusmodi sunt notiorius Clerici percussor, & quivis nominatim excommunicatus, & specialiter, ac publice denunciatus, possint uti Aqua benedicta? pag. 227.

Sect. III. De usibus, & effectibus Aquæ benedictæ; ubi attingitur aliquid de Sacramentalibus. ibid.

Quæst. Utrum Aqua benedicta possit adhiberi ad usus communes, & profanos, puta ad miscendum vinum pro potu; ad extinguendam fumum? pag. 230

Artic. IV. De Missa. ibid.

Artic. V. De renovatione Ciborii, seu sacrae Pyxidis. pag. 236

Artic. VI. De collatione Ordinum. pag. 237.

Artic. VII. De Ritu orandi in Dominicis erecto corpore. pag. 238

Quæst. I. An præter Dominicam, in aliis quoque diebus Festis solemnioribus debeamus Ritum servare prædictum standi ad orationem: puta ad Antiphonam finalem in horis Canonicas, & ad ora-

Tom. I.

tionem, seu Salutationem Angelicam ad pulsum campanæ? pag. 240

Quæst. II. An cæremonia orandi stando, seu erecto corpore, obliget sub precato in iis saltem precibus, in quibus haec tenus consuevit servari, aut quando Rubricæ præscribunt? pag. 241

Quæst. III. An Psalmus *De profundis*, qui quotidie recitari solet pro Defunctis, ad pulsum Campanæ, post noctis initium: debeat recitari flexis genibus etiam in primis Vesperis Dominicæ? pag. 243

Art. VIII. De Indulgentiis. ibid.

Art. IX. De Jejunio. pag. 244

Quæst. I. An liceat in Dominicis jejunare? ibid.

Quæst. II. Si quis studio quadam singularitatis die Dominicis jejunaret; aut jejunaret die Dominicis sola, & non aliis diebus; vel jejunaret ordinarie diebus Dominicis, esset peccatum superstitionis leve, an grave? pag. 252

Quæst. III. An sit validum Votum jejunandi ordinari diebus Dominicis? ibid.

Quæst. IV. Si quis voverit, jejunare quotannis in Vigilia, seu die præcedente festivitatem alicujus Sancti: si illa dies jejunio destinata ex prædicta devotione privata incidat in Dominicam: potestne anticipare jejunium in Sabbato? p. 253

Quæst. V. Si quis vovisset jejunium unius anni, aut mensis, an teneretur jejunare in Dominicis intra annum, aut mensem occurrentibus? pag. 256

Quæst. VI. In prædicto casu excusatus a jejunio in Dominicis: an tamen teneatur servare abstinentiam a carnis? p. 258

Quæst. VII. An peccet contra votum comedendo ova, & lacticinia in Dominicis Quadragesimæ, qui in illa jejunat ex Voto? Item an qui jejunat ex Voto in Dominicis extra Quadragesimam, teneatur abstinere ab ovis, & lacticiniis in locis, ubi non est consuetudo, abstinen- di ab his in jejunis? Et magis esse pos- test difficultas de locis, ubi in omnibus jejunis abstinentia prædicta servatur. Denique an qui habet Bullam Cruciatæ, aut simile privilegium comedendi ova, & lacticinia, possit comedere ea in Dominicis, etiam intra Quadragesimam, si teneatur jejunare ex voto? pag. 260

Quæst. VIII. An possit comedere car-

Y y nes

nes in Dominicis occurrentibus in Adventu, qui vovit celebrare Adventum, pro ut communiter celebrant Monachi, seu multæ familiae Regularium? p. 262
 Quæst. IX. An, qui vovit, per annum, aut mensem abstinere a carne, vel lacticiniis, possit excipere Dominicas occurrentes, sicut potest excipere, qui per idem tempus vovit jejuniū? p. 263

Quæst. X. An, qui vovit, jejunare triginta diebus, & sic se expressit in voto; possit excipere a suo jejunio Dominicas occurrentes? ibid.

CAP. II. Not. in Feria II. pag. 265

Art. I. De Missa Defunctorum, & Votiva SS. Trinitatis. ibid.

Art. II. De Indulgentiis. pag. 266

Sect. Un. De Indulgentia pro Corona D. N. J. C. ibid.

Artic. III. De quædam superstitione. ib.

Quæst. Sunt, qui nolint die Lunæ dare mutuo, eo quod credant, non ita facile reddendum; quæritur: an hi sint ideo de superstitione damnandi? ibid.

CAP. III. Not. in Fer. III. pag. 267

Artic. I. De Missa Votiva Sanctorum Angelorum. ibid.

Artic. II. De quibusdam superstitionibus. ibid.

Quæst. An sit superstitione, seu vana observantia, si quis nolit, iter arripere die Martis, ne in Milites, aut latrones incidat; vel si nolit aliquod opus incipere, ne malum eveniat? ibid.

CAP. IV. Not. in Feria IV. pag. 269

Artic. I. De Missa Votiva SS. Apostolorum Petri, & Pauli. ibid.

Art. II. De jejunio, & abstinentia a carnibus. pag. 270

Artic. III. De Indulgentiis. pag. 271

Sect. Un. De Indulgentia pro Corona D. N. J. C. ibid.

CAP. V. Not. in Feria V. pag. 272

Artic. I. De Missis Votivis Spiritus Sancti, & SS. Sacramenti. ibid.

Artic. II. De Officio Votivo hebdomatico SS. Sacramenti. pag. 273

Sect. I. De Horis Canoniciis. ibid.

Quæst. I. A quibusdam Officium Votivum hebdomaticum SS. Sacramenti possit iste singulis Feriis V. recitari? ibid.

Quæst. II. Quinam sint dies impediti, seu in quibus non liceat recitare hujus-

modi Officium Votivum SS. Sacramenti? pag. 274.

Quæst. III. De Ritu, & ordine recitandi hoc Officium Votivum SS. Corporis Christi. pag. 275

Sect. II. De Missa. pag. 277

Quæst. I. Utrum in Missa hujus officii Votivi hebdomatici SS. Sacramenti possit dici Sequentia: *Lauda Sion?* p. 278

Quæst. II. Utrum sint prohibite Missæ de Requiem, & Votivæ, quando recitatur Officium Votivum SS. Sacramenti: quemadmodum præfatae Missæ interdictæ sunt infra Octavam Corporis Christi? pag. 279

Quæst. III. Si, quando recitatur Officium hebdomaticum SS. Sacramenti, legatur alia Missa Votiva, non habens Præfationem propriam: utrum dicenda sit Præfatio de Nativitate, quæ dicenda foret, si legeretur Missa de SS. Sacramento? ibid.

Artic. III. De pia commemoratione Institutionis SS. Eucharistæ sub noctem Feriæ V. pag. 280

CAP. VI. Not. in Feria VI. pag. 281

Artic. I. De abstinentia a carne. ibid.

Quæst. I. Quid veniat nomine carnis Ecclesiastico præcepto prohibite? p. 283

Interrog. I. Si forte appareat Animal nobis incognitum, & incidat dubitatio, an sit caro prohibita, nec ne? quomodo solvenda sit quæstio? pag. 283

Interrog. II. Utrum Animalis carni partes omnes prohibite sint, quando carnes interdicuntur? ibid.

Interrog. III. An jus ex carnibus prohibitis sit caro? pag. 286

Interrog. IV. An Ova, quæ intra Gallinas inveniuntur, sint caro? ibid.

Interrog. V. An laridum, axungia, & quæcumque pinguedo Animalis carnei, nondum vi ignis liquefacta, sit caro? pag. 287.

Interrog. VI. An sagimen sit caro? pag. 288.

Interrog. VII. An sanguis Animalis carni sit caro: aut inter lacticinia, sive inter ea, quæ fermentatio carnis trahunt originem, computandus? pag. 291

Quæst. II. An præceptum abstinentie a carne admittat parvitatem materiæ? pag. 293.

Qu.

Quæst. III. An in Feria VI. sint prohibita ova, & lacticinia, quæ originem trahunt ex carne? pag. 295

Quæst. IV. An qualibet Feria Sexta, quacumque Festivitate occurrente maneat obligatio abstinendi a carne? ibid.

Quæst. V. Qua hora diei incipiat, & desinat obligare præceptum abstinentiae a carne, &c.? ibid.

Quæst. VI. An habens rationes probabiles, mediz noctis signum nondum datum fuisse: & adhuc probabiles jam datum: propter diversitatem horologiorum communiter etiam recte ordinatorum: possit manducare carnes tempore noctis supervenientis ad diem Jovis contra diem Veneris? ibid.

Quæst. VII. Quos obliget hoc præceptum abstinentiae a carne, & ovis, & lacticiniis? pag. 296

Interrog. Utrum licet viro Catholico vesci carnibus in Feria Sexta, aliisque similibus diebus, in quibus prohibentur carnes, si commoretur in locis haereticorum, qui hujusmodi abstinentiam præscriptis ab Ecclesia Catholica diebus minime servent? ibid.

Quæst. VIII. Quandonam Fideles incipiunt primum teneri ad abstinentiam a carne, ovis, & lacticiniis in diebus vetiti? pag. 297

Interrog. I. Utrum pueri teneantur incipere, abstinere a carne illo ipso die, quo complevit septennum; ac statim post punctum completæ ætatis? pag. 301

Interrog. II. Utrum possit comedere carnes die 24. Februarii incidente in Feriam Sextam in anno bissextili, qui ortus est die 24. eiusdem mensis septimo ab ea anno? ibid.

Interrog. III. Si dubitetur: utrum puer compleverit septennium? Potestne illi ministrari caro? pag. 302.

Interrog. IV. Si dubitetur: an puer compleverit septennium? Potestne ei ministrari caro? pag. 303

Interrog. V. Si quis puer obligatus abstinere, comedat carnes die vetito: eo quod ignoret, esse e. g. Feriam Sextam: an sit obligatio monendi eum? ibid.

Quæst. IX. Utrum sit certa aliqua ætas, ad quam ubi Fideles pervenerint, excus-

sunt a præcepto abstinendi a carnibus? ibidem.

Quæst. X. An teneantur abstinere a carne &c. Fatui, seu amentes? p. 305

Quæst. XI. An occurrentibus in Feria VI. aliis similibus obligationibus abstinendi a carne ex præcepto Ecclesiæ: putatione Quatuor temporum, Vigilæ, & temporis Quadragesimalis, tot peccata committat in hoc casu, qui carnes comedat, quot sunt obligationes diversæ in unum concurrentes diem? Idem queritur de Sabbato. ibid.

Interrog. Quid: si motivum formale sit diversum: puta si teneatur ex Voto ob motivum Religionis; ex præcepto Superioris; ex pœnitentia Sacramentali: tot ne distincta peccata erunt, quot sunt motiva intrinseca diversa, & omnia in confessione aperienda? pag. 306

Quæst. XII. An toties peccetur mortaliter, quoties comedantur carnes in die vetito? pag. 307

Quæst. XIII. An, qui potest comedere carnes in die vetito, possit eas pluries in die comedere? pag. 308

Quæst. XIV. An dispensatus ad unum genus carnium: v. g. ad Gallinas: possit quaslibet carnes comedere, etiam nocivas: puta, porcinas? ibid.

Interrog. Quid: si propter valetudinem dispensatum esset in genere ad carnes? ibid.

Quæst. XV. Quis possit dispensare ad edendas carnes; & ex quanam caula? ib.

Quæst. XVI. An peccet, qui die Veneris, vel alio vetito cogitans carnes, delebet earum esu, cognoscendo volunti non prohibitum? ibid.

Quæst. XVII. Si quis ex ignorantia invincibili comederit carnes in Feria Sexta, si postquam adverterit, approbat illum actum, vel de eo delebetur: an peccet mortaliter? pag. 309

Quæst. XVIII. Si quis die Veneris vel alio simili vetito vellet carnes comedere, si non esset vetitum: an peccet? ib.

Artic. II. De Missis Votivis Passionis, & Crucis. ibid.

Artic. III. Not. pro Officio Sanctæ Mariæ in Sabbato. pag. 310

Artic. IV. De Indulgentiis. ibid.

§. I. Indulgentia concessa orantibus &

Y y 2 reco-

356 Elenchus Librorum, Partium, Capitum, &c.

recolentibus memoriam Dominicæ Passionis, & Mortis qualibet Feria VI. ad pulsum campanæ. ibid.

f. II. Indulgentia pro Corona Domini N. J. C. pag. 311

Artic. V. De quadam superstitione. ib.

Quæst. An sit superstitione, seu vana observantia, si quis Feria VI. nolit ungues præscindere, quia malum aliquod sibi ideo eventurum, putet? ibid.

CAP. VII. Not. in Sabbato. pag. 312

Artic. I. De Sabbato quo ad se. ibid.

Quæst. I. Quid sit Sabbatum? ibid.

Quæst. II. Quare in lege nova, seu a Christianis non servetur ut Festivum Sabbathum, quemadmodum in lege veteri? p. 313

Quæst. III. An saltem possit coli Sabbathum, & observari ut Festivum, qua Sabbathum est: et si non ex obligatione, sed ex mera devotione particulari: nec in significationem alicujus mysterii Christi tamquam venturi? pag. 320

Quæst. IV. Cur Sabbathum, seu dies ultima Septimanæ non fuerit appellata Feria Septima: quemadmodum dies Veneris dicitur Feria Sexta: dies Jovis Feria Quinta &c.? pag. 323

Artic. II. Not. pro Antiphona B. V. in fine Officii, & pro Officio ejusdem Beatae Mariæ in Sabbato. pag. 324

Artic. III. De Missa. pag. 325

Artic. IV. De Officio Votivo hebdomatico Conceptionis B. M. V. pag. 328

Sect. I. De Horis Canoniceis. ibid.

Quæst. I. A quibusnam Officium Votivum Conceptionis B. V. possit in singulis Sabbatis recitari, & sub quoniam ritu? ib.

Quæst. II. Quænam sint Sabbathæ impeditæ, seu in quibus recitare non liceat prædictum Officium Votivum Conceptionis? ib.

Quæst. III. De ordine recitandi hoc Officium Votivum Conceptionis? ibid.

Sect. II. De Missa. pag. 329

Art. V. De origine, & causa Dedicationis Sabbathi ad specialem cultum B. M. V. p. 334

Art. VI. Not. pro Salutatione Angelica ad pulsum campanæ; & oratione nocturna pro Defunctis. pag. 338

Art. VII. De abstinentia a carne. ibid.

Quæst. I. An aliqua interveniente principali festivitate in Sabbato, liceat vesci carne? pag. 344

Quæst. II. An possit vesci carnibus peregrinus, aut vagus, dum moratur in locis Catholicis, in quibus vesci liceat carnibus in Sabbato? ibid.

Quæst. III. Utrum, si aliquis Civis loci, in quo Sabbatis licet vesci carnibus, veniat in locum, in quo non sit hujusmodi consuetudo, vel dispensatio, possit ibi uti privilegio, seu dispensatione suæ Patriæ, seu illius loci, cuius est incola? ibid.

Quæst. IV. An Catholicus, dum moratur in locis hereticorum, qui vescantur carnibus in Sabbato, possit & ipse illis vesci? pag. 345

Quæst. V. An habens rationes probabiles, medie noctis signum nondum fuisse datum; & probabiles, jam datum fuisse: propter diversitatem horologiorum; possit manducare carnes tempore noctis supervenientis ad diem Sabbati contra diem Dominicæ? ibid.

Quæst. VI. Quandonam primum incipiat Fidelibus obligatio, abstinendi a carne in Sabbato? Et utrum in Sabbato sit obligatio, simul abstinendi ab ovis, & lacticiniis? ibid.

Quæst. VII. Quoniam superius hic dictum est; Græcos etiam nunc ex patte retinere Majorum suorum morem; qui in Sabbato a carnibus non abstinebant: quutrum Græci, & Orientales Clerici, juxta Ritus Ecclesiæ Græcæ viventes minime teneantur Canoniceis Latinorum Constitutionibus? ibid.

Artic. VIII. De quibusdam Superstitiobus? pag. 346

Quæst. I. An sit Superstitione, seu Vana observantia, si aliqua muliercula nolit in Sabbato nere, quia secus putat malum sibi aliquod eventurum? ibid.

Quæst. II. Au sit superstitione venam aperire die Sabbati, eo quod credatur ratione hujus diei id certo profuturum valetudini? ibid.

Finis Elenchi Lib. I. & Lib. II. Tractatus Primi Diarii L.T. M.

INDEX

I N D E X

Rerum Notabilium quæ continentur in Tomo Primo.

A

Abstinencia

ABTINENTIA a Carnibus licita est in Dominica etiam ex usu Ecclesiæ lib. 2. p. 2. c. 1. n. 93. & 95. Olim servata in Fer. 4. ibid. c. 4. n. 3. Est de præcepto Fer. VI. & Sabbato. ibi. c. 6. a n. 1. & c. 7. a n. 52. Excipe cum in illis occurrat Nativitas Domini ibi. n. 34. An sit servanda a catholico in locis Hæreticorum. ibi. n. 38. Ejus obligatio incipit a puncto completæ etatis requisitatæ. lib. 1. c. 1. n. 39. s. Ex eo. Non obligat pueros ante septennium. h. 2. p. 2. c. 6. n. 40. & seqq.

Aera

AERA Vulgaris errorem habet proem. n. 7. s. Annorum vero. Sed non attendendum ibi. s. Si cui.

Ætas

ÆTAS computanda a punto Nativitatis l. 1. c. 1. n. 31. Requisita ad Ordines non admittit parvitatem materiæ; item ad Matrimonium, Novitiatum, & Professionem religiosam. ibi. n. 30. 32. & 33. Requisita ad obligationem abstinentiæ, & Jejunii ibi. n. 37. & 38.

Altare

ALTARE privilegiatum quotidianum conceditur Ecclesiis Parochialibus ad septennium. l. 1. c. 2. n. 50. f. Altaris deputatio in Missa cum rigore servanda. ibi. n. 49. & seq.

Amentes

An excusati ab abstinentia carnium, & aliis præceptis l. 2. p. 2. c. 6. n. 5.

Angeli

ANGELOrum Missa Votiva in Fer. 3. l. 2. par. 2. c. 3. n. 1.

Angelica Salutatio

ANGELICA Salutatio ter in die fieri solita. l. 1. c. 5. n. 1. Ejus usus antiquissimus ibi a n. 6. Cur instituta. ibi. a n. 6. Quinam ejus Auctor. ibi. a n. 13. An illam recitandi sit aliqua obligatio. ibi. n. 15. Quænam Indulgentiæ illi adnectantur. ibi. a n. 16. Tempore Paschali facienda per Antiph. *Regina Cœli* &c., &

quid de ignorantibus prædict. Antiph. ibi. n. 16. Recitanda flexis genibus præter tempus Paschale. ibi. Hæ Indulg. non suspenduntur per Jubileum An. Sancti. ibi. nu. 20. Regulares legitime impediti possunt illam recitare extra horam consuetam n. 22. Ejus signum per Campanas dari potest etiam tempore Interdicti n. 24. Non censetur Oratio publica interdicta Excommunicatis vitandis n. 25.

Animalia

Unde dignoscenda, quod sint ex prohibitis in diebus abstinentiæ Carnium. l. 2. p. 2. c. 6. n. 6.

Annus

Intercalaris seu Bissexturnus unde dictus proem. n. 1. A quonam inductus? ibi. n. 2. Quando omittendus ibi. s. Quoniam. Quomodo dignoscatur? ibi. n. 4. Ad complementum anni ordinarii in civili usu non sunt exspectandæ horæ, quæ superfluunt. ibi. n. 5.

Anni ad Ordines requisiti computandi sunt civiliter. ibi. n. 6.

Annorum Epochæ cur denominetur a Nativitate, Incarnatione &c. ibi. nu. 7. Quando & a quonam talis computatio investit. ibi. s. A quo.

Anni Data quomodo intelligenda in Resignationibus ibi. n. 8.

Aqua Benedicta

Est triplicis speciei l. 2. par. 2. c. 1. n. 32. Est ex institutione Apostolica ibi. s. Ritus. Proprie benedicenda in Dominica ibi. s. Ex Concilio. Misereri potest cum extraneo liquore in modica quantitate ad fragrantiam. ibi. n. 32. s. *Aqua benedicenda*. Suppleri potest per admixtionem aquæ non benedicæ in modica quantitate. ibi. n. 36. Parochus peccat, notabili tempore omittens exponere Aquam benedictam in ingressu Ecclesiæ ibi. n. 34. s. Major. Aspersio solemnis facienda in Dominica ibi. nu. 39. Utrum sit necessarius contactus physicus, ad consequendos effectus per illam intentos? ibi. n. 44. Effectus multiplices n. 46. Est ex Sacramentalibus ibi. n. 47. An & quale peccatum sit, illam adhibere ad usus prophanos n. 49.

Auro.

Aurora

Pro celebratione Missæ quomodo atten-denda *l. 1. c. 1. n. 25.* *l. 47. s. Aurora nomine.* Quomodo sit servanda in lo-cis, ubi non est physice Aurora. *n. 47. s. Ubi.* Pro varietate temporum & re-gionum varia est. *ibi.*

B*Beatificatio*

In quonam differat a Canonizatione *l. 1. c. 2. n. 53. s. Canonizatio.*

Beatus

Beatorum Nomina ex speciali conces-sione describuntur in Martyrologio. *l. 1. c. 2. n. 53. s. Canonizatio.* Non de om-nibus, nec ab omnibus dici potest Offi-cium, si quando de illis fuerit conces-sum. *ibi.*

Benedictio

Mensæ præscribitur *l. 1. c. 7. n. 1.* Est ex usu antiquissimo tum Veteris tum No-yi Testamenti. *ibi l. 2. n. 2.* Vix omitti potest sine aliqua culpa veniali. *ibi n. 4.* Non prohibetur tempore Interdicti etiam si fuerit publicæ Mensæ *ibi num. 6.* Cur facienda? *ibi n. 9.* Boni effectus in-tenti ex illa. *n. 10. & seq.* Cibi ex Men-sa benedicta non censemur sacri. *n. 16.* Beadictio est triplicis generis *n. 17.*

Bissexus V. Annus.

C*Calendarium*

Ejas Correctio Gregoriana *l. 1. prosm. n. 2.* Non ubique recepta *ibi n. 3.*

Canonici

Tententur ad assistentiam Missæ Con-ventualis sicut ad Officium. *l. 1. c. 2. n. 21. s. Eadem obligatione.*

Canonizatio

In quonam differat a Beatificatione *l. 1. c. 2. n. 53. s. Canonizatio.* Canoniza-torum Nomina proprie describuntur in Martyrologio *ibi.* De quibusnam fieri posse Officium *ibi. l. 2. n. 42.*

Capellanus

An teneatur Supplere Missas ex infir-mitate omissas? *V. Sacerdos.* In die Com-mem. Omn. Fid. Defunct. tenetur appli-care pro fondatore. *l. 1. c. 2. n. 42.* An

possit aliquoties celebrare pro se. *ibi n. 44.* An pro alio ex stipendio *n. 47.* Ad Ecclesiam vel Altare obbligatus, an pos-sit alibi celebrare *n. 49.* *l. 50.* Capella-ni in Ecclesiis Monialium, habentium peculiare Breviarium, legant Missas ex Mis-sali Romano *l. 1. c. 2. n. 53. s. Capel-lanos.*

Carnes

Quales censendæ sint prohibitæ? *l. 2. p. 2. c. 6. a nu. 3.* Carnis humanæ com-eßio gravius peccatum. *ibi n. 4.*

Cathedrales

Ecclesiæ, & Collegiatæ tententur quo-die celebrare saltem unam Missam *l. 1. c. 2. n. 11.* Tententur etiam ad cele-brationem Missæ Conventualis. *ibi. nu. 12. s. Interim.*

Ciborium

Quoties renovandum. *l. 2. p. 1. c. 1. n. 58.*

*Cibus. V. Benedictio.**Communio*

Quotidiana licita est etiam Laicis *l. 1. c. 3. n. 1.* Est ex se perfectior *n. 2.* Non expedit Tepidis *n. 3.* Quibusnam con-cenda? *a n. 3. l. 9. n. 9.* Non est facien-da sine Confilio Confessarii. *ibi num. 8.* Non potest limitari ad certos dies ab E-piscopo post Decretum Innoc. XI. *ibi n. 1.* Ultra dies statutos ex Constitutioni-bus propriis non est concedenda Moniali-bus a directoribus, sed a Confessario Or-di-nario. *ibi n. 8. s. Nota bic.* Concio-natores peccant mortaliter, si absolute re-prehendant usum Communionis quotidiana-æ. *ibi.* Quotidiana Communio non po-test denegari dignis, nisi ex aliqua ra-tionabili causa. *ibi n. 12. l. 13.*

Consuetudo

Non præscribit, reclamante Legisla-to-re. *l. 2. p. 2. c. 6. nu. 38.* Unde digno-scatur an sit graviter obligans. *ibi num. 32. s. Consuetudinem.*

Conventualis

Missa non omittenda *l. 1. c. 2. n. 12. s. in Ecclesiis.* Consuetudo illam omit-tendi, quando sit cantata Votiva ex fun-datione, non est toleranda. *ibi.* Ad eam tententur Cathedrales & Collegiatæ *ibi n. 12. s. in Ecclesiis, l. 9. n. 15.* An Par-ochiales & Conventuales? *ibi s. Praefatam.* An semper debet esse conformis Of-

Officio? ibi num. 13. Quando dicenda sit duplex? ibi f. Cum autem. Quanam cause excusent? ibi. n. 15. f. pro exemplo. Quando celebrari possit Missa de Requiem pro Conventuali ibi. Cui fit applicanda? n. 21. Quanam hora celebranda. num. 22.

Corona

Quæ dicitur D.N.J.C. habet Indulgencias pro recitantibus. l. 1. c. 4. n. 1. & l. 2. p. 2. c. 2. n. 4. & c. 4. nu. 6. & c. 6. n. 73. Septem dolorum B.M.V. habet Indulg. l. 1. c. 4. nu. 2. V. Rosarium. Coronæ quæ dicuntur S. Birgittæ quasnam habeant Indulg. l. 1. c. 4. n. 4.

Crepusculum

Luminosum quamdiu durat l. 1. c. 1. n. 12. & 20. f. dixi Communiter. Crepuscula notanda pro lucrando Indulg. ibi. n. 7.

D*Data*

Diei & Anni in Resignationibus Videndum an sit ab Incarnatione, an a Nativitate? l. 1. preem. n. 8.

Decreta

S. C. R. non omnia inveniuntur in Regestis, & quando haec cœpta fieri. l. 2. p. 2. c. 1. n. 41. f.

Defundorum.

Missa quando dicenda pro Conventuali l. 2. p. 2. c. 4. n. 1. Eorum Suffragium per Ps. *Deprofundis* institutum a Gregorio XIII. l. 1. c. 6. n. 1. Indulgencie illi adnexæ. ibi. Recitandum semper flexis genibus. ibi n. 2. f. Quarti. Si recitandum ex fundatione post Horas Canonicas, in diebus solemnioribus recitatur privatim, & sine canto. ibi n. 4.

Pf. Deprofundis

Recitatur flexis genibus etiam in Dominica & tempore Paschali l. 2. p. 2. c. 1. n. 70. V. sup. *Defundorum* &c.

Dies

Dies duplum habet acceptiōem. lib. 1. c. 1. n. 1. Dies Vulgaris seu Usualis ibi. In odiosis quomodo intelligendus? ibi. f. *Nibilominus*. Quomodo in favorabilibus? ibi. Dies Naturalis quinam? ibi. n. 2. & 4.

Dies quandoque computatus per Horas

inæquales. lib. 1. c. 1. n. 3. & nu. 15. Tripliciter computatur ibi. nu. 5. Quot modis computatur ab Ecclesia. ibi a f. *Hujusmodi*. Dies statutus pro obligatione denunciationis faciendæ Inquisitoribus dei, quomodo computandus? ibi. n. 10.

Dies usualis in quatuor partes dividebatur apud Judæos ibi. n. 16.

Dies pro Jejanio quomodo computatur. ibi. n. 5. f. diem & n. 36. Destinatus recitationi Matutini computatur etiam a Vesperis diei præcedentis usque ad Medium noctem diei sequentis. ibi. num. 73.

Dominica

Cur dicatur interdum Prima, interdum Septima & Octava dies hebdomadæ. l. 2. p. 2. c. 1. n. 2. f. Nota 2. item nu. 5. Vocatur dies Solis. ibi. n. 6. f. Nota Cur divino cultui dedicata? a n. 7. An sit de Jure divino? a n. 11. Quot Mysteria in Dominica sunt peracta? nu. 9. In Dominica non dicuntur duæ Missæ Conventuales. ibi nu. 50. Non dicuntur Missæ Votivæ & de Requiem privatae; secus solemnes & præsente Cadavere, dummodo non sit Dominica privilegiata n. 52. Res gravis pro qua licitum sit celebrare solemniter Votivam in Dominica, non est reputanda receptio ad habitum & professionem Religiosam, neque electio Abbatissæ, etiamsi cantanda esset ab Episcopo. ibi nu. 52. Infra Octavam alicujus Sancti celebrari non potest Votiva de eo solemniter in Dominica, etiam ex prætextu processionis ad ejus Ecclesiam. n. 52. f. Dominica est dedicata in Honorem SS. Trinitatis n. 55. In Dominica oratio fit stando. n. 63. Olim etiam in magnis Festivitatibus ibi. & nu. 66. Cur & a quibus instituta hujusmodi cæremonia. ibi & n. 64. Hic ritus an sub præcepto & pro omni oratione? nu. 65. f. Nota 2. & Nota 3. & nu. 67. Cum quanto rigore olim servandus. n. 69. At liceat Jejunium in Dominica? V. Jejunium. Abstinencia &c.

Doctrina

Doctrinam Christianam Docentes lustrantur Indulgencias. l. 1. c. 4. n. 13.

Ec-

E

Ecclesia quomodo computet diem . V.
Dies.

Ecclesiæ præcepta tempori addicta . V.
Tempus : Hora . Non obbligant pueros
ante usum rationis . l. 2. p. 2. c. 6. n. 41.
Non omnia obligare incipiunt eodem tem-
pore . ibi. n. 42. Datur casus quo obli-
gent ante septennium . ibi. n. 47.

Eucharistiæ SS. Sacramentum Comitan-
tes , dum defertur processionaliter , gau-
dent immunitate Ecclesiastica . l. 1. c. 4.
n. 12. V. Communio.

F

Famuli

Catholici Latini in dominibus Græcorum
non gaudent privilegio vescendi carnibus
in Sabbato . l. 2. c. 7. n. 54.

Feria

Eius Nomen & Usus unde in Ecclesia
l. 2. p. 2. proem. Feria prima quandoque
dicta Dominica . l. 2. par. 2. c. 1. n. 2.

Festa

Quando incipiunt & absolvuntur ? l. 1.
c. 1. n. 5. s. diem itaque ibi n. 8. s. Ig-
tur.

Fides

Falso dicitur remansisse in sola Virgi-
ne in triduo Mortis Domini . l. 2. p. 2.
c. 7. n. 47.

G

Genus etere, signum est meritis . l. 2.
p. 2. c. 1. n. 64. s. denique .

Gratia

Deo agendæ post Mensam . l. 1. c. 7.
n. 13. ibi seqq.

Graci Catholicæ

Habent privilegium vescendi Carnibus
in Sabbato cum additis limitationibus .
l. 1. p. 2. c. 7. n. 54.

H

Hebdomatica Officia V. Votivum

Horæ interdum inæquales computaban-
tur in die . l. 1. c. 1. n. 3. ibi 15.

Horæ diei varie computantur pro va-
rio regionum usu . ibi. a n. 11.

Horæ Canonice . V. Officium divinum .
Hora Prima, Tertia &c. quomodo com-
putatæ apud Judæos . l. 1. c. 1. nu. 16.
Quando ex se recitandæ , & cur ita di-
ctæ . l. 1. c. 1. n. 18.

Quomodo distinguendæ in regionibus po-
laribus . ibi. n. 19. Communiter standum
est horologiis bene regulatis . ibi. n. 20.
An valeant Horologia solaria ? ibi. s. Non
solum ibi s. cum dictum.

Hora Tertia , qua dicitur Marc. 15. 25.
Crucifixus Dominus , cohæret cum Hora
sexta , quam ponunt Joannes , & Lucas.
l. 1. c. 1. n. 16. s. Ex notitia .

Horarum varia computatio notanda ad
conciliandas varias Scriptorum locutio-
nes . ibi. n. 16. ibi 17.

Hora an putanda sit adesse in primo
an in ultimo pulsu horologii . l. 1. c. 1.
n. 26. An ante vel post lusum campan-
narum , qui interdum sit in horologiis .
ibi.

Hora refectionis in Jejunio quænam
& an admittat pavitatem quantitatis . l.
1. c. 1. a n. 41. Potest prorogari . ibi. n. 44.

Horæ præstitutæ præceptis Ecclesiasticis
sumendæ ad momentum ; politice tamen,
& ad normam Calendariorum . l. 1. c. 1.
art. 9. per tot. ibi a. 6. n. 25. ibi n. 47.
s. docet . ibi n. 45. s. In bac re.

Horologia

Horologiorum levis discrepantia quænam
putanda l. 1. c. 1. n. 82. Quomodo , si ea
datur , servanda præcepta Ecclesiastica tem-
pori affixa . ibi. ibi s. sequ. dico 4. Horo-
logia bene regulata non relinquunt pru-
dentem probabilitatem aliis indiciis quo-
ad observantiam præceptorum . l. 1. c. 1.
n. 20. s. Non solam . Horologium si desit ,
unde cognoscendæ horæ pro observantia
præceptorum . ibi. n. 27.

I

Jejunium

Jejunii dies quomodo computetur . l. 1.
c. 1. n. 5. s. diem . An admittat parvi-
tatem materiæ in tempore . ibi. n. 36. Ad
obliget pro ipso die , in quo completer
Ætas ad illud requisita ? ibi. n. 37. In die-
bus Jejunii præfixa est hora meridianæ
refectionis , quæ tamen prorogari potest .
ibi. n. 34. Jejunium non sit in Domini-
ca ,

ca. l. 2. p. 2. c. 1. a n. 72. Licitum tamen est seclusa superstitione aliqua, aut contemptu Ecclesie. ibi. n. 74. & 81. Cur Jejunium in Dominica olim graviter prohibutum ibi. n. 75. & seqq. Praxis de eo SS. PP. n. 79. & 80. Votum Jejunandi in Dominica irritum est. n. 82. Jejunium incidens in Dominicam etiam ex voto anticipatur in Sabbato n. 83. & seqq. In voto Jejunandi per annum, aut mensem non includitur Dominica. ibid. n. 90. Jejunium olim servari solitum Fer. 4. lib. 2. p. 2. c. 4. n. 3. atque etiam in Sabbato. v. ibi.

Jejunium naturale ad sumptionem Eucharistiae requisitum cum quanto rigore servandum. l. 1. c. 1. n. 45. & 46.

Indulgencie

Pro recitantibus Coronam Domini. l. 2. p. 2. n. 4. & c. 4. n. 60. & c. 6. n. 73. & l. 1. c. 4. n. 1. Pro recolentibus Passionem Domini in Fer. VI. l. 2. p. 2. c. 6. n. 71. Pro Corona septem Dolorum B. V. l. 1. c. 4. n. 2. Pro tertia parte Rosarii. ibi. n. 3. Pro Corona S. Birgittae. ibi. n. 4. Pro Litaniis SS. Nominis Jesu n. 5. & M. V. n. 6. Pro Invocatione SS. Nominis Jesu & Mariæ n. 7. Pro intervenientibus ad cantum Antiph. *Salve Regina* in Eccl. Carmelit. n. 10. Pro Sociantibus SS. Vaticum. n. 13. V. *Angelica salutatio*. Ps. *Deprofundis*. *Doctrina Christiana*. Dies destinata lucrandis Indulgentiis quomodo computanda. l. 1. c. 1. n. 6. & 7.

K

Kalendarium. V. Calendarium.

L

Laetificia

Obligatio abstinendi ab ipsis incipit a puncto completæ etatis ad eam requisitæ. l. 2. c. 1. n. 39. f. Ex eo. Non sunt prohibita in Feria VI. & Sabbato extra concursum Jejunii. l. 2. p. 2. c. 6. nu. 32. &c. V. ibi.

Lampas

Lucere debet nocturno tempore in dormitorii Regularium. l. 1. c. 8. &c. ibi. per totum.

Tom. I.

Latitude

Temporis in executione præceptorum quandam locum habet l. 1. c. 1. n. 27

Letio

Ad Mensam præscribitur. l. 1. c. 7. n. 31. Quisnam ejus Author ibi. &c.

Lex

Ordinaria non obligat ad diligentias extraordinarias. l. 1. c. 1. n. 38.

Litanie

SS. Nominis Jesu & M. V. habent annexas Indulgencias. l. 1. c. 4. n. 5.

Lucernarium

Officium quale dictum? l. 1. c. 1. n. 8. f. Igitur.

Luxus

Sabbatarius quinam dictus? l. 2. p. 2. c. 7. n. 18. f.

M

Mariæ V.

Cultus cur præcipue in Sabbato V. Sabbatum.

Matutinum

Matutinum & Laudes dicebant Veteres Nocturnum, & Matutinum. lib. 1. c. 1. n. 18. f. Illas adhuc. Quanam hora recitandum. ibi. n. 9. 62. & 65. Consuetudo recitandi Matutinum media nocte a Clero Seculari dimitti potest. ibi. n. 56. f. dixi. f. An teneatur anticipare in Vespere, qui prævidet impedimentum pro crastina die. ibi. a n. 72. Matutini recitatio quomodo olim divisa per noctem. ibi. n. 73. f. Quod autem, & nu. 18. f. Illas.

Media Nox

Pro abstinentia a carnis, & jejunio quomodo attendenda? l. 1. c. 1. a n. 34.

Mensa benedicenda. V. Benedictione

Missa.

Quo tempore celebranda? l. 1. c. 1. n. 47. Cur luce facta, & usque ad Meridiem celebranda? ibi. Tempus celebrationi Missæ præfixum obligat sub gravi ibi. f. Pre-diçam. Quomodo præfigendum tempus celebrandæ Missæ in locis, ubi non est Aurora? ibi. f. Ubi. Ex concessione Benedicti XIII. licet omnibus Sacerdotibus celebrare tertia parte horæ ante Auroram. ibi. f. Verum nota. An tale tempus admittat parvitatem materiarum, & quam-

Z z

nam?

nam? *ibi.* n. 48. & 49. & 50. Privilegium celebrandi una hora ante Auroram intelligitur includendo ipsam tertiam partem horæ jam a Benedicto XIII. concessam omnibus. *n.* 52. *s.* Sed interrogabis Non licet celebrare Missam una hora post Meridiem ex prætextu suffragandi Animabus Purgatorii. *n.* 51. Secluso Privilégio, non licet ante Medium Noctem etiam ex parva quantitate, celebrare Missam in Nocte Nativitatis Domini. *n.* 54. Missa ex privilegio celebrata ante Medium Noctem in Nativitate Domini valeat ad satisfaciendum præcepto. *n.* 73. *s.* Probatur 2.

Missa Quotidiana

Non est ex Jure Communi ab omnibus Sacerdotibus celebranda. *l.* 1. *c.* 2. *s.* 2. Sed est laudabilius, et si Sacerdos sit minus perfectus. *ibi.* n. 1. & 4. Sacerdos laudabiliter abstinet a Sacrificio per aliquam diem, ex reverentia; præcisa extrinseca obligatione. *ibi.* n. 5. Celebratio quotidiana non est præcipienda ex regula ipsius regularibus. *ibi.* & *n.* 6. Neque ipsi Parochi, ex se, tenentur celebrare quotidie, *n.* 7. Sed obligari possunt ad celebrandum ultra dies festivos. *ibi.* *s.* Nonandum tamen

In Ecclesia Christi debet quotidie Sacrificium offerri. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 10. Utrum tale præceptum urgeat particulares Ecclesiæ. *ibi.* a *n.* 11.

Missa Unica

Ab uno Sacerdote in uno die celebranda. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 8. Olim licebat plures in die Missas celebrare uni Sacerdoti. *ibi.* *s.* Idcirco Missionariis & Parochis duarum Parochiarum ex legitima causa dispensatur *n.* 9. *s.* Duxi etiam Secundam Missam celebrare non licet, ne in casu quidem Eucharistiae ministrandæ proxime morituro. *ibi.* *s.* Nota demum.

Missa Conventualis V. Conventualis.

Missa solemnis, & Cantata differunt. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 12. *s.* Denique.

Missa Omisso

Quatenus supplenda si non celebretur ex infirmitate, V. Sacerdos.

Missa Qualis dicenda?

Secundum ordinem Officii. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 51. Celebrans in aliena Ecclesia debet se conformare illi tum in Missa, tum in

colore paramentorum, si ibi sit festum solemne. *ibi.* n. 52. Si non sit solemnitas, potest facere de Sancto proprio, dummodo respondeat color paramentorum; non quam enim licet facere de Confessore cum colore rubro. *ibi.* Qui facit de duplice, non potest legere Missam de Requiem in Ecclesia, ubi fiat de Semiduplici, extra casum solemnum Exequiarum. *ibi.* *n.* 53. Sacerdotes extericelebrantes in Ecclesiis Regularium in die, quo sit festum cum solemnitate, tenentur se conformare in Missa, etiam quoad *Credo*, & numerum Orationum. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 52. & *l.* 2. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 53. Missæ propriæ concessæ ut recitandæ a talibus personis, puta regularibus; non possunt legi ab aliis, etiam in die solemnitatis & in ipsorum Ecclesiis. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 53. *s.* Animadversendum. Sed legenda est ut in Missali Romano aut propria, aut de Comuni *ibi.* *s.* Si autem. In Ecclesiis Monialium Capellani faciant de festis apud ipsas occurrentibus, sed ex Missali Romano. *ibi.* *s.* Capellanos.

Missa B. M. V.

Assumptionis, Nativitatis, Purificationis &c. non possunt legi tanquam Votivæ per annum. *l.* 2. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 40. Missa tamen Conceptionis legi potest in Sabbato, cum sit Officium de ipsa. *ibi.* *n.* 38. & seqq.

Missa Votiva. V. Votiva

Missa Defunctorum quando dici possit *l.* 2. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 1.

N

Nox quomodo intelligenda in odiosis, & favorabilibus. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 1. a *s.* Nilominus.

Nox media. V. Media Nox.

Nox dividebatur in quatuor Vigilias. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 15.

In regionibus circa polos quomodo distinguatur. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 19.

O*Officium*

Divinum qualis habeat diei computationem *l.* 1. *c.* 1. *n.* 5. *s.* Diem & *n.* 8. An habeat quoad tempus præfixum reci-

recitationi parvitatem materiæ? ibi num. 55. Tempus duplex considerandum sub præcepto quoad recitationem Officii divisioni. ibi. Cur dictum *Hora Canonice* ibi. Quibus Horis recitandæ singulæ ejus Partes. ibi n. 56. Partes Officii divini cur distinctis Horis recitandæ? ibi s. Prædictæ. Quænam horarum distributio in privata recitatione servanda? ibi s. Pro recitatione. Horarum distributio non obligat sub gravi. ibi num. 57. obligat tamen sub veniali. ibi s. dicendum est 4. Causa tamen excusat etiam a veniali. ibi s. dicendum 2. Causæ anticipandi facile contingunt. ibi s. Verum. Qui prævidet impedimentum tenetur anticipare. ibi n. 58. & n. 73.

In recitatione anticipata vel postposita Horarum Canonic. quomodo verificantur nonnullæ locutiones tali determinatio tempori addictæ. num. 59. Quænam Horas tenetur recitare qui Ordinatur in Sacris, aut emitit professionem Religiosam; aut Beneficio Ecclesiastico potitur. n. 60. Matutinum privatum recitari potest pridie ex consuetudine, etiam sine causa peculiariter urgente. n. 61. & 68. s. Verum. Tempus recitandi Matutinum pridie, probabilius est, cum Sol est propinquior Occasui, quam transacto Meridiei. num. 62. & 67. Quid de sententia stante pro Hora secunda post meridiem? ibi a s. Altera sententia, & num. 63. Privilegium anticipandi Officium quomodo intelligendum? ibi num. 71.

Per unam Officii recitationem non potest satisfieri duplice præcepto pro præsenti & pro crastino. ibi s. denique.

Officium esse onus affixum diei, quomodo intelligatur respectu Matutini. l. r. c. 1. n. 75. Officium obligare a media nocte ad medianam noctem, quomodo intelligendum respectu Matutini. ibi. num. 76. V. Votivum.

Officium. B. M. V.

Unde originem habeat. l. 2. p. 2. c. 7. n. 28.

Officium parvum B. M. V. dicendum in Choro etiam in Dominica, cum sit de ea, ubi adsit consuetudo, non obstante rubrica Brev. l. 2. par. 2. c. 1. n. 30.

Officium seu Munus

Ecclesiasticum quale sit propriæ dictum?

l. 1. c. 7. n. 6. & seq. Quodnam prohibitum tempore Interdicti. ibi.

Onupbrii S.

Officium & Missa ubinam permitta?

l. 1. c. 2. n. 53. s. Canonizatio.

Opinio

Prudens & æqua quænam censerit possit? l. 1. c. 1. n. 63. init.

Ordines

Minores conferri possunt in Dominicis, & Festis duplicibus. l. 2. p. 2. c. 1. n. 60. Majores jure communi conferuntur in solis Sabbatis Quat. temp. Sabbatho etiam ante Domin. Pas. & Sabbatho Sancto. ibi n. 61. Si Episcopus absolve re non possit ordinationem cœptam Sabbatho, potest absolvere in Dominica pro tracto jejunio. ibi.

Ordinatio Episcopi ex jure communi, facienda in Dominica. l. 2. p. 2. c. 1. n. 62.

Ova

Quæ dicuntur non nata an sint Caro. l. 2. p. 2. c. 6. n. 9.

P

Parentes.

Parentes docentes Doctrinam Christi nam domi filios aut familiam, iucrantur Indulg. l. 1. c. 4. n. 13.

Parochi

An teneantur celebrare quotidie. l. 1. c. 2. n. 7.

Parochi duarum Parochiarum quando, & a quoniam dispensandi ad duas Missas celebrandas in uno die. ibi. n. 8. s. Pro Parochis.

Curare tenentur, ut Feria VI. hora tertia post meridiem detur signum ad recolendam Mortem Domini. l. 2. p. 2. c. 6. n. 72.

An teneantur ministrare Communionem quotidianam petentibus. l. 1. c. 3. n. 14.

Parochiales

Ecclesiæ. V. Missa. Altare.

Parvitas

Materiæ quatenus datur in præceptis affixis tempori. l. 1. c. 1. n. 28. & 29. in Abstinencia a Carnibus. l. 2. p. 2. c. 6. n. 24.

Passio

Recoletibus Passionem Domini Indulgent. l. 2. p. 2. c. 6. n. 71. Passionis Misericordia Votiva. ibi. n. 69.

Z z 2

Pre-

Preceptores

Seu pœdagogi ducentes ad Ecclesiæ,
& docentes pueros Doctrinam Christia-
nam lucrantur Indulgent. l. 1. cap. 4.
num. 14.

Privilegia

Eorum Communicatio pro Regularibus
non extenditur ad recitationem Officii, &
Missæ peculiariter concessæ. l. 2. p. 1.
c. 2. n. 1. §. *Hujusmodi.*

Pyxis V. Ciborium.

Q*Quantitas*

Parva an detur in tempore præfixo re-
citationi Officii. V. Officium. An in
Æstate requisita ad Ordines Matrimonium
&c. V. Ætas. V. Parvitas.

Quotidiana

Communio: Missa. V.

R*Regulares*

Ex privilegio possunt anticipare ho-
ram refectionis in die Jejunii. l. 1. c. 1.
n. 43. Tenentur in propriis Ecclesiis sal-
tem unam Missam quotidie celebrare.
l. 1. c. 2. n. 19. & 20. Quatenus teneantur
supplere onera Missarum. l. 1. c. 2.
& n. 26. Quasnam habeant obligationes
ex Decretis Urbani VIII. & Innoc. XII.
ibi. n. 38. Non possunt in Ecclesiis alio-
rum Regularium legere Missas illis pe-
culiariter concessas. ibi. n. 53. §. *Sum*
itaque. Eorum privilegia non extendun-
tur quoad Communicationem Officii &
Missæ. l. 2. par. 1. c. 2. n. 1. §. *Hujus-
modi.* Habent plures Indulgentias quoti-
dianas. l. 1. c. 4. & n. 17.

S. Rochi

Officium & Missa ubinam concessa?
l. 1. c. 2. n. 53. fin.

Rosarium B. M. V.

Recitantes lucrantur Indulgentias. l. 1.
c. 4. n. 3. & 4.

S*Sabbatum*

Sabbatum unde dictum. l. 2. p. 2. c.
7. num. 1.

Sabbati sanctificatio cur præcepta He-
breis? ibi §. *Præceptum itaque.* Cur trans-
lata in Dominicam. ibi a num. 3. Cur
olim Sabbatum cum Dominica celebra-
tum fuerit in Ecclesia Orientali. n. 14.

Sabbati observantia Umbra futuronum.
& n. 21.

Cur servatum a Christo, & Apo-
stolis? num. 25.

Nomen Sabbati cur non sublatum in
nova lege Gratia. n. 26. Aliquando vo-
catur dies Virginis. nu. 27. Officium B.
V. in Sabbato unde originem sumperit.
ibi n. 24. Missa Votiva Solemnis B. M. in
Sabbato ubi dicitur, non præjudicet Missæ
Conventuali n. 30. de Missa Votiva Con-
ceptionis B. M. V. in Sabbato. a n. 38.

Sabbatum Cur dedicatam in honorem
B. V. a n. 45.

In Sabbato præcipitur abstinentia a
Carnibus. n. 52. Præterquam si occurrat
dies Nativitatis Domini. n. 59. Olim ser-
vabatur Jejunium perfectum. num. 52.
Abstinentia a Carnibus unde coepit. ibi
§. *Abstinentiam.* Non servatur a Græcis,
etiam Catholicis, sed cum limitationibus.
n. 54. Nec in multis Provinciis Hispaniæ,
& Galliæ ibi §. Sed & quosdam.

Jejunium in Sabbato cur vetitum in
Ecclesia Orientali. ibi n. 55. Cur ser-
vatum in Ecclesia Latina? a nu. 57. Olim
in Majoribus Festivitatibus non erat ab-
stinentia in Sabbato. l. 2. par. 2. c. 7.
num. 52. §.

Sacerdos

Quatenus teneatur supplere onus Mis-
sarum ex infirmitate, aut alio impedimen-
to omissarum. l. 1. c. 2. a num. 23. Breve tempos infirmitatis excusantis &
restitutione ex S. C. est quindecim die-
rum. ibi num. 25. §. *Itaque.* Ad men-
sem extendit Concilium Mediolanense VII.
pro Capellano qui ad annum inservierit.
num. 25. Quid Autores? ibi §. *Itaque.*
Quid de aliis omissionibus non causa in-
firmitatis. num. 31. & seqq. Facultas
omittendi an interpretanda pro recipien-
tibus eleemosynam manuensem seu in
dies. nu. 36. Obligatus ad Missam quo-
tidianam non tenetur applicare omnes
tres Missas, sed unam in die Nativi-
tatis Domini. n. 40. An possit recipere alias
eleemosynas, & pro aliis celebrare, die-
bus;

bus; quibus legitime vacare potesta propria obligatione quotidiana. *ibi n. 37.*

SS. Sacramentum

Ejus Votivum Officium hebdomaticum quibusnam concessum. *l. 2. p. 2. c. 5. n. 4.* Addictum Feriæ V. non potest transferri in aliam diem. *ibi n. 5. f.* In ejus Votiva Missa non potest dici Sequentia. *ibi n. 15.*

SS. Sacramentum Sociantes in professionibus gaudent Immunitate. *ibi n. 15.*

Sacramentalia

Quænam & quid præsent. *l. 2. p. 2. c. 1. n. 47.*

Sagimen

Permissum alicubi ex consuetudine in diebus abstinentiæ a Carne extra Quadragesimam. *l. 2. p. 2. c. 6. n. 15.*

Salutatio

Ad invicem non facienda post recit. *Pf. Deprofundis.* *l. 1. c. 6. n. 2. f.* *Quarti f. Salutatio Angelica.* V. Angelica Salutatio.

Salutatio ad invicem cum invocatione SS. Nominis Jesu; habet adnexam Indulgentiam. *l. 1. c. 4. n. 7.*

Sanguis

Animalium est inter Carnes prohibitas. *l. 2. par. 2. c. 6. n. 18. &c; seqq.*

Senes

Quando excusati ab abstinentia a Carnibus? *l. 2. p. 2. c. 6. n. 53.*

Spiritus Sancti

Missa Votiva in Fer. V. *l. 2. p. 2. c. 5.*

T

Tempus statutum pro obligatione denunciationis faciendæ Inquisitoribus fidei quomodo computandum. *l. 1. c. 1. n. 10.*

Tempus præstitutum præceptis Ecclesiæ an admittat plus minusve. *l. 1. c. 1. n. 24. &c; n. 27.*

Trinitatis Missa Votiva. *l. 2. p. 2. c. 1. n. 2.*

V

Vesperæ

Vesperæ pomeridianæ, & Nocturnæ numerabantur apud Hebræos. *l. 1. c. 1. n. 8.* Vesperæ Festivæ quando incipiunt. *ibi. f.* Igitur *&c; seqq.*

F I N I S.

Pag.

Viaticum

SS. Viaticam Sociantes lucrantur Indulgentiam. *l. 1. c. 4. nu. 11.* Gaudent Immunitate Ecclesiastica. *ibi. n. 12.*

Vigilia

Quatuor distinguebantur in Nocte. *l. 1. c. 1. nu. 15.* Quomodo servantur ab Ecclesia. *ibi. n. 18. f.* *Illas adhuc.*

Votiva Missa

Votivæ Missæ etiam B. V. si occur-
rant ex fundatione cantandæ, in diebus
exceptis dici non possunt: Sed vel can-
tetur de festo; vel si videatur ex ratio-
nabili causa Ordinario, legantur priva-
tim. *l. 1. c. 2. n. 54.* Pro missa Votiva
de Sancto qualis legi debeat. *l. 2. p. 1.*
c. 2. n. 10. In Missa Votivâ de Sancto
aut festo habente *Credo* non dicitur *Cre-
do*, etiamsi de eo Officium fiat Votivum
ex concessione. *ibi. n. 9. f.* *Cum quæsi-
tum.* Votivæ Missæ hebdomaticæ Con-
ventionaliter celebrari possunt, duntaxat in
propriis Feriis, ut in Missali, non impe-
ditis. *l. 2. p. 1. c. 1. n. 1.* Privatim ta-
men etiam extra ipsas, diebus tamen non
impeditis. *ibi. V. Missa.*

In concessione Missæ Votivæ hebdoma-
ticæ, aut Menstruæ, intelligitur facta
concessio Officii correspondentis. *l. 2. p.
2. c. 5. n. 4.*

Votivum Officium

Votiva Officia non extenduntur ex
privilegiorum communicatione. *l. 2. p.
1. c. 2. n. 1. f.* *Hujusmodi.* Semel accep-
tata a Communitate an sint ad libitum
ibi. n. 2. Quibus Feriis recitari non pos-
sint. *ibi. n. 3.* Simpliciter concessa, pos-
sunt omitti pro Officio ad libitum. *n. 4.*
Sed si sunt diei affixa, non possunt trans-
ferri. *ibi.* Dies destinata pro Officio ad li-
bitum, non est, sed potest haberi pro im-
pedita respectu Officii Votivi. *n. 4. f.* *Hinc
etiam.* Pro Votivo affixo diei potest fieri
Votivum vague concessum. *nu. 4. f.* *Offi-
cium.* Sed non convenit excludere Voti-
vum B. V. *ibi.* Cum in communi sit de
S. M. in Sabbato, fieri potest de Votivo
vague concessio, si non antea factum sit.
n. 5. In Votivis Officiis reponendis non
attenditur necessario Ordo dignitatis. *n. 6.*

Votum Jejunii. V. Jejunium.

Pag. Col. lin. Errata

3	4	Ad Operis, calcem
4	5	eruditiroes
8	2	40 quadriennis
13	1	28 luminoso
14	2	22 Jamvero
16	1	17 Cardinalis
20	2	ult. Tractatum
23	2	26 Similis partitio
23	2	26 Item
28	2	28 horogiis
32	1	34 qua
34	1	12 physice
42	2	14 Cardenas
95	2	22 sotus
158	2	41 Doctorum
310	1	32 in casu

Corrige

ad Operis calcem .
eruditiores
quadrienniis .
luminoso
12 Jamvero
Cardinalis ,
Tractum
Similem partitionem
16 Item
horologiis
quia
physice
Cardenas
Sotus
Doctorem
cum in casu

NOI

NOI RIFORMATORI DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVENDO veduto per la Fede di Revisione , ed Approvazione del P. F.
Gio: Tommaso Mascberoni Inquisitor Generale del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato Diarium Liturgico-Theologico-Morale &c. Autore Ferdinando Tetamo. Tractatus Primus. MS. non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica , e parimente per Attestato del Segretario Nostro , niente contro Principi , e Buoni Costumi , concediamo Licenza a *Pietro Savioni Stampator di Venezia* , che possa essere stampato , osservando gli ordini in materia di Stampe , e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia , e di Padova .

Dat. li 5. Febrero 1778. M. V.

(PIETRO BARBARIGO RIF.

(FRANCESCO MOROSINI 2.o K. PR. RIF.

(GIROLAMO GRIMANI RIF.

Regist. in Libro a Carte 397. al Num. 1430.

Davidde Marcbesini Segr.

Addi 7. Febrero 1778.

Registrato nel Magistrato Eccellenzissimo contro la Bestemmia .

Gio: Pietro Dolfin Segr.

